# SPHÆRA CIVITATIS,
## AVTHORE MAGISTRO IOHANNE CASO OXONIENSI, OLIM COLLEGII DIVI Iohannis Præcursoris socio.

PSALM. CXXVI.
*Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.*

*OXONIÆ,*
Excudebat Iosephus Barnesius, 1588.

PHILOSOPHORVM ΣΟΦΩΤΑΤΩ ÆSCVLAPIO SVO.

*VIuere cui vires & robora ſana dediſti*
*Scribere ni vellem, næ robore durior eſſem.*
*Ergo mihi (quæ priuato pertingere nulli*
*CASE datur) tecum ſatis & ſatis Aſtra tueri eſt.*




QVAM benè CŒLESTI CIVILIS machina formæ
Congruat, & quàm ſit paribus diſtincta figuris,
Vnica pro multis Reſpublica noſtra loquetur.
Aſpicis alterno circumgyrantia curſu
Sidera, & æquali cauſas quæ pondere librat
IVSTITIAM, noſtri centrum inuariabile mundi?
Aſpicis emenſos SEPTEM ſpatia ampla PLANETAS,
Quorum quiſque ſuo ſtudioſè præſidet orbi?
VBERTAS RERVM, Luna: & FACVNDIA, Regni
Mercurius: Venus eſſe poteſt CLEMENTIA Regis.
Par ſoli PIETAS mediis diffunditur Aſtris.
VIS ANIMI iuſtis Mauortem ſpirat in armis.
Nata Iouem ſimulat PRVDENTIA prouida patrem:
Saturnumq́; graui MAIESTAS plena timore.
Hæ ſunt quæ noſtras colluſtrant Lampades oras
Præcipuæ: verùm his Octauam apponere Sphæram
Luminibus fixis, claris, varijſq́; micantem
Iam libet, vtq́; olim STELLATVM dicere CŒLVM.
Cœlum Stellatum CAMERA eſt STELLATA Britannis,
Conſilijs munita pijs, Procerumq́; frequenti
Nobilium ſtipata manu, qui munia Regni
Ardua procurant, & magna negotia verſant.
Omnibus impẽdet globus is, cui MOBILE PRIMVM
Nomen, & amplexu nexus qui continet omnes.
Tu VIRGO, REGINA Potens, tu MOBILE PRIMVM
ELISABETHA, rapis tecum molimina Gentis.
Indè reluctantes animos, menteſq́; rebelles
Debilitas, MOTVque trahis Suprema DIVRNO.
Hic ordo: ſic conſpirat ſtatus ORBIS, & VRBIS:
Hæc tamen hoc tantum diſcrimine diſtat ab ILLO,
Quòd non perpetuò firmari poſſit vt ILLE.
Ergò diu SPHÆRÆ SVMMA MOTRICE ferantur,
Ergò diu SPHÆRAS & MOTRIX SVMMA gubernet.

RICHARDVS LATE---WAR, Collegij
*D. Iohannis Præcurſoris Socius.*

# ILLVSTRISSIMO HEROI SVMMA VIRTVTE, SAPIENTIA AC DOCTRINA PRAEDITO,

D. CHRISTOPHERO HATTONO,
magno Angliæ Cancellario, aureæ Peri*scelidis Equiti clarissimo, Regiæ Ma*iestati à Sacris Consilijs, Domino ac Patrono suo multis nominibus colendissimo.

***

MIRABILEM & fatalem hunc annũ mundi (vir augustissime) multi ex minacibus Sybillæ folijs vaticinantur fore: & sanè torvus cœli vultus, prodigiosus terræ motus, formidolosus Comætarum aliorumque meteoron aspectus in hac temporũ canicie animos mortalium nescio quo metu, quaq; expectatione malorum vulnerant & prosternunt: sed vetus hoc est, Sapientes dominãtur astris; quippè quæ solùm inclinant (vt loquũtur Philosophi) necessitatem autem non imponunt. In hac ergo ætate mundi, in qua plures politici Lib. de Cœlo.

quàm verè ſapientes ac iuſti eſſe cõtendunt; plurimi quidem ſunt æſtimandi Ariſtides, qui iuſtitiam religioſè colunt, quiq; rerumpub. ſphæras ad motum primi mobilis, nutumque primi motoris ſapienter vertunt. Aduerſus quẽ quicunq; nituntur, errant, & ſe ſuaſq; reſpub. (quas regunt) in Scyllam malorum pertrahũt: Non eſt enim conſilium aduerſus dominũ. Hæc cum vera ſint (Vir honorifice) dabis veniã, ſi tuo nomine diuino numini gratias immortales agã, quòd te hoc anno Scæuolã, id eſt oraculum ſapientiæ; Ariſtidẽ, id eſt aſylum iuſtitiæ nobis, patriæ, ſereniſsimæq; principi Elizabethæ dederit. Oratio inſignis illa tua, (quam ſummo honore donatus de iuſtitia, de æquitate, de fauore in populũ, de amore in patriã habuiſti) ſtatim à voce, à tribunali tuo in ciuium aures & mentes fluxit, omneſq; & ſingulos ad incredibile tui honoris colendi ſtudium mirificè flexit & inflãmauit. Magna quidem vis vocis tuæ, quæ tibi amorem; maior virtutis, quæ tibi honorem dedit. Cum omnes in hoc publico & communi bono patriæ tibi hoc forũ iuſtitiæ gratulẽtur: equidẽ à me impetrare non poſſũ vt in hoc frequenti omni-



omniũ ſermone mea vox de ſingulari meo in honorẽ tuũ affectu conticeſcat. En ergo (Vir honoratisſime) ſignum amoris, teſſeram officij erga te mei: Tibi reipu. Cancellario, ciuitatis ſphæram voluẽdã & reuoluendam trado. Scio equidem indignam eſſe honore, indignam ſapientiâ tuâ. Veruntamen, quoniam in eâ centrum immota iuſtitia eſt, lineæ æquitas & conſcientia, circumferentia Deus, eandem à me gratiſſimâ mente datam, à te honorificâ manu fore acceptam ſpero. Ariſt. mihi author eſt, illum vt interpres ſequor: de repu. ſuum inſcripſit librum, ſphæram ciuitatis appello meum. Ipſum authorem, nomen Philoſophi, authoris hoc opus lumẽ patriæ & miraculũ ſapientiæ in hac ætate Dominus Theſaurarius mihi cõmendauit. Doctus author, doctũ opus, ſapiẽs iudex vtriuſq;. Quid multis? Inter alios multos vnus & tibi vnicus Vntonus (radioſum & illuſtre ſidus ſui generis) mihi etiã calcar ad hoc opus addidit: qui de arcanis reipub. (vt audio) multa atticè, multa accuratè ſcripſit; quæ ſi ederet, Sidnei iam defũcti animã in Vntoni pectus exiſtimes immigraſſe. Hæc mouerunt vt ſcriberem, hæc

Vos estis dij. Psal.81.

ſuaſerunt vt academiæ,patriæ, tibi deſcriptã hanc ſphærã commẽdarẽ;tibi dico,quia nihil aptius mihi videbatur quàm illi globum ciuitatis offerre,cui Elizabetha Reip. dea ciuitatis clauũ voluit committere. Verte(ſi placet) Vir illuſtriſsime,verte hunc globum, immobile in eo centrum,ſimplicem motum, rectas lineas,mouenſq; primum & infinitum ſpecta; per immobile centrũ immutabilẽ iuſtitiã, per ſimplicem motum actionem virtutis, per rectas lineas leges ciuitatis,per primum motorem Principẽ (ſi velis) aut potiùs in Principe Deũ intelligo:hæc tuta via eſt,hæc recta norma adminiſtrãdæ ciuitatis; alia inuẽta hominũ deuia & incerta ſunt, ſuiſq; autoribus perniciosa;hãc viã ingreſſus(heros ampliſsime) Spartam quam ornes habes; non tamẽ cæca ſors, nõ genus(quãuis in eo ſplendor & amplitudo ſit) ſed virtus per dextram Principis hanc tibi palmam honoris dedit. Chriſtum precor vt diutiſsimè hæc virtus, hæc palma, hæc dextra principis Elizabethæ viuãt. Intonent tum Magi,ominentur ex ſiderum ignito trigono & aſpectu malum: ſperabimus tamẽ in deo,& minaces eorũ furias minimè formidabimus.



dabimus. Quippe florente iuſtitiâ retrogredietur ſol,vt viuat Ezechias; ſtabit in medio cœli, donec Ioſ. vincat & proſternat hoſtes. Qui aliud optant patriæ,ſi domi ſint,cũ Chore,Dathan,& Abiram conſpirantibus in Moſem;cum Abſolone ingratiſsimo filio conſpirante in patrem, cum Iudâ proditore conſpirante in Chriſtũ pereant: ſin foris hoſtes ſint, Deus illorum arcum conterat,arma confringat, ſcuta comburat, vincula à noſtris pedibus, à noſtris ceruicibus iuga longè diſpellat. Det nobis pacẽ in diebus noſtris; & ſanè ſi illũ diligamus, ſi iuſtè viuamus, dabit. Sed quid ago?Ex theſauro animi os abundantiùs loquitur. Ad me ergo (Nobiliſsime Cancellarie)reuerſus,à te id quod velim peto:Græci olim Hippocrati prædicenti morbũ, Athenienſes Beroſo prædicenti malũ magnũ dederunt præmiũ:Deum teſtor,me neq; aurum cũ Hippoc.neq; præmiũ cũ Beroſo petere.Quid ergo?hoc ſolùm vt ſub vmbrâ palmæ tuæ florẽtis (quâ multos tegis) in beata (quâ fruor) paupertate viuã ſphæraſq; alias Philoſophiæ ſi mihi vitam deus indulſerit deſcribã. Vale.

4.Reg.20. Ioſ.10. Numb 16. 2 Reg.15.16. 17.18. Mat.26. Mar.14. Luc.22. Ioh.13. Pſal.45.& 2.

Cardanus de varietate rerum.

*Honoris tui alumnus humilimus,*

IOHANNES CASE.

*Politices Studiosum.*

Psal.14. & 53.

*VONIAM* dixit stultus in corde suo non est Deus, *opportunè quidem (Christiane lector) in isto occasu mundi (in quo permulti sine Deo, sine fide, sine Christo viuunt) & Deum esse & praesse mũdo contendimus demõstrare. Si enim hac plenè animis mortalium non sit praeconcepta, altisq; radicibus infixa persuasio; si frustra omnino de sphaeris rerumpub. (quas Deus vertit) frustra de legibus ciuitatum (quas homo condit) hîc ageretur. Posito namq; Deum non esse, aut (quod multi somniant) actiones humanas negligere; terrae protinus filij sumus, & diutiùs solem non intuemur. Quòd verò nonnulli fanatico quodam spiritu acti, insidijsq; antiqui serpentis obcaecati numen in rebus humanis lucere negent, defectio fidei, morum corruptio, immanis nouorum scelerum excogitatio, odiosa Epicureorum multitudo (qui Deum, omnemq; dei prouidentiam tollunt) apertis quasi tabulis probant & conuincunt. Nam etsi forsan non sint hodie, qui audent cum blasphemo illo Holoferne dicere,* Ostendam tibi quòd non est Deus; *sunt tamen, sunt inquã nimis multi, qui cum Meli incolis Atheismum colunt, Deumq; vitâ non voce negant. Aliter enim dic mihi, vnde illi monstrosi angues in manus ac sinus hominum irrepserint, quorum alter de tribus impostoribus mundi, Mose, Eliâ, Christo (sic enim blasphemus loquitur) alter de portentosis rerumpub. fatis ac formis funesta nescio quae dogmata euomit. Isti vt vides more* Goliath *aduersus Deum & Christum veniũt, vociferantur palàm. Quid? An haec monstra nullos Philistaeos sequaces? An nullos pseudo-Christianos fautores habent? Vtinam certè non haberent. Sed res aperta est. Babel & confusio, Sodoma & Gomorrha, execrabilis ac detestanda licentia dissolutioq; vitae in hac aetate nimis hoc verum esse arguunt & loquuntur. Tempus ergo iam monet, siue de fide, siue de vrbe, siue de vitâ theorica, siue de politicâ instituatur sermo, vt ab hac vnâ persuasione exordiamur, Deum nimirum esse.*

Iudith 6.
Gyraldus dialog.9.hist.
Doletus,
Argentinus & Machiauellus.



*esse. Nam si hoc nobis ratione persuasum ac demonstratum fuerit, & melius credemus, & viuemus sanctius.*

*Sed vt nunc rem aggrediar, quid tibi vis Luciane perniciose sophista? Quid tibi vis Iuliane atrox Apostata? An Deum? An Christũ esse non creditis? Pessime sophista, an sic epicureos tuos & porcos doces? Impie Apostata, an sic tuos subditos & ciues fallis? Negatisne id quod natura, id quod ratio, id quod fides, id quod omnia inter cœlum & tartarum (vbi iam estis) suadent? Meritò tu quidem Luciane à canibus laceratus, meritò etiam & tu Iuliane cœlesti fulmine confossus iaces. Stulti adhuc non creditis? Causam quaeso ostendite, cur non credatis. Haec opinor est, quia omnia vi ac motu naturae sine deo fiunt. Id falsum est; naturae enim liber in fronte Deum conscriptum habet. Optimum naturae interpretem (si placet) legite, haec habet verba:* Deus inquit est: *iterum* Deus vnus est: *adhuc,* Deus vniuersum mundum moderatur ac regit: *& paulò post,* Ea quidem quae in aere fiunt, quae in terrâ, quę in aquâ, ea certè dei opera esse meritò diximus, Dei inquam opera. *Philosophi de Deo loquentis emphasin spectate: mirabile est quod addit.* Cunctorum (*inquit*) quae rerum natura complectitur, cum seruator est Deus, tum verò omnium quae in hoc mundo perficiuntur author. *Sed suspectum hunc librum habebitis fortasse: non est causa cur suspicemini, nam in alijs idipsum loquitur.*

Suidas. Hist.eccles.tripartit.li.6.c.4. Theodor.Ecc. hist.li.3.ca.25.

Deus *inquit* perpetuã rerũ originẽ fabricatus mundũ omnibus suis numeris expleuit: *& alibi,* Deus est vnus, simplex, immensus, infinitus quoq; & sempiternus, vltra cælos in excelso habitans, nullis locis circumscriptus, vbiq; tamen subsistens, plus quàm dici potest beatus, qui mutare potest omnia, ipse verò mutari non potest. *Respondete mihi, nõ haec sufficiunt? Adhuc dicetis non est Deus? Littus aro (vt aiunt.) Pauca verò addam, si forsan magis vrgeã.* Deus (*inquit Philosophus*) Dominus est, vt bona malaq; meritis distribuat; *cauete scelerati;* Qui dubitant, An Deus sit, idemq; colendus, diram merentur pœnam: *exhorrescite. Vana haec verba sunt, argumenta petimus. Verissima sunt, sed argumenta audietis.*

Lib.7.phys.ca.6.Metap.c.10. Li. de mundo. Lib.2.de ortu cap.10. Lib.8.phys.ca.6.lib.1. De cœlo ca.9. lib.2.de cœlo cap.3.lib.7. Eth. cap.1.lib.11.Metap.c.7. Lib.2.mag. mor.cap.8. Lib.Top.1. cap.9.

*Attollite ergo oculos animosq; vestros, globum naturae vertite, considerate mecum, an id verum sit quod olim Empedocles dixit,* Ratio prima.

Deus

Deus est cuius centrum vbiq; , & cuius circumferentia nusquam. *Videte cœlum, videte terram, in cœlo solem, in terrâ muscam; non in vtroq; videtis Deum? Nam vt à minimis incipiam, narrate mihi quid finxit muscam? Ridicula hæc quæstio est. Omissis verbis narrate (inquam) mihi, quid finxit muscam. Sol & putredo. At viuit, sentit & quodammodo sapit musca. An hæc sol & putredo? An oculos, pedes, alas? An motum, sensum & vitam animalculo maiori vix atomo sol & putredo tribuunt? Solis & putredinis magnam potentiam miror. Est quoq; in musca occulta natura mouens. Itane? Quæ hæc occultè natura mouens tandem? Ea scilicet quam Philosophi definiunt principium motus. Ea verò in re ipsâ est, at nihil mouetur, quin etiam foras ab alio moueatur: quæ illa motrix causa? Aer, non Deus, vt tu existimas. Aer est quidem medium in quo mouetur, at quæ sit prima mouendi causa quæro. Cur statis? Cur dubium non resoluitis? Nescitis (insani) nescitis inquam nisi Deum (qui est prima in omnibus mouendi & quiescendi causa) vel in ipsa muscâ, hoc est in rebus minimis esse fateamini: surgite ergo à naturæ somno, & diutiùs naturæ vi ac motu omnia fieri ne somnietis; nam quamuis naturali magiâ aquam in sanguinem, virgam in serpentem potestis commutare:* Aronis *tamen virga vestras deuorabit, & digitus dei in muscâ & pediculo (quæ sunt omnium creatorum infima) vos penitus confundet, vestramq; incredulitatem refutabit. Sed quoniam naturæ motui, tantum ascribitis, ratiocinationem (quâ Philosophus à motu deum esse manifestè concludit) discite. Sic est: omne mobile ab alio mouetur: sed primum cælum est corpus mobile: ergo primum cœlum motorem habet. Quid negas? In scalâ naturæ si à gradu infimo ad summum scandas, cæcus es si orbem inferiorem à superiore moueri neges. Sed quid tum orbem supremum mouet? Non corpus vlterius dices; nam vltra supremum aliud non est, est tamen motor. At quis hic motor nisi primus? Et quis hic primus nisi Deus? Quem Philosophi mouentem omnia immobilem tamen ac immutabilem motorem vocant; & in hoc sanè ancilla cum domina rectè conspirat: nam dicitur,* Ego Deus & non mutor. *Et iterum,* Apud quem non est transmutatio. *Quid addam plura?* Non est Deus quasi homo, vt mutetur.

Exod. 7. 12. & 8. 19.

Rat. 2. ex lib. 7. Phys.

Mal. 3 6. Iac 1. 17. Numb. 23 19. Ratio 3. ex 2. Metaph.

*Sed pergo vt à causarum ordine hoc ipsum probem, rationem fic nectit*



*nectit Philosophus: præter causas internas (materiam & formam intelligit) aliæ sunt effectrices causæ quæ in quodlibet opus & effectum naturæ influunt, ex his verò sunt quædam mediæ: ergo est vna prima, quæ causa causarum & Deus dicitur. Insanit igitur qui in primâ naturæ tabulâ causas medias cernit, & per easdem veluti per scalæ gradus ad primam animo suo non ascendit: facile enim est per media ad summum peruenire, Deumq; ex medijs causis (quæ sine prima esse non possunt) demonstrare.*

*De ordine & comparatione rerump. quid dicam? In quibus certè imago Dei & veluti expressa idæa ipsius diuinitatis cernitur. Diuinitatis dico quia* inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. *Sed quis hic ordo? Quæ hæc comparatio? Aperto iam naturæ libro, spectate mundum, qui ex globis cœli & elementis constat, videte centrum (terram intelligo) discite quomodo æquis quasi trutinis libratum in aere pendeat. Sed hoc punctum est, immensum quæro: à centro igitur ad circumfluentem Neptunum pergite: quis quæso hunc veluti furentem mœnibus concluſit? Quis fluere & refluere ad Lunæ motum & influentiam docuit? Parum hoc est, succedit aer in quo nubes, nix, grando, in quo tonitru & fulmen, in quo cometa prænuncius mali, aliaq; miranda & obstupenda non sine vi numinis generantur meteora. Quid multis? In gyrum suprema pars aeris ab igne accensa vertitur, ignis elementorum supremum ab orbe lunæ ad stadium cœli rapitur, orbem lunæ orbis Mercurij, hunc orbis Veneris, at Veneris orbem globus solis, globum solis sphæra Martis, sphæram autẽ Martis Sphæra Iouis, hanc currus Saturni sequitur. Quid vltrà? Infinitis sideribus splẽdidè ornatum cœlum, quod motu diurno ab ortu ad occasum, retrogrado ab occasu ad ortum, trepidationis à meridie ad septentrionem miraculosè volui & agitari cernitur. Adhuc quid vltra? Certè Deus, qui hæc omnia à centro ad cælum, à puncto ad immensum & glorioſum hoc corpus in admirabili ordine fecit & collocauit. Nã hæc quid facere, quid sic collocare potest nisi solus Deus?* Cuius gloriam enarrant cœli, cuius opera annunciat firmamentũ. *Tetrica progenies atheorum cur ratione victi non dicitis,* Deus est qui fecit nos & non ipsi nos? *Cur cœlorum ordine perspecto non exclа-*

Ratio 4.

Epist. ad Rom. cap. 1. 20.

Psal 19.

Psal. 100.

Psal.32. *exclamatis?* Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Ratio 5. *Sed hunc ordinem rerum comparatio sequitur, per quam Philosophi quoque inuenerunt Deum. In primo gradu res inanimatas, vt elementa & mixta; in secundo res animatas, vt plantas; in tertio res sensu præditas, vt belluas; in postremo rationis participes vt homines posuerunt. In hominibus verò corpus & animum considerantes, illud à terrâ ortum, hunc verò à Deo proximè diuinitus constitutum esse docuerunt: est enim animus expers corporis, est spiritus expers passionis, est substantia æterna & immortalis: vi ergo naturæ non fit: die ergo vnde nisi à solo Deo cuius imaginem gerit. Si à solo Deo; est ergo Deus: indignus es igitur animo, indignus vitâ, si spiritu & mente non colas Deum.*

Lib.1.de an. cap 4.Lib.3. cap.5.

Ratio 6.ex lib. 1.de cœlo ca. 9.lib.12. Meta. *Ab animo humano Philosophi ad intelligentias, aliasq; diuinas naturas simpliciter spirituales volant: hæ (vt aiunt) æternam & immutabilem primæ causæ maiestatem intuentes, non sine ineffabili voluptate suas sphæras in sempiternum mouent: simillimum quiddam hoc est somnio Iacob patriarchæ, (qui reclinans caput in lapidem dormiuit, vidit q; in somnis scalam stantem super terram,*

Gen.28.12.13. *& cacumen illius tangens cælum, Angelos quoq; ascendentes & descendentes per eam, & dominum innixum scalæ dicentem sibi, Ego sum dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Lux hæc incredibilis naturæ fuit quâ veluti per scalam ac ordines spirituum (ne dicam Angelorum) Philosophi ad videndum quodammodo Deum penetrarunt. O vtinam cum viderent, vt Deum coluissent. Vis vt hæc duo argumenta pressius conficiam? Animus humanus ex nullâ materiâ constat, à traduce non fluit, interitum non sentit: vi ergo naturæ non fit: est ergo proximè à primâ causâ: at prima causa Deus est: est ergo Deus. Spiritus quoque subsistunt, sed sine corporis mole inceperunt esse: causam ergo essentiæ habent, quam quæso nisi Deum? est ergo Deus.*

Ratio 7. Ex li. Eth.primo. *Cæterum quoniam de animo humano nunc agitur, in quo sunt multa symbola & vestigia Dei, non facessam (vti spero benevolo lectori molestiam) si nebulas Atheismi ab animis mortalium argumentis ab ipso animo deductis pellere & fugare conor: & vt pri-*



*primùm ab appetitu (quæ est vna ex infimis potentijs) exordiar, quis est vel mediocriter versatus in philosophiâ, qui eundem perpetuis quasi facibus accensum, in infinitum ferri non intelligat? Detur Roma Cæsari, orbem quærit; detur mundus Alexandro, plures petit: nemo contentus suâ sorte viuit, immo quod magis vrget, sancti & religiosi viri infinito affectu & appetitu summi boni ardent. Optat Moses in hac vita videre faciem Dei, multorum* Exod.33.18. *vir desideriorum ipse Daniel fuit*, heu mihi *inquit* Dauid quoni- Dan.9.23. am incolatus meus prolongatus est multum, incola fuit ani- Psal.119.5. ma mea. *In via rectè appetendi est nullus finis, in mundo est nulla quies, omnes incolæ sumus, si nobis singulis cuncta sub cœlo pateant, est tamen vlterius quiddam quod appetamus, & quid hoc vlterius obsecro nisi Deus? concludam iterum: est ergo Deus, cuius maiestas in alijs animi potentijs, nempe in mente & voluntate, tanquam in speculis vnita & reflexa ad confusionem omnium atheorum & Epicureorum multo conspectiùs lucet.*

Ratio 8.Ex 10.Ethi.& 4. Metaph. *Mens (vt omnes definiunt Philosophi) est diuinissima pars animi, in qua ratio, consilium & sapientia sedent: virtutes enim mentis sunt ars, scientia, prudentia, intelligentia ac sapientia, quibus comitata musis veritatem in contemplatione rerum tam humanarum quàm diuinarum ad viuum discutit. Veritatem dico, quæ est proprium obiectum mentis: verùm cum mens sit infinita & immutabilis naturâ suâ; necesse est vt infinitam veritatem & incommutabilem sibi vltimum obiectum habeat: at veritas in omnibus creatis à rebus incertis mutabilibus pendet: est ergo prima aliqua æterna & incommutabilis veritas, ad quam per medias veritates tendit. At quid est hæc prima veritas? Est certè Deus. Da veniam quæso si hanc conclusionem sæpè ingeminem: est ergo Deus, qui veritas æterna in primâ philosophiâ dicitur.*

Ratio 9. Ex li. 3.Ethicor. *Huc addo, quòd vt mens verum: ita voluntas bonum materiam & obiectum habeat: at verum duplex est, dependens, quo vti; absolutum & simplex, quo frui dicimur. Est ergo bonum medium quod cadit, est etiam vltimum, simplex atq; (vt ita loquar) essentiale, & hoc est Deus. Christum precor, vt Athei nostrorum temporum hoc verum, hoc bonum ardentiùs mente & voluntate quærant, Deumq; esse credentes religiosè colant.*

*Ex*

Ratio 10. *Ex his duabus potentijs animi elicitur conscientia, cum quadam scintillâ, quam vulgò* Synderisin *Græci appellare solent: in conscientia lux quædam naturæ est, quâ flectimur ad bonum; in* Synderisi *morsus est, quo folles & alimenta gehennæ perpetuò in committendo scelere vulnerãtur: conscientia naturæ solius lumine illustrata suadet Deum esse, solumq; id faciendum quod est honestum; cui contrarium cum agant mali, quibus furijs dies noctesq; crucientur, mortalium nemo intelligit, nisi ipsi scelerati, qui vermes putridos & mordaces tanquam mille testes atrocium facinorum corruptis conscientijs gerunt. Nõne hæc dilucidè Deum esse probant, qui in mentibus humanis æternum & immotum discrimen honestorum ac turpium, adeoq; diuini iudicij futuri sensum ac metum naturaliter inseruit, fixit, confirmauit?* Gentes *(inquit D. Apostolus)* quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: *sed vnde hoc notum? Sequitur in textu,* testimonium reddente illis conscientiâ: *sit ergo hæc ratio: Vis conscientiæ in malis (quos spinæ flagitiorum pungunt) in bonis (quos benefactorum memoria consolatur) Deum esse arguit: est ergo Deus; qui si non esset, cur desperaret* Nero, *qui electos Dei occidit? Cur desperaret* Iudas, *qui dominum in manus peccatorum tradidit?*

Epist. ad Rom. cap. 2. 14.

Ratio 11. *Miror profectò vel potiùs admiror inconsiderantiam huius ætatis, in qua nunc viuimus: saturitas panis cæcitatem peperit & veluti squammas oculis atheorum obduxit, quæ sine tonitru vocis diuinæ excuti non possunt. Si Deus (inquiunt) sit, contra naturæ nutum ostendat dextram & potentiam suam,* Cœlum & terra, omniaque in vniuerso theatro mundi sic sunt vt olim ab initio fuerunt, vbi ergo est promissio? Vbi aduentus eius, *quem cum grandioribus miraculis & prodigijs idque breui aduenturum melancholici isti augures tam diu somniarunt? O dementes & dementatos homines, adhuc æternitatem Dei non agnoscitis? An hoc vos latet? Quòd apud eum sit* vnus dies sicut mille anni, milleque anni vt vnus dies. *Venet quidem & veniet citò. Sed miracula & prodigia hæc gens requirit. Optinam visis miraculis hæc gens intelligeret, saperet, prouideret. Christus à Virgine natus est: non hoc miraculum? Cæcis visum, claudis pedem, ægrotis sanitatem, mortuis vitam dedit, non hoc miraculosum? Quicquid de*

2. Pet. 3. 4.

2. Pet. 3.



*de Christo dicis omnino nõ credimus: illumnè putemus luto & sputo sanasse cæcum? Galenus non credidit, nec nos credemus. Cæci estis qui non credetis; accedam ergo propius, Stella non diu abhinc & altius & diutius longè quàm Cometa apparuit; non hoc miraculum? Terra & mare contremuerunt simul, idq; in eodem instanti; non hoc miraculosum? Visa sunt sub aquilone per multos annos terribiles flammæ & columnæ, in quo climate mundi rarissimè halitus (qui sunt illorum causæ) generantur, non hoc prodigiosum? Si naturam hæc omnia fecisse dicatis, causas ostendite; sin minùs potestis, cur Deum esse non confitemini? Mihi quidem placet hæc ratio, vltra sortem vires q; naturæ fiunt miracula: est ergo Deus, qui dominus subsistens omnium, potentiam naturæ superat.* Anno 1572 & 1573.

Ratio 12. *Oceanus immensus est rationis, in quo oratio nunc natat mea, portum & exitum nõ inuenio, vbertas enim causæ ex sterili fœcundum reddit: sed anchorâ defixâ pressiùs & succinctius agam, vt ad ea quæ restant discutienda veniam. Adesdum* Caligula, *quo nemo vnquam audaciùs negauit Deum, quo nemo furentiùs negatum studuit contemnere: Adesdum magne* Alexander, *qui diutius cum patre tuo* Philippo *mortalis appellari non vis, sed apud* Scythas *& etiam apud* Græcos *Deus. Ad strepitum cadentis folij ne perhorrescas* Caligula, *& eris mihi magnus* Apollo: fac tale cœlum, terram, & mundum (magne Alexander) & dicam te deum esse. *Quid? Non possunt hæc facere Imperatores mundi, qui cœlum & terram subiecta habent. Cur igitur chrystam attollimus? immo cur Christum deum esse & creatorem omnium non confitemur? Cur inquam vt Deum & seruatorem non veneramur? Cur quæris?* Lucifer *superbus à cœlo præceps in orcum cecidit, superbia sola in animis mortalium lepram peccati & atheismi genuit.*

Suetonius in Calig. Cap. 51.

Diui Ambros. postulatio.

Ratio 13. ex historia eccle. *Nõ dicã plura, dicam tamen hoc vnũ, est diabolus* Iuliane, *quem ab inferis euocatũ à tuis magicis timuisti: est ergo Deus (qui* Sauli *& tibi hoc malũ prohibet) quem timeres: est ergo (iterum atq; iterum dicam) est ergo Deus. Is enim verissimè esse dicitur* qui neq; post non esse suum esse, neq; post suum esse non esse habet: *quæ ratio (vt ita loquar) essendi in nullâ parte naturæ, neq; in tota natura cernitur: Hic Deũ (vt vides) esse ex creatorum globo & veluti ex libro naturæ multis modis & argumentis tibi demonstratur:*

D. Augustin.

Heb.11. *tur: crede nunc Deum esse, si sapias, & in illum crede; nam* accedentem ad Deum oportet credere, *& quando accesseris oportet rectè viuere: fac sæpe comparationem ab effectis ad causam, ab opere ad artificem, à teipso ad creatorem tuum: sic quidem ex essentijs rerum Deum esse, ex numero vnum, ex perpetuitate æternum, ex magnitudine infinitum, ex ordine sapientem & prouidentem, ex gubernatione vltrà quàm cogitari potest bonum intelliges; illum igitur ama & time.*

Deus vnus & trinus esse probatur. *Veruntamen quoniam non est satis Deum credere vnum, æternum, infinitum, incommutabilem esse, nisi etiàm trinum & vnum vbiq; per se subsistere tibi persuadeas: operæprecium erit naturæ filios contumaces & incredulos (qui fidei lumine non illustrantur) uberibus philosophiæ ad hoc mysterium concipiendum allectare: hoc*

Ratio cur ratione mysteria probantur. *dico non quòd non existimem naturam, rationem, philosophiam, omnemq; sapientiã humanã in hoc mysterio trinitatis hebescere & cæcutire (Deus enim verius mente cogitatur quã ratione discitur): sed quia hoc sæculo multi sunt, qui nihil credunt nisi quod rationis chirographo sit ratum, impressum & obsignatum.*

Ratio 1. *Constat superiùs imaginem ac similitudinẽ dei maximè in animo hominis emergere & eminere; videamus nunc ergo an vllum quoq; in eo vestigium trinitatis luceat. Magnus ille Philosophus* Aristoteles *hoc vnum pulchrè ac sapienter docet, nimirum intelligibile & intellectum idem omnino esse, cum mens in se reflexa seipsam intelligit: sic (si opus cum creatore luceat conferre) Deus ab æterno seipsum intelligens filium coæternum genuit, qui vnus & idem in essentiâ est, quamuis personâ differat; nam* Trinitas ad personam refertur, vnitas ad naturam: *non est ergo Deus sterilis, non est infœcundus; filium enim ab æterno habet: verum ergo est quod Propheta*

Lib.3.de Ani.

D.August. de fide.

Psa.66.7. *ait,* Ego qui generationem alijs tribuo ipse sterilis ero? *Quasi diceret non sum, quia filium dilectum habeo: vt ergo vnitas aliunde non est, & tamen de se vnitatem gignit: ita Deus pater ab ente nullo est, & tamen seipsum intelligens* alterum se non aliud (*vt ita loquar cum Augustino*) *generat.*

Ratio 2. *Da veniã vt pergam in simili, sicut idem ergo est intellectus & id quod intelligitur, cum intellectus se ipsum intelligat; ita non video quin idem sit intellectus, & id quod diligitur, cum intellectus seipsum*



*sum diligat: nã idem tũ est qp diligit & qp diligitur. Hæc si vera sint, dic mihi, an non quodãmodo in speculo naturæ videas essentialẽ (vt ita loquar) amorẽ, quo se pater & filius in sempiterno diligunt, eundẽ Deum esse? hic enim amor non est accidens, quippe nullũ in Deo est: est ergo ipse Deus. Concludo igitur Deũ sic vnũ & trinũ esse, vt neq; trinitas vnitatis simplicitatẽ, neq; vnitas trinitatis mysteriũ tollat.*

*Sed magis vrgeo, vides in animo tuo tres primas potẽtias, nempe* Ratio 3. *memoriã, intellectũ & voluntatẽ? video. Dic seriò num sunt hæ tres distinctæ potẽtiæ animi? Sunt. At tres istæ potentiæ vnitæ sunt vnus animus. Fateor. Age ergo & attende quomodo hinc luceat beatissimæ trinitatis imago. Expedias id velim. Sic igitur comparo, vt tres potentiæ animæ nõ sunt confusæ sed distinctæ, ita quidẽ sunt tres personæ trinitatis: sed hæ tres potentiæ sunt vnus animus: ergo hæ tres personæ sunt vnus Deus. Pernosce ergo teipsum, Deumq; trinum & vnum noueris, ad cuius similitudinem factus & creatus eras.*

*Quid plura? Theatrum vniuersitatis rerum ponamus ob oculos, quicquid est vspiam perlustremus, certum est rem quamlibet præ-* Ratio.4. *seferre quodammodo imaginem trinitatis: quæcunq; enim arte diuinâ facta sunt, vnitatem quandam in se ostendunt, speciem, & ordinem: ex vnitate essentiæ patrẽ: ex specie filiũ, qui est imago patris: ex oraine & ornatu spiritum (qui suâ prouidentiâ suauiter dispo-* Ex D.August. lib.6.cap.10. de trinit. Sabellicus Æneid.8.lib.2. cap.11. Fulg.l.7.c.6. *nit omnia) recte intelligas. Adhuc non credis* Olympi *pessime* Arriane *beatam trinitatem esse? equidem nõ miror, te in conspectu multorum tribus ignitis punctis in vnum veluti contractis, cælitusq; demissis consumptum fuisse: qui in balneis lauans coram multis ausus eras deum trinum & vnum conuitijs & blasphemijs incessere: dignus profectò fuisti hac & multò grauiori penâ, qui magistri tui* Arius. *(qui propter blasphemiam in trinitatem sua viscera effudit) exitum & tormentũ nõ perhorrueris. Caueãt Trinitarij nostrorũ temporũ, qui (perhorresco dicere) qui inquã hoc ineffabile Trinitatis mysterium Cerbero tricipiti illi cani Inferno assimulant. O quanta est ista cæcitas? Quãta ingratitudo hominis, qui in se & omni opere naturæ expressã triadis ideã videt, & tamẽ eãdẽ audet verbis cõscindere?*

*Otiose ignoras penitus naturam rerum: nam si scires, cur* Ratio 5. ab inductione exemplorum. *tot exemplis victus non credis? Responde: non nosti ternarium esse vnum numerum? Si concedas, quid obstat quo minùs con-*

*cludam aliquid esse & trinum & vnum? Ex hoc ergo si placet imaginem trinitatis disce. Tres annulos sæpe in vnum arte compactos digito glorioſe geſtas, ſi diſiungas tres ſunt, at ſi componas vnus. En te gemmarius Trinitatem docet. In ſole eſſentiam, ſplendorem & calorẽ vides; cur ergo patrẽ, qui eſt ens entium? Cur filium, qui eſt ſplendor patris? Cur ſpiritum, qui eſt calor & amor vtriuſq; negas? Ignis in ſe tria habet, flammam, lucem & feruorẽ: diuide ſi potes* Ariane *ignem, & tunc demum diuide trinitatem; ſed quoniam non potes, veni mecum, aſcendamus ad montes & fontes ſacros veritatis;*

Iſa.6.3. *Clamemus cum ſeraphin apud Prophetam:* Sanctus, ſanctus, ſanctus *in honorem trinitatis, addamus etiam & hoc,* Dominus Deus Sabaoth, *ad confeſſionem diuinæ vnitatis. Cantemus alta voce cum Dauide* Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat

Pſa.66.6. nos Deus, *ter deum nominando: adiungamus quoq; & illud,* vt metuant eum omnes fines terræ *vnitatem agnoſcendo. Quid ſtas frater? Progrediamur ſimul, & ſi fortè cum Abrahamo aut Lotho videamus tres vel duos, vnum tamen ſolum adoremus, eumq; vnum & trinum (quamuis indigni ſumus) in tectum noſtrũ inuitemus. Ter enim beatus erit, qui trinitatem hoſpitẽ ſub ſuo tecto capit.*

Gen.18.3.& 19.1.

Creatio mundi, exilium hominis, aduentus Chriſti, ædificatio eccleſiæ, Regum inſtitutio, vitæ ſanctitas, & religio ratione probantur.

*Ex his nunc perſpici poteſt quòd deus ſit, idemq; trinus & vnus, nondum autem hoc ſatis eſt, niſi probemus Deum ex nihilo creaſſe mundum, poſt lapſum à Paradiſo expuliſſe hominẽ, promiſiſſe Chriſtum, ædificaſſe eccleſiam, reges ac reſpub. inſtituiſſe, religionem denique vt perpetuam vitæ normam & nobis & patribus commendaſſe, hæc inquam omnia verbo expediam.*

Lib.3.Phyſ. *Quid vis diuine Plato, qui Deũ, exemplar, & materiã tria principia mundi poſuiſti? an Deum artificem? An creatorem putas? Si artificem, opus eſt materiâ; ſi creatorem, Idæis tuis conceptis quid opus habet? Fateris cũ tuo diſcipulo Deũ eſſe infinitæ Potentiæ: poteſt ergo ex nihilo creare mundum: at* poſſe & velle in Deo idem *ſunt: ergo ſi poteſt quod concedis, voluit quod non negares. Verumtamen vt ex influentia ſolis multa fiunt interim nulla in ipſo ſole contingat mutatio; ita omnia in mundo diuinâ potentia ac voluntate creantur: & tamen in Deo (qui eſt author & principium omnium) nulla Species mutationis cernitur. Si quæras hic qua cauſa mundi, Reſpondeo iterum ſolam voluntatem Dei, qui ab æterno infinitè*



*infinitè bonus te fœlicitatis hæredem ac poſſeſſorem voluit; infinitè enim in ſe ſubſiſtens bonus ſuum bonum (quod nec minui nec augeri poteſt) ad ſuam ipſius gloriam communicari ſtatuit. Quid moror? totũ mundũ ex nihilo creauit, vide potentiam; tibi creatũ omniaq; in eo facta ſubiecit, vide amorem; nec te, nec mundo indiguit, & tamen vtrumq; finxit, vide immenſam bonitatem.*

*Hoc fecit* (Adam) *vt ſummum bonum intelligeres, intelligendo amares, amando poſſideres: ſed heu nobis poſteris lapſus es, fugiſti; à Deo vocatus es, erubuiſti; expulſus à paradiſo, & te & nos in pulueres (vnde ſumus nati) pertraxiſti. Sed quod remedium? Certè ſemen mulieris quod caput ſerpentis conterit. Quid eſt hoc ſemẽ mulieris? Chriſtus. At is Deus eſt vt antè docuiſti. Quid ni? An hoc conuenit vt Deus homo fieret? Conuenit. Dic cauſam. Vt Deo patri pro peccatis mortalium ſatisfaceret. Cur Angelus, aut homo hoc opus non præſtitit? Quia infinitum peccatum infinitum ſacrificium poſtulat; Homo finitus eſt qui peccant, cur ergo peccatum infinitum fuiſſe aſſeris? Homo quidem naturâ finitus, ſed voluntate peccandi in infinitum rapitur: tam ergo reſpectu voluntatis, vnde fluit; quàm reſpectu diuinæ maieſtatis, in quam committitur peccatum, exiſtens infinitum hoſtiam infinitam poſtulauit: non potuit ergo homo, non potuit Angelus, ſed ſolus Chriſtus, qui Deus & homo exiſtit, pro peccatis hominum ſatisfacere. Sed feſtino ad ea quæ ſequuntur.*

Chriſtus. Geneſ.3. Ratio cur Chriſtus venit.

*Hic Chriſtus, hic Agnus Dei ab initio mundi occiſus ſuo ſanguine fundauit Eccleſiam, in qua elegit cohabitare cum filijs hominum, huius eccleſiæ columina & patronos Reges & Cæſares in terra conſtituit: ait enim per Prophetam,* Erunt Reges nutricij tui, & Iſa.49.23. reginæ nutrices tuæ. *Audite Reges, audite Principes, Rex regum & dominus dominantium, qui vos creauit, vobis ſuam ſponſam manu tuendam, mammis lactandam dedit: & ſane ſic fieri decuit,* nam vos eſtis dij terræ, *in vobis lucet imago Dei: Rex enim perſonam Dei & ciuitatis gerit. Quorſum hæc? Quorſum quæris? Hoc vnũ à te quæro; credisne Deum eſſe? Probaſti, credo. Sed hoc nõ eſt ſatis; credisne eundem trinum & vnum eſſe? Id quoque probaſti, credo. Cum ſit poteſtate infinitus idem Deus, mundum & hominem ex nihilo creaſſe credis? Non nego. At homo ingratus fuit, lapſus*

Eccleſia. Pſal.81.

est, Christum venturũ promisit Deus, an etiam hæc credis? quid ni? Hic Christus nunc venit, sanguinem fudit, precium persoluit, ciuitatem Dei struxit, Reges ac principes in eâ vt nutricios & nutrices constituit. Hæc omnia concedo: duc quid velis? Dicam; si hæc sint vera cur castè & religiosè non viuis? Cur rectas semitas virtutis nõ sequeris? Cur Machiauelli omniumq; pseudopoliticorum Idola non execraris? Ciuitatem Dei decet sanctitudo vitæ non astutia, religio non turpitudo, pietas, quæ est vera sapientia, non hypocrisis, quæ est insidiosa malitia, & inescatio hominum. Pulchrè tu quidem, quasi verò Aristoteles tuus (in quẽ nunc scribis) vnquã de religione somniauerit. Non somniauit certè, sed eam oppido vigilans persuasit: quippe nullam rempublicam sine virtute, nullam politiam sine iustitiâ, nullam ciuitatem sine religione constare posse, vbiq; in his politicorum libris demonstrauit. Liquido quidem constabunt hæc tibi, si proximum caput legere non graueris. Mihi sanè nunquam persuadebis Philosophum ad hanc (de quâ nunc agis) religionem in his libris de republica nos adhortari. Id non contendo, scio equidem ignorasse. Veruntamen vt erubescas & dico & affirmo Philosophum Deum agnouisse, adeoq; asseuerasse non sine Deo, non sine virtute, non sine cultu Dei, hoc est non sine religione ciuitates aut constare diu aut administrari posse.

Esai. 49.

Religio.

*Age vtrunq; vrges, certũ est religione & pietate respub. & imperia plurimum eneruari. Blasphemè quid id doces? Vide Iudæorũ sceptrum, à quo Christus venit; vide Romanorũ Imperium, à quo Christi religio in vrbem repsit: nonne illud in puluere, nonne hoc elũbe & sine neruis vides? Insanis profectò si id religioni attribuis, quod sceleri & impietati hominũ attribuẽdũ vides: nõ enim religio Christi, sed Christi proditio Iudæorum gloriam: non religio sed superstitiosa ambitio Romanorum imperium sustulit: hoc olim (quod obijcis) vanissimè obiecerunt Pagani, sed Orosius venerabilis ille sacerdos 7 libros egregiè in istos scripsit, in quibus Imperiũ ciuile religione firmiùs muniri, quàm vlla ex parte labefactari probat: si enim Deus & reges & regna dedit, quid magis reges & regna decet quã religio, quæ est cultus & adoratio Dei?*

Coperus in Thesauro.

*Exempla in hac re desiderari non possunt, historias sacras & prophanas legite, toties populus Dei miraculosè vicit, quoties seriò religionem*



*religionem coluit: ab eâ quoties defecit, toties vt puluis ac stipula coram hoste fugit. Græci (vt constat) augustum diu tenuerunt imperium, at contemptâ religione in vallum suorum phantasmatum præcipitanter lapsi, velumq; Tartareæ ignorantiæ non sine iacturâ imperij sub Turcica tirannide & olim diu senserunt, & nunc (proh dolor) sentiunt. Sed vt propiùs accedam: In Anglia successores Æduini nempe Osricus & Eanfridus statim postquam à luce Euangelij ad pristinam Idololatriam defecerunt, sperantes se eo modo & persecutionem posse effugere, & incolumitatem regni posse tueri, regnum simul & vitam amiserunt: regnum ergo sine religione est corpus sine animâ, est enim lex regum pia religio, cuius cultores nec vult, nec potest Deus relinquere. Valeant igitur & facessant longè Machiauellani, valeant Athei, magi & magici nostrorum temporum, qui in Deum, in Christum, in religionem tanquam in pestes ciuitatis submurmurant: sentient, sentient (inquã) illi tandem Gygis annulum fallacem esse, & Respublicas sine Deo, sine Christo, sine religione manere non posse: est enim ciuitas tanquam sphæra, cuius immobile centrum iustitia, cuius lineæ rectæ vitæ actiones, cuius circumferentia sine principio, medio & fine Deus: hinc nomen meo nunc demum libro impono, Sphæramq; reipublicæ ac ciuitatis appello; quippè in eo Philosophum sequutus, omnia ad centrum Iustitiæ, ad lineas honestæ vitæ, ad circumferentiam diuinæ prouidentiæ (quæ mundi globum ad arbitrium vertit) omnino referenda volo. Si moueatur hoc centrum, si incurruentur lineæ, si extra circulum viuatur in vrbe, ciuitate, imperio; mortem, ruinam, miseriam videas: nam tolle iustitiam, quæ vitaq; tolle virtutem, quæ anchora? Deum tolle, quæ beatitudo ciuitatis manet? Iterum ergo duco, valeant Machiauelli Tragicæ comædiæ, in quibus actores sine Deo viuunt, in quibus spectatores à centro iustitiæ ad fraudem, à linea virtutis ad licentiam vitæ, à gyro diuinæ prouidentiæ in malorum abyssum, à cultu Dei & religione in Christi contemptum vel potiùs odium pertrahuntur.*

Beda lib. 3. hist. cap. 1.

Conclusio.

*Sed dices, hic annus mundi climactericus est, infestaiam sidera minitantur malum, vulpes & vultures vbiq; sunt, qui fraude non fide, gladio nõ religione, vi non lenitate aut prece vinci ac superare*

Ratio nominis huius libri.

Periculosum est Machiauellum legere.

*perari debent. Quid audio? Climactericus hic annus mũdi est. Vnde id nosti? Olim Sybilla docuit. Quid docuit Sybilla? Audies vt Leouitius refert. Eloquere.*

Post mille expletos à partu Virginis annos,
Et post quingentos rursus ab orbe datos,
Octogesimus octauus mirabilis annus
Ingruet, is tecum tristia fata feret. *Perge.*
Si non hoc anno totus malus occidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumque ruent:
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atque retrorsum
Imperia, & luctus vndique grandis erit.

*Quid hinc infers? Quid concludis? An ideo nos tanquam Cambales sine fide & religione viuere contendis? Immo si hæc fata ominantur sidera, cur sanctiùs non viueres? Cur deum magis non timeres? Sed dic mihi, quî nosti hæc vera esse? An omnia Sybillæ folia, Merlini somnia, Chauceri de rebus futuris carmina, pro oraculis tibi habentur? Audi ergo veriorem prophetam. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent & saluent te Augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex eis nuntiarent tibi. Quid vltrà? Quid vltrà quæris? Suadeo ne sis nimis credulus quod est temeritatis, suadeo etiam ne nimis securus & supinus in laqueos incidas. At qui caueam cum totus mundus prauus sit & in maligno positus? Audi,*

In proœmio.

Isa. 47. 13.

Sebastianus Brant. cap. de contemptu æternorum gaudiorum.

Transibit Mundus, transibunt gaudia mundi,
Transibit pariter quicquid in orbe viret.

*Urges tu quidem, sed vbiq; sunt astuti & insidiosi homines,*

Cernimus & tales hominum sine fide rumas,
Cernimus occasus, cernimus exitia.

*Suasisti penitus. Quid restat? Id solũ q; diximus, vt credamus Deũ esse, & viuamus piè: si hæc fecerimus omnia Epicureorũ & atheorũ Idola, vt Dagon corã archâ cadent: nam vt luce solis nubes, ita virtutis radijs densæ atheismi tenebræ dissipantur. Vides (Christiane lector) fundamentum quod ieci Ethnici politica expositurus, hoc tibi persuasum velim quod ille voluit, nimirum Deum esse, adeoq; sine religione ciuitatem nec esse nec diu florere posse. Superest nunc tandem vt breuissimè dicam rationem huius interpretationis meæ.*

1. Reg. 5. 4.

Pri-



*Primùm quidem librorum omniũ omnia capita & in eis singula argumenta Aristotelem authorem secutus, more dialecticorum reseraui. Dialecticorum more dico, vt studiosus lector artem rationis necessariam ad omnem scientiã esse intelligat, nec non eiusdem vsũ & fructum simul percipiat: si plura me argumenta quã quæ in textu sunt, aliquando intriuisse viderit, idipsum Interpretibus quos sequor acceptum feret. Interpretes autẽ quos sequor nominatim sunt, Thomas. Donatus, Verso͂r, Borrenus inter veteres: Victorius, Sepulueda, Freigius, Osyrus, Regius, aliiq; tũ Gallitum Itali inter neotericos & recentes. In exponendo textu tria proposui, argumentorum seriem in qua ordo, quæstionẽ in quâ lis & distinctio, dubium in quo quadam lectoris recreatio inest. Recreationis autem causa in quouis ferè capite dubia perpolui, ne studentium animi longiore expositionis penso trahendo fatigati, nullo ingenij sale ad nouum excitentur eorum, quæ sequuntur, studium. Libri octo sunt, seges eorũ amplа, legendi messis fructuosa. In primo libro ciuitatis partes, in secundo Philosophorum de ciuitate lites, in tertio species, in quarto magistratus & honores, in quinto conseruationis & euersionis causas, in sexto gubernãdi modos & leges, in septimo diuinæ reipublicæ formas & ideas, in vltimo vires musicæ ciuiumq; mores cum Aristotele describo. Labores quos in his libris sumpsi, & eorum partum (vt spero) non abortiuum tibi solùm commendo, te autem deo. Plura etiam polliceor si angustiæ mearum rerum & infirma valetudo (quæ nunc potiùs ad sepulchrum quàm ad prælum tendit) patiantur: quippè nihil sanè in votis & optatis magis habeo quàm aurea Ægyptiorum spolia, hoc est Philosophorum opera in terram sanctam deferre, deoq; & tibi consecrare. Absurdum enim non est si abscisis virguibus & crinibus Cananita cum sanctis, filia cum matre, ancilla cum domina, Philosophia humana cum diuinâ permittatur viuere & florere.*

Vale in Christo. Anno salutis 1588. mensis Maij die 11.

*perari debent. Quid audio? Climactericus hic annus mũdi est. Vnde id nosti? Olim Sybilla docuit. Quid docuit Sybilla? Audies vt Leouitius refert. Eloquere.*

Post mille expletos à partu Virginis annos,
Et post quingentos rursus ab orbe datos,
Octogesimus octauus mirabilis annus
Ingruet, is tecum tristia fata feret. *Perge.*
Si non hoc anno totus malus occidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumque ruent:
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atque retrorsum
Imperia, & luctus vndique grandis erit.

*Quid hinc infers? Quid concludis? An ideo nos tanquam Cambales sine fide & religione viuere contendis? Immo si hæc fata ominantur sidera, cur sanctiùs non viueres? Cur deum magis non timeres? Sed dic mihi, quî nosti hæc vera esse? An omnia Sybillæ folia, Merlini somnia, Chauceri de rebus futuris carmina, pro oraculis tibi habentur? Audi ergo veriorem prophetam. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent & saluent te Augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex eis nuntiarent tibi. Quid vltrà? Quid vltrà quæris? Suadeo ne sis nimis credulus quod est temeritatis, suadeo etiam ne nimis securus & supinus in laqueos incidas. At quî caueam cum totus mundus prauus sit & in maligno positus? Audi,*

In proœmio.

Isa.47.13.

Sebastianus Brant.cap.de contemptu æternorum gaudiorum.

Transibit Mundus, transibunt gaudia mundi,
Transibit pariter quicquid in orbe virer.

*Vrges tu quidem, sed vbiq; sunt astuti & insidiosi homines,*

Cernimus & tales hominum sine fide rumas,
Cernimus occasus, cernimus exitia.

*Suasisti penitus. Quid restat? Id solũ q; diximus, vt credamus Deũ esse, & viuamus piè: si hæc fecerimus omnia Epicureorũ & atheorũ Idola, vt Dagon corã archâ cadent: nam vt luce solis nubes, ita virtutis radijs densæ atheismi tenebræ dissipantur. Vides (Christiane lector) fundamentum quod iecit Ethnici politica expositurus, hoc tibi persuasum velim quod ille voluit, nimirum Deum esse, adeoq; sine religione ciuitatem nec esse nec diu florere posse. Superest nunc tandem vt brevissimè dicam rationem huius interpretationis meæ.*

1.Reg.5 4.

Pri-



*Primùm quidem librorum omniũ omnia capita & in eis singula argumenta Aristotelem authorem secutus, more dialecticorum reseraui. Dialecticorum more dico, vt studiosus lector artem rationis necessariam ad omnem scientiã esse intelligat, nec non eiusdem vsũ & fructum simul percipiat: si plura me argumenta quã quæ in textu sunt, aliquando intriuisse viderit, idipsum Interpretibus quos sequor acceptum feret. Interpretes autẽ quos sequor nominatim sunt, Thomas, Donatus, Versor, Borrens inter veteres: Victorius, Sepulueda, Freigius, Osyrus, Regius, alijq; tũ Galli tum Itali inter neotericos & recentes. In exponendo textu tria proposui, argumentorum seriem in qua ordo, quæstionẽ in quâ lis & distinctio, dubium in quo quædam lectoris recreatio inest. Recreationis autem causa in quouis ferè capite dubia perpluui, ne studentium animi longiore expositionis penso trahendo fatigati, nullo ingenij sale ad nouum excitentur eorum, quæ sequuntur, studium. Libri octo sunt, seges eorũ amplа, legendi messis fructuosa. In primo libro ciuitatis partes, in secundo Philosophorum de ciuitate lites, in tertio species, in quarto magistratus & honores, in quinto conseruationis & euersionis causas, in sexto gubernãdi modos & leges, in septimo diuinæ reipublicæ formas & ideas, in vltimo vires musicæ ciuiumq; mores cum Aristotele describo. Labores quos in his libris sumpsi, & eorum partum (vt spero) non abortiuum tibi solùm commendo, te autem deo. Plura etiam polliceor si angustiæ mearum rerum & infirma valetudo (quæ nunc potiùs ad sepulchrum quam ad prælum tendit) patiantur: quippè nihil sanè in votis & optatis magis habeo quàm aurea Ægyptiorum spolia, hoc est Philosophorum opera in terram sanctam deferre, deoq; & tibi consecrare. Absurdum enim non est si abscisis vnguibus & crinibus Cananita cum sanctis, filia cum matre, ancilla cum domina, Philosophia humana cum diuinâ permittatur viuere & florere.*

Vale in Christo. Anno salutis 1588. mensis Maij die 11.

## FRANCISCVS WILLIS
*Vicecancellarius Oxon.*

QVIS verum neget augurium mirabilis anni?
Aurea iam redijt post ferrea secula proles.
Cælicolæ liquêre polum, terraque locantur.
Infima supremis concertant sidera signis.
Vna Deos eademque herôas sphærula pandit.
Virgo tenet solium, virgo tenet inclyta centrum.
Vtraque complexu virtutem continet omnem.
Altera vt Astræa est, sic altera ad astra feretur.

## LAVRENTIVS HVMFREDVS.

NON petis à nobis versus Casæe modosue,
Recte: non possum scribere, febricitans.
Num pumex vndas fundet? Num carduus vuas?
Nosti febriculam somnia vana dare.
O Deus assideas clauo sphæramque gubernes,
Atque tuâ dextrâ publica quæque regas:
Florcat vt regnum, respublica tota beetur,
Vt sanctum ac sacrum sit politeuma Dei.

## EDOARDVS CRADOCCVS.

*CASE precor pergas, & plura volumina scribas:*
*Inuideant alij: gloria iusta tua est.*
*Ne dubita, dabitur tibi iusta aliquando corona,*
*Posteritasq; tuum grata reuoluet opus.*

## EDMVNDVS LYLIVS.

LEX, natura, deus, ratio, virtus, decor, vsus,
Vtilitas, pax, ordo, salus, solamen, honestas;
Suadet, alit, firmat, iubet, auget, conficit, vrget,
Iungit, init, decorat, retinet, conglutinat, ornat;
Iura, vrbes, ciues, socios, fora, fœdera, leges,
Regna, tribus, classes, thalamos, commercia, cœtus.
Orbis in vrbe micat; quid multa? hanc aspice sphæram,
(Aspexi) inuenies quicquid tibi dulce putatur.

## MARTINVS HETON.

QVOD lux obscuris, dumeto semita, clauis
Occlusis, riui fontibus esse solent:

*Illud*

*Illud Aristoteli, tua commentaria, Case,*
*Præstant, ingenij dexteritate tui.*

*MAT. GWINNE almæ Academiæ Procurator.*

MOSES Hebraicè scribens Deus, & Plato Moses
Ore loquens Græco, Plato Tullius ore Latino,
Iura ferunt, Moses, Plato, Tullius, optima iura.
Relligione Casus Mosen, grauitate Platonem,
Eloquio sequitur Ciceronem: ciuica iura
Dictat Aristoteles, qui vincit in omnibus omnes,
Semet in hoc; parilis methodo, grauitate, lepore,
Proprietate thori melior, soboliscque, reiq; :
Omissâ pietate minor Stagirita Platone.
Vicerunt libros tabulæ ter quattuor omnes,
Has tabulas tabulæ binæ bis quinq; iubendo,
Omne ferat punctum, tabulas qui iungat vtrasq;.

*J. PRIME IN J. C. SPHAERAM distichon.*

*NON caret effectu prædictio temporis huius:*
*Annus enim* SPHÆRAM *protulit iste nouam.*

*EIVSDEM.*

*Noscere cælestes vt sit satis vtile sphæras,*
*Vtilis at Casi ciuica sphæra magis.*

*JOH. LYLII ad Aulicos decasticon.*

POLITICVS fieri vult Aulicus, Aulice fies,
Sed tamen vt fias Aulice quid facies?
Ibit in extremum feruens labor ocyùs orbem?
Crede mihi, longa est hæc via, vita breuis.
Præteriti euolues tot mille volumina sæcli?
Non regnum ranti vel vagus orbis erit.
Casus vbiq; valet, cecinit sic Naso: sed audi,
Non casu vtendum est, vtere quæso Caso.
Consilium, ingenium, & quicquid regum micat aulis
Ex Casi hoc certum est emicuisse casa.

*NICOLAVS MORICIVS.*

*VRBIS sphæra voluta tua molimine dextra*
*Crede mihi, æthereos fundit ab axe sonos.*
*His tamen abiectis sphæris quas voluis in vmbrâ,*
*Vrbis cœlestis volue reuolue globum.*

DOC-

# DOCTISSIMO ATQVE HVMANISSIMO VIRO IOHANNI CASO S.

*QVIS te, CASE, deinc putabit orbum,*
*Tribus filiolis patrem beatum?*
*Cui primum* LOGICE *puella nata est,*
*Præstans iudicio, sagax, pudica,*
*Et verè ingenij puella magni.*
*Excepit Soboles virilis illam*
MORALIS, *referens magis parentem,*
*Iustus, magnanimusq́, liberalis,*
*Temperansq́ sibi, omniumq́ clarus,*
*Virtutum cumulo decentiore.*
*En, nouissimus exijt Polites,*
*Diuinus, iuuenis, scienſq́ rerum,*
*Natusq́ imperijs præesse magnis,*
*Cui mores hominum vrbiumq́ noti:*
*Omnes ingenio tuo creati,*
*Vt nata est cerebro Iouis Minerua.*
*Omnes nobilitant patrem, senioq́*
*Annos restituent, moriq́ famâ*
*Vetabunt solidâ, potente, longâ.*
*O te filiolis tribus beatum!*

GVLIELMVS
GAGERVS.

# GVLIELMI PADDY *MEDICINÆ STVDIOSI* *Carmen.*

ARTIS Aristoteles moriens tibi credidit omne
Arcanum innumeris CASE voluminibus.
Defuncto officium, patriæ ter gratus amorem
Soluisti, trinos parturiendo libros.
Infractâ quantos vicisti mente labores,
Insigne hoc præstat sedulitatis opus.

FINIS.

# *QVÆSTIONES ET DVBIA QVÆ IN* octo libris Politicorum continentur.

## IN PRIMO LIBRO.


VLla sit efficax & vera politia sine virtute? pag. 1.
Ciuitas sit obiectum politicæ scientiæ? pag. 8.
Ciuitas præstantissimi boni causâ sit instituta? ibidem.
Despoticus, œconomicus, politicus, & basilicus specie & naturâ differant? ibidem.
Societates naturales, ex quibus coalescit ciuitas, rectè distinguantur? ibidem.
Ciuitas sit à natura? pag. 19.
Homo sit animal politicum aut ciuile à natura? ibidem.
Solitaria vita sit toleranda in ciuitate? ibidem.
Ciuitas sit domo prior? ibidem.
Domus solùm ex trina societate, herili, nuptiali & paterna constet? pag. 28.
Possessio rerum à nobis partarum, aut à maioribus relictarum, sit pars familiæ? ibidem.
Seruus rectè definiatur, & an sit à naturâ? ibidem.
Liceat fœminis imperare? ibidem.
An Præter seruum à natura sit seruus lege? pag 43.
An Capti bello sint verè serui? ibidem.
An Nobilitas sit à naturâ? ibidem.
An Vlla sit amicitia domini cum seruo? ibidem.
Ratio acquirendi pecuniam sit re eadem cum arte administrandi familiam? pag. 53.
Ratio acquirendi pecuniam sit pars domus vel ministra? Et si sit, vtrum instrumentum vel materiam præbeat? ibidem.
Ratio quærendi victum sit à natura? ibidem.
Ad hominis vsum omnia fiant? ibidem.
Commutatio rerum sit naturalis & licita in republica? pag. 64.
Indigentia sit causa commutationis? ibidem.
Multitudo pecuniarum sint veræ diuitiæ ciuitatis? ibidem.
Pecunia sit necessaria ad commutationem? ibidem.
Medicina sit pars æconomiæ? pag. 75.
Vsura sit licita aut toleranda in ciuitate? ibidem.
Vxor, filius & seruus eodẽ modo regi & gubernari debeãt? pag. 84.
Sit eadem parentis & imperantis virtus? ibidem.


### DVBIA.


AN animus corpori imperio herili? & pag. 42.
An mens appetitui imperio ciuili præsit? ibidem.
An ex bonis boni naturâ generentur? pag. 42.
An bellum in feras & barbaros sit legitimũ & naturale? pag. 63.
Vtrum licitè in infinitum expetantur diuitiæ? pag. 74.


Vtrum

Vtrum liceat cum Thalete res vili emere vt eaſdem ſtatim vendamus cariùs? pag 83.
An maximum decus fœminæ ſit ſilentium? pag.91.

IN LIBRO SECVNDO.

VNITAS in communitate omnium magis diſſoluat quàm conſeruet ciuitatem? pag 93.
Magiſtratus debeat eſſe perpetuus? ibidem.
Vxores & liberi debeant eſſe communes? pag.103.
Nuptialis coniunctio viri & fœminæ, adeoque diſtincta cura habenda ſobolis ſit ex iure naturali? ibidem.
Rerum ac poſſeſſionum communitas ſit legitima? pag.117.
Definitus numerus ciuium præſcribi debeat? pag.126.
Æquatio bonorum ſit toleranda? ibidem.
In rectè adminiſtrata ciuitate cuique liceat prout vult ac poteſt diuitias accumulare? pag.135.
Liceat auitas hæreditates vendere? ibidem.
Res militaris pacis tempore exerceri debeat? ibidem.
Sacra Deo offerentibus partem reipub. poſſidere liceat? pag.147.
An Iniuria, damnum, cædes tantùm ſub iudicium cadant? ibidem.
In bene adminiſtrata ciuitate ſummum debeat eſſe tribunal ad quod appellatio fiat? ibidem.
Filij in bello occumbentium pro patria publicis ſumptibus alerentur? ibidem.
Meliore lege inuentâ prior ſit abroganda? ibidem.
Serui indulgentiùs vel aſperiùs in ciuitate tractari debeant? 162.
Tutiùs diuites quàm pauperes in magiſtratum eligantur? ibidem.
Ad reddẽdã officij rationem impelli debeat magiſtratus? ibidem
Aliquis cogi poſſit ad magiſtratum? ibidem.
Nullâ lege datâ contingat offendere? pag.173.
Liceat ſponte ſuſceptum deſerere magiſtratum? ibidem.
Diſſentientibus principibus viris ciuitatis, litis populo dijudicandæ plena poteſtas detur? pag.180.
Liceat vni plures vnà ſuſtinere magiſtratus? ibidem.
Innocens falſò accuſatus iuſtè aliquãdo condẽnari poſſit? pa.189.

DVBIA.

AN vnitas ordinis conſeruet ciuitatem? pag.100.
An multiplicatio vxorum politicè ſit approbanda? pag.115.
An armorum poſſeſſio ſeruis interdicenda ſit ne communitati ſtudeant? pag.124.
An fœminæ bellum vnà cum viris gerere debeant? pag.133.
An opifices ſint ciues? pag.145.
An melius ſit viuâ voce quàm ſcriptâ tabulâ iudicem in foro ſententiam ferre? pag.160.
An conuiuia publica celebrari debeant in ciuitate? pag.171.
An liceat populo impedire magiſtratum quò minùs in iudicio ſententiam ferat? pag.178.

An

An liceat magiſtratum emere? pag.
An ebrius flagitium committens grauiore pœnâ ſit affligendus, quàm ſi ſobrius commiſiſſet? pag.193.

IN TERTIO LIBRO.

CIuis & ciuitas rectè definiantur? pag.195.
Mutato ſtatu reipub. idem ciuis maneat? ibidem.
Ciuitas à loco numeroque hominum eadem vel diuerſa dicatur? pag.207.
Eadem ſit virtus boni viri ac boni ciuis? pag.211.
Magiſtratus vir bonus eſſe debeat? ibidem.
Diſciplinam obtemperandi perdiſcere principibus expediat? ibidem.
Reſpublica rectè definiatur? pag. 224.
Vltimus finis ciuitatis ſit honeſtè & beatè viuere? ibidem.
Tantùm ſint tres ſpecies rectæ reip. totidemq; nõ rectę? pag.233.
Rectæ definiantur ſingulæ? ibidem.
An Actio virturis ſit ſola menſura diſtribuendi honoris? pag. 242.
Fœderatæ ciuitates inter ſe eandem rempub. efficiant? ibidem.
Populus vel tyrannus, diuites vel probi viri, optimus vnus vel lex rempu. adminiſtrare debeat? pag.251.
Expediat magis populum quã paucos ſtudioſos imperare? ibidem.
Summum imperium concedatur populo? ibidem.
Cuiuſlibet boni excellentia ſit honore aliquo ciuili remuneranda? pag.268.
Species monarchiæ rectè aſſignentur? pag.282.
Ciuitas melius ab optimo rege quàm ab optima lege adminiſtretur? pag.291.
Rex potiùs ſucceſſione quàm electione ſit creandus? ibidem.
Quæ non ſunt deciſa lege magiſtratus arbitrio relinquantur? 300.

DVBIA.

VTrum pacta tyranni mutato ſtatu ſeruari debeant à ciuitate? pag.205.
Vtrùm expediat politico diſtinctè ſcire ciuium, vrbium, portuumque numerum in ſua repub. pag.210.
An opifices ſordidi ac mercenarij decem totos annos à foro & mercaturâ deſiſterent, ſuiſque acquiſitis opibus honeſtè viuerent, antequam ad magiſtratum ſint admittendi? pag.222.
An princeps ſapienti medico, propitio patri, vigili gubernatori, bono ac ſtudioſo paſtori rectè ab Ariſtotele comparetur? pag.231.
An bona ſit diuiſio reipublicæ in rectam & non rectam? ibidem.
An libertas populi ſit cauſa litigandi pro imperio? pag.241.
An aliquis poſſit eſſe iudex in ſua ipſius cauſa? pag.248.
An monarchia ſit optimus ſtatus reipublicæ? pag.261.
Vtrum in ferendis legibus vtilitas potiùs bonorum quàm totius multitudinis ſpectari debeat? pag.273.

Vtrum

Vtrum ostracismus in bene instituta ciuitate sit approbandus? hoc est an liceat insigniter excellentes viros ad tempus in exilium mittere & relegare? pag.275.
An naturalis sit monarchia præstantis virtute viri? pag.281.
An rex necis & vitæ potentiam in suos ciues habeat? pag.288.
An satellitium regibus sit necessarium? pag.299.

IN LIBRO QVARTO.

POlitici sit reipub. optima species, differentias, vires & leges describere, tametsi talis nusquam potest existere? pag.306.
Tyrannis sit deterrima labes reipub. pag.315.
Differentiæ rerump. rectè assignentur? pag.323.
Decreta populi pro legibus habeantur? pag.329.
Formâ ciuitatis mutatâ eædem leges ad tempus sint retinendæ? pag.338.
Nothi sint ciues? pag.345.
In simplici aristocratia idem sit vir bonus ac ciuis bonus? pag.351.
An optima institutio legum sit vt ijsdem latis pareatur? pag.356.
An in politia diuitum pauperumque filij eodem modo educari debeant? pag.362.
Liceat tyrannũ patri legitimè succedentẽ è vita tollere? pag.369.
Ciuitas ex medijs ciuibus composita sit præ alijs reipub. formis politicè eligenda? pag.374.
Egentes ac mendici sint in ciuitate tolerandi? pag.374.
Pro qualitate & quantitate ciuium omnis respub. sit temperanda? pag.381.
Liceat in politia sophismatis populum decipere. pag.387.
Senatus rectè definiatur ac destinguatur? pag.393.
Rectè definiatur magistratus? pag.399.
Electio magistratus per sortes in repub. approbetur. ibidem.
De minimis inter ciues contentionibus forense fieret iudicium? pag.410.

DVBIA.

AN difficilius sit deprauatam rempub. corrigere quàm ab initio nouam constituere? pag.312.
An præstet labes reipub. ignorari à populo quàm à politico demonstrari? pag.320.
An equi ad bellum alendi sint in ciuitate? pag.327.
An assentatores aulici sint causæ tyrannidis? pag.336.
An deterior sit simplex oligarchia quàm mixta? pag.344.
An liceat magistratibus mercedem sumere? pag.349.
An expediat magis aristocratiam simplicem quàm mixtam florere? pag.355.
An liceat legibus malè latis parêre? pag.360.
An iustè in politia irrogetur mulcta recusantibus officiũ? pag.368.
Vtrum magnæ ciuitates paruis sint diuturniores? pag.380.

An periculosum sit plus diuitibus in repub. quàm multitudini tribuere? pag.385.
An cuiuis liceat in repub. arma possidere? pag.391.
Vtrùm sacerdotes in repub. ciuilem magistratum gerãt? pag.407.
An cædes inuoluntaria homicidij pænam mereatur? pag.415.

IN LIBRO QVINTO.

SEditio ciuium sit primum conuersionum seminarium in omni statu ciuitatis? pag.419.
Vlla sit propensio humanę naturę ad mutationẽ rerũpub. pag.427.
Causæ seditionis rectè assignentur? pag.431.
Nobilium factio sit maxima pestis in ciuitate? pag.439.
Democratia sit maximè obnoxia mutationi? pag.445.
Causæ conuersionum in oligarchia rectè assignentur? pag.451.
Causæ conuersionum in aristocratia & politia rectè assignentur? pag.457.
An Causæ conseruantes remp. sint corrũpentibus contrariæ? pag.465.
An Minimis malis exortis in ciuitate remedium præsens adhiberi debeat? ibidem.
Ad munus principis necessariò reipub. dilectio, potentia & iustitia requirantur? pag.477.
In duce exercitus eligẽdo potiùs scientia rei militaris quàm amor virtutis aut ciuitatis spectari debeat? ibidem.
Regnum & tyrannis rectè distinguantur? pag.484.
Regibus cõueniat academias tollere, artiumq; scholas prohibere? pag.495.
Sit certa & fatalis regnorum periodus? pag.510.

DVBIA.

VTrum seditio sit toleranda potius quàm per tyrannum deuastetur ciuitas? pag.425.
Vtrum periculosa sit in rempub. peregrinorum admissio? pag.437.
Vtrum magici eorumq; fautores capitali pœnâ iustè sint plectendi? pag.443.
Vtrum in ductoribus populi eloquentia causa sit, quò minùs seditiones fiant? pag.449.
Vtrũ adulatores populi permittẽdi sint in ciuitate viuere? pag.455.
Vtrum liceat nobilibus viris quocum velint affinitatis iure se copulare? pag.461.
An tutius sit paruos honores diu quàm breui spatio magnos concedi? pag.473.
An ludi & chori in ciuitate permitterentur? ibidem.
Vtrum tyrannis possit esse diuturna? pag.490.
Vtrum rex publicâ famâ laborans regno priuari debeat? ibidem.
An liceat exploratores & auscultatores passim collocare? pag.506.
An permittenda sit omnibus de regibus loquendi libertas. ibidem.
Vtrum ad bene administrandam rempub. vlla cœli influentis ratio sit adhibenda? pag.518

Vtrum facilior sit in formam vicinam quam in extremam rerumpublicarum conuersio? ibidem.

IN LIBRO SEXTO.

Officium sit bonorum principum rerumpublicarum labes vi & armis dissoluere? pag.523.
Ciues in democratia maiorem quàm in regno & optimatum potentia libertatem habeant? pag.530.
Expediat, si ciues pari numero in senatu dissentiant, res magnas per sortes definire? pag.534.
In democratia agricolæ pastoribus & mercenarijs sint præferendi? pag.540.
An Bona damnatorum potiùs deo, quàm principibus pauperibusq; in republica consecrentur? pag.553
Oligarchia in omnibus democratiæ contrarietur? pag.563
Pessimæ rerumpublicarum formæ firmiora semper postulent præsidia? ibidem.
Athletarum palæstræ in ciuitate rectè instituta sint permittendæ? pag 569.
Nobiles ex officio templa deo, palatia vrbi consecrare debeant? ibidem.
Magistratus rectè in suas species diuidantur? pag. 577.

DVBIA.

Vtrum vulgus ad studiũ agriculturæ incitari debeat? pag 550.
Vtrum falsi accusatores eisdem pœnas subirent quas alijs intenderint? pag.560.
Vtrum ludorum magistri in rectè instituta ciuitate sint permittendi? pag.584.
Vtrum expediat eundem dare & exequi sententiam mortis? pag.585.
Vtrum ad disciplinam intemperantium fœminarum creandi sint magistratus in ciuitate? pag.586.

IN LIBRO SEPTIMO.

Ciuilis beatitudo magis in internis quàm externis consistat bonis? pag.587.
Sit eadem beatitudo ciuium ciuiusque & totius ciuitatis? pag.549.
Legitimum ac iustum sit bellum inferre finitimis quò augeatur imperium? ibidem.
Optima vita ciuium magis theorica esset quàm practica, magisq; in virtutibus mentis quàm moris poneretur? pag. 601.
An Magnitudo ciuitatis sit hominum numero vel potentiâ definienda? pag.607.
Vna vrbs magna seu metropolis debeat esse in quauis regione, eiusdemque situs prope mare? pag.611.
Classis bellica & nauales copiæ sint in omni metropoli necessariæ? pag.617.
Peregrinatio sit vtilis? ibidem.
In temperatis regionibus ac climatibus mundi habitantes sint ad praxim politicæ scientiæ omnium docilimi? pag.619.
Omnia (sine quibus constare non potest ciuitas) sint vere partes ciuitatis? pag.634.
Sordidi artifices creari possint sacerdotes? Quaque ætate sint initiandi? pag.638.
Agri cultores in beata ciuitate debeant esse barbari & serui à natura? pag.643.
Vrbes orientem & septentrionem versùs sint salubriùs sitæ quàm quæ meridiem solisque occasum spectant? pag.647.
Vrbes mœnibus, castris, turribusque circumcingi & munri debeant? ibidem.
Prope sacras ædes, forumque liberum artificibus sordidis habitare liceat? pag.655.
Essent in omni vrbe loca celebriora in quibus cuiusq; facultatis ciues dilectè epulentur? ibidem.
Consideratio medij & finis omnem actionem vitæ præcederet? pag.661.
An Ad beatos ciues efficiendos plus ratio quàm natura aut disciplina valeat? ibidem.
Sit è re ciuitatis vt iuuenes in ea magistratus gerant? pag. 667.
Fœlicitas moris ad fœlicitatem mentis tanquam ad bonum perfectius & nobilius referatur? ibidem.
In bello fortitudo & constantia, in pace philosophia, in vtroque temperantia & iustitia virtutes sint necessariæ? pag.674.
In disciplinâ ac institutione virę prior corporis & appetitus quàm mentis & rationis cura haberi debeat? ibidem
Liceat in bene institutâ repub. pueris & adolescentibus vxores ducere? pag.680.
Ad vitandam nimiam multitudinem ciuium liceat abortum facere? ibidem.
Lacte solùm eodemque potiùs matris quàm nutricis alerentur infantes? pag.689.

DVBIA.

AN virtus splendorem ab animo, vel animus à virtute habeat? pag.592.
An beatitudo in Deo sit accidens? pag.593.
An ciues à magistratu cognosci & distingui debeant? pag.611.
An iure seuerius in notos (si peccent) quàm in ignotos animaduertere liceat? pag.634.
An adulterium sit per se malum? & an in eo plus vir quàm mulier peccet? pag.688.
An infantes frigori sint assuefaciendi? pag.695.
An permittendum sit vt sæpe plorent pueri? ibidem.
An liceat pueris cum seruis versari, picturas videre, fabulas audire? pag.696.

An { Disciplina seu institutio adolescẽtũ publica esse debeat? pa.697
Adolescentes ad honores ciuiles admittendi liberales scientias absolutè & accuratè perdiscerent? pag.701.
Musica in omni humanæ vitæ statu sit vtilis? pag 708.
Vtile sit pueros gymnasticæ arti assuefieri? pag.719.
Musica solatij potiùs quàm virtutis causâ sit perdiscenda? pa.720.
Vita contemplatiua magis quàm actiua musicâ indigeat? ibidem.
Vocalis & instrumentalis musica omni ætati conueniat? pag.728.
Musica fistularis à repub. exterminari debeat? pag.728.
Musica conducat ad tria? pag.734.

DVBIA.

An ars pingendi sit pueris & adolescentibus perdiscenda? pag 714.
An corporis labor ingenij vires frangat? pag.719.

## *I. VNDERHIL. S. THEOL. Doctoris, Carmen.*

SPhæra figura aliâ quacunq; capacior extat,
Exteriùs teres est, interiùs solida est.
Sic tua sphæra Case est, nam plurima & optima pandit
Multiplici & solidâ cognitione liber.
Quodq́; erit astronomis ea cælica sphæra futuris,
Hoc est iudicibus ciuica sphæra tuis.

## AD VRANIAM, QVAE SPHAERAM enixa est ciuilem, prosopopœia.

*Musa Sphæræ speculatrix.*

*VRANIA Herculeo clypeo te protege, Musa Oxoniensis opem quære Oxoniensis alumni.*
*Oxoniensis Atlas sphæræ Oxoniensis, & Anglus*
*Anglæ, inconcussâ ceruice attollet vtramq;.*
*Præsidet illustris stellato* HATTONVS *in orbe;*
*Sustinet* HATTONVS *ciuilem illustrior orbem.*



# PROLEGOMENA.

*An vlla sit efficax & vera politia sine virtute?*

SCRIBENTI de repub. illud Arist. sæpe in mentem venit, Oportere optimam ciuitatem de virtute maximè esse solicitam. Senſit vir sapiens nullam pestem esse maiorem in ciuitate quàm morum licentiam, nullam luem in repub. esse tetriorem quàm improbitatem. Nam vt delicatè viuentium corpora laxatis & dissolutis neruis languida redduntur, discordiaq́; elementorum corrumpuntur: ita malis ciuium moribus inermes fiunt ciuitates, eorumq́; perfidiâ magna sæpe deuastantur imperia. Sapienter olim Antisthenes. Ciuitates inquit tum quidem cadunt & intereunt, cum boni nequeunt à malis discerni. Ne ergo quis putet sic à me scribi de politicis, vt refractis quasi omnium virtutum repagulis cuiuis quod libet liceat, hanc in ipso vestibulo necessario mouendam quæstionem putaui, An vlla sit efficax & vera politia sine virtute? Machiauellus Florentinum illud monstrum affirmat esse: Socrates, Plato, Arist. omnesq; & singuli, qui verè philosophantur, negant. Ille [a] sine fide, [b] sine clementia, [c] sine religione, [d] sine vlla denique virtute rectè administrari remp. (nescio quo dæmone obsessus) dixit: hi verò sine his labefactari, imò penitus extingui & deleri verissimè demonstrârunt. Sed audiamus belluam, sic enim loquitur. Fides, clemẽtia, liberalitas omnes deniq; virtutes sunt damnosę ciuitati. Loquatur iterum, nam hoc est parum; Principi peierare, fallere & dissimulare sine vlla dubitatione licet. Piè profectò loquitur, eloquatur sæpius. [a] Religio animos hominum deprimit, [b] segnicia subditos in officio retinet. De-

Lib. 3. Pol. Virtutis in politia necessitas.

Antist. apud Diog. Lib. 6.

Lib. de princip. Cap. 15. Machiauelli improbitas.

Cap. [a] 18. [b] 17. [c] 18. [d] 15.

Lib. de principe. Cap. 18.

[a] Comment. in Liu. li. 2. Ca. 2.

[b] Cap. 17.

lectat hic sermo, adhibeantur reliqua. [c] Fælix est princeps quem populus non diligit, [d] tuta est ciuitas quæ dissidia & factiones nutrit; Rex ille sapiens qui boni publici studiosos & amantes tollit. Dic quæso, an plura? Sexcenta sunt alia, istis longè pulchriora. Pulchra appellas? O miseram ætatem quæ istud portentum aluit! ô miseriorem quæ recepit! ô miserrimam quæ tam pestiferi impostoris monumenta scelere & veneno plena, vbique legi, vendi, & edisci sinit! Hæc scripsi vt politicorum studio addicti intelligant, me Machiauellum odium dei ac hominum, tanquam canem & anguem in hisce præceptis fugere ac detestari. Nam quamuis multa in illo speciem sapientiæ habent, tamen quia plus fellis quàm mellis, sceleris quàm virtutis nobis propinat; non legendum, non audiendum censeo. Nam vt Paracelsus in medicinâ: ita Machiauellus in suâ politiâ facit. Ille sua pharmaca specie pulchra, precio magna, essentiâ & proprietate mirifica, at non sine interitu corporis: Hic sua præcepta prima fronte docta, primoque auditu rara, at non sine pernicie ciuitatis venditat. Quare vt ille est fugiendus, ne admisso intereãt homines: ita tollendus est iste, ne recepto ruant ciuitates. Oppono meipsum igitur Machiauello, eiusque axiomata de instituenda repub. ac ciuitate vt anathemata animo detestor meo, adeoque verè contra eius assertionem profiteor, sine fide, sine iustitia, sine Christo non stare ciuitatem, non esse politiam: quippe sine his armis non rex sed tyrannus, non ciuitas sed furiosa multitudo, non respub. & ordo sed horrenda confusio dicitur. Hinc philosophi & sapientes olim viri omnem politiam ad virtutis ac religionis normam referendam esse iudicârunt; quorum aliquot rationes & argumenta (quibus idipsum probârunt) hîc recensere studeo. Et vt primùm à naturâ quæ parit & alit ciuitatem exordiar; quæro, An virtutis influentiâ magis quàm morum licentiâ conseruetur natura? Conseruatur certè. Si id constet, vlterius quæro, An pater & filius, vir & fœmina, dominus & seruus, omnisque societas domus ac ciuitatis à naturæ vtero emerserit? Emersit sanè. Si id etiam in confesso sit, miror quâ fronte affirment aliqui sine

[c] Cap. 17.

[d] Comment. in Liu. lib. 1. Cap. 4.

Paracelsus & Machiauellus comparantur.

Sine Christo non est politia.

Virtus politiæ regula.

Natura virtute conseruatur.



sine virtute esse naturam, sine virtute constare ciuitatem? Quod enim est in natura monstrum, id est in ciuitate vitium: at monstrum est error & defectio naturæ; proinde vitium est horror & confusio ciuitatis. Si ergo natura sit mater & nutrix ciuitatis, & si virtus (vt ait philosophus) sit conseruatrix naturæ, sequitur quòd sine virtute nec cohæreat natura, nec vllo modo floreat respub. quæ est (vt definit Arist.) ciuitatis ordo, consensus & harmonia. His positis, dic quæso quæ politia, quæ administratio ciuitatis esse potest sine virtute? Si dicas tyrannidem, quæ est quædam constitutio reipub. adhuc manere: Respondeo, vt monstrum nec est nec appellatur natura propter defectionem ordinis: ita tyrannis nec est nec appellatur ciuitas propter defectionem virtutis. Præterea vt relictâ naturâ primam causam regum & rerum publicarum intueamur: quis nescit hominem in mente per verum, in voluntate per bonum deo, (qui est summum verum bonumq;) coniungi debere? Si ergo deus est qui reges, sceptra & ciuitates dedit, quis est tam impius ac sceleratus, qui audet dicere hominem aut ciuitatem deo qui est summum bonum, & verum sine bono & veritate posse adhærere? Infinitũ nunc esset ruinas & veluti proiecta cadauera multarum ciuitatum, gentium, nationum ac imperiorum (quæ recisis virtutis ac pietatis fibris consenuerunt) ostendere. Sub quo nunc Affrica? Sub quo nunc Asia? Sub quo eximiæ Europæ partes languent? Si sub Turca dicas, causam quæro; aliam certè dare non potes, quàm quòd à fide & virtute prius desciuerint quàm suam fælicitatem tam horribili miseriâ & calamitate funestari senserint. Sed quid longè peto exempla? Abundant vicina. Reliquiæ euocatæ ab inferis Machiauelli, postquam diu adoratæ fuerunt in Italia, translatæ sunt tandem in Galliam, & alias nobis propinquas nationes. Quot, deus bone, seditiones? Quot intestina bella? Quot strages? Quot funestas & miserabiles tragœdias monstri cineres excitârunt? Quot iam mouent? Quot intendunt? Christum precor vt nos præmoniti & præmuniti id dictum audiamus:

*Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet.*

Prima ratio à natura.

Vitium ciuitatis monstrũ.

Pol. 3. Cap. 4.

Pol. 3. Cap. 5.

Secunda ratio à prima causa.

Homo iungendus deo in mente per verum, in voluntate per bonum.

Causa cur magna pars mundi subiiciatur Turcæ.

Adhuc illum in vernaculum ſermonem tranſlatum populus non didicit, adhuc eius virus non ſenſit. Malè profectò egit qui Anglicè Ouidium de arte amandi tranſtulit; peius, qui Albertum de fæminarũ ſecretis; at peſſimé de noſtrâ republica merebitur, ſi quis venenum iſtius viperæ in ora imperitæ multitudinis inſperſerit. Sed reſtant aliæ rationes quibus hæc cauſa probatur, quarum altera á conſuetudine & experientiâ maiorum, altera á fine ad quem deſtinatur ciuitas, ducetur. Priſci olim patres noſtri, qui de repub. multa & præclara monumenta nobis reliquerunt, in hoc omnes amicé quaſi conſpirant, quòd legumlatores ac magiſtratus ſolicitè contẽderent vt ſuos ciues bonos, iuſtos, ac pios redderent. At quorſum obſecro idipſum nobis toties & tantoperè inculcarent, ſi vllam pacem ſine fide, ſi vllam politiam ſine virtute conſtare poſſe ſomniaſſent? Hinc Solon apud Athenienſes, Lycurgus apud Lacedęmonios, Numa Pompilius apud Romanos legum ſanctarum tabulas inuenerũt, quibus eorum ciuitates per multa ſęcula iuſtè ac tranquillè regebantur. Nam ab orbe condito experientia (ſcientiæ mater) hoc ipſum docuit, quòd ſola virtus in omni imperio triumpharet. Non audiãtur ergó in verè politica ciuitate iſta noua & periculoſa paradoxa: [a] Ante omnia optãdum eſt principi vt pius videatur non tamen vt ſit. [b] Oportet principem ſemper aduerſarium in ſe alere, vt eo oppreſſo potentior videatur. [c] Princeps ingenium verſatile, arte vſuque factum in ſęuitiam & perfidiam habere debet; reipſa talem ſe præſtet quoties expedierit. Talia theoremata maiores noſtri nunquam didicerunt, imó (ſi vnquã peruerſitas naturæ humanæ in ea proruperit) diriſſimis ſupplicijs eorum authores & fautores adiudicârunt. Nouerunt enim ſapientes illas non diu poſſe conſeruari ciuitates quarum vulpes lepus & leo, id eſt, fraus timor & furor cuſtodes fiunt. Nos Anglos moueat Richardus tertius, qui vulpis caput, & caudam leonis habuit, ſanguine ſuorũ petijt ſceptrum, ſanguine ſuo amiſit regnum. Poſtrema ratio ſequitur nẽpe á fine ciuitatis quę eſt ipſa beatitudo omnibus bonis accumulata; at ſi hanc inuenire putes ſine

Tertia ratio à conſuetudine.

Virtus legumlatorum veterum ſcopus.

Pernicioſa axiomata Machiauelli.

[a] De princip. Cap. 18.
[b] Cap. 20.
[c] Cap. 18.

Cuſtodes mali ciuitatis, fraus, timor, & furor.

Richardus tertius tyrannus.

Quarta ratio à fine.



ſine virtute, id ſolùm agis vt nimia ratione inſanias. Quòd verò omnis ciuitas omniſque politia ſit boni alicuius cauſâ inſtituta, nemo eſt, ne ipſe Machiauellus, qui negauerit: is enim non ad malum ſed ad bonum, non ad perniciem ſed ad ſalutem, non ad ignominiam ſed ad dignitatem & honorem omnem ſuum de republicâ ſermonem ſe retuliſſe [a] ſcribit: ſi ad bonum, cur medijs honeſtis non vtitur? Sed aſtutè ille ſub ſpecie pietatis iugulum virtutis fodit. Cæterùm ſi verè ratiocinari velis, ſic tua deberet formari ratio. Finis cuiuſq; rei bonus bona requirit media: ſed finis ciuitatis eſt bonus: ergo bona requirit media. Hęc bona ſunt conſilium non temeritas, clementia non furor, fides non diſſimulatio, ſtudium pacis non ſeditio, pietas ciuium non diſſolutio morum. His medijs fœlix homo, fortunata domus, beata ciuitas verè efficitur. Vis ergò eſſe politicus? Suadeo tandem vt ſis virtutis ſtudioſus. Nam omnis politia ſine ſtudio virtutis eſt quaſi plumbea regula ſine manu artificis.

Virtute acquiritur beatitudo quæ eſt finis ciuitatis.

[a] Præfat. in lib. 1. & 2. comment. in Liui.

Media quibus gubernatur ciuitas quæ ſunt.

- Politia probatur non eſſe efficax ſine virtute, à
  - Materiâ
    - Ex qua conſtat, quæ eſt multitudo hominum cohabitantium ſub eodem imperio, & iure virtutis.
    - Circa quã verſatur, quæ eſt ciuiũ ad virtutẽ, ſecundũ rectas leges inſtitutio.
  - Formâ, quæ eſt prudens adminiſtratio magiſtratuum in qua iuſtitia cernitur.
  - Efficiente cauſa, quæ eſt vel
    - Remota, vt Deus ad quem omnia referuntur per virtutem.
    - Proxima, vt natura à qua omnes ſocietates fluunt & ſuſcipiuntur, non tamen ſine nexu virtutis.
  - Fine, qui eſt
    - Externus, vt pax, honor, & affluẽtia rerum quæ debentur virtuti.
    - Internus, vt ipſa beatitudo, & quies ciuiũ. Sed hæc ſolam virtutem loquuntur, prohibentque contrarium: ergò ſine virtute nulla eſt vera, nulla eſt efficax politia.

Virtus politiæ neceſſaria ex cauſis 4.

Opp. *Omnia quæ sunt licita, fieri possunt in ciuitate: sed multa quæ fraude fiunt sunt licita: ergò multa quæ fraude fiunt, fieri possunt in ciuitate. Minor probatur, quia stratagemata insidiæq; in bello sunt licita, quæ tamen animo decipiendi fiunt; his datis, sequitur quòd omnis politia non sit coniuncta cum virtute.*

Cic. pro Cecin. Resp. *In bello silent leges, in bello cum hoste, in pace cum ciue agitur. Licet cuiuis vitam defendere contra hostem capitalem; hoc ergò argumentum non mouet, quia vera politia in pace, non in bello; in ordine & recta administratione ciuitatis, non in contentione viget. Non tamen licet in bello perfidiam in hostem exercere, immò necesse*

Cic. 1. offic. *est cum Regulo fidem persoluere.*

Ab effectis. Opp. *Politia aliquando permittit occidere innocentem: ergò omnis politia non est coniuncta cum virtute. Antecedens probatur quia hoc posito quòd populus Syllano alicui in ciuitate propter singularem iustitiam aut sapientiam ita faueat, vt deposito suo Nerone conetur eundem recusantem ad sceptrum promouere: Regi iam existenti licet hunc Syllanum è medio tollere, vt obiecto innouationis sublato, omnis in repub. populi extinguatur seditio. Nam minus est malũ, ciuem tametsi bonum tollere quàm totam rempub. vulnerare.*

Resp. *Quamuis hoc ipsum in ciuitate fiat aliquando: quæstio tamen est an iure fiat. Nihil hîc definio, quia prohibemur malum facere vt inde eueniat bonum. Cæterùm hoc dilemmate duorum malorum posito, vt vel pereat vnus vel tota respub. periclitetur: tolli vnum potiùs natura & prudentia suadent, quàm vt totum in discrimen ruat. Quemadmodum enim multa in natura violento motu*

Rom. 3. 8. *concutiuntur, quæ dicuntur fieri contra singularem naturam, non tamen contra vniuersalem, quæ hoc modo conseruatur: ita in ciuitate, si contingat aut cadendum regi, aut cedendum ciui: potius ciuis tollendus est qui priuati, quàm princeps qui totius ciuitatis personam gerit.*

Are iudicata. Opp. *Legibus mandatum est in omni ferè politiâ, vt proditorum filij, tametsi innocentes, aut vitâ, aut suis saltem patrimonijs priuẽtur: sed animaduertere in innocentes virtus quidem vetat: ergo omnis politia cum virtute non cohæret. Maior patet. Minor probatur ex 5. Ethicor. vbi seueritatis ferrum in malos sæpè, at nunquam in bonos & innocentes iubemur acuere & contorquere.*

Resp.



Resp. *In persona regis spectantur duo. Imago diuinæ iustitiæ & quasi vegetatio totius reipublicæ. Plectuntur proditorum filij ex imitatione diuinæ iustitiæ, quia cum principis maiestas laditur, non tam in hominem quàm in deum peccatur, at deo semel offenso vnius scelere, in totam humani generis sobolem translatum est crimen, nec non pro eo debetur supplicium. Præterea quoniam princeps est anima ciuitatis, ad maiorem terrorem sæpè proditorum puniuntur filij; quippe aliqui magis posterorum præuiso naufragio commouentur, quàm suo ipsorum malo interitu, vt constat de illis reis apud nos, qui vt posteritati hæreditatem relinquant, se potiùs lapidibus obrui, quàm laqueo strangulari sinunt.* Quare Proditorum filij puniantnr.

Opp. *Aristoteles docet malum virum bonũ ciuem esse posse, ergo politia non semper à virtute pendet. Argumentum sequitur, quia si politicus sit malus, politia non potest esse bona.* A testimonio Pol. 3. Cap. 3.

Resp. *Malus vir potest esse bonus ciuis in virtute officij, non in virtute viri. Nam viri virtus est, quæ virum bonum reddit, vt iustitia, temperantia: virtus officij est in sutore bonos calceos conficere; in architecto rectè ædificare: quæ fieri possunt tametsi viri boni non sint qui ea faciunt.* officij. Virtus viri.

Opp. *Politia aliquando requirit vsuram vt in Anglia, lupanaria vt in Italia: sed hæc sunt mala: ergo omnis politia virtuti non subijcitur.* Ab effectis.

Resp. *Politia ista aliquando permittit, non requirit: tolerat, non approbanda censet: imò potiùs abolenda & extirpanda iudicat, si fieri id potuisset sine magno malo ciuitatis. At tam fera & tam intolerabilis est malitia hominis, vt omne malum à ciuitate radicitùs euellere nemo vnquam mortalium possit. Hoc satis est in iustâ politiâ, vt peccantibus vel infamiæ notam infigat, vel si non respiscant grauiorem pœnam infligat, quod facit in istis duobus malis quæ proponuntur. Nam fœneratores facti sunt lege omnibus odiosi, & lenones cum suis meretriculis sunt verbi & excommunicationis fulmine perculsi.*

## CAP. I.

*An ciuitas sit obiectum politicæ scientiæ?*
*An ciuitas præstantissimi boni causâ sit instituta?*

*An despoticus, œconomicus, politicus & basilicus specie & naturâ differant?*

*An societates naturales, ex quibus coalescit ciuitas, rectè distinguantur?*

PLATO Aristotelis præceptor in decem illis præclaris libris quos de repub. scripsit, hoc vnum maximè vrgere videtur, quòd nulla scientia sit vel nomine augustior, vel obiecto amplior, vel fructu diuinior, quàm quæ de ciuitate instituitur. Nomẽ enim à ciuitate amplissimâ hominum societate duxit, vnde & ciuilis dicitur: Obiectum seu materiam habet ipsam ciuitatem: Fructus est optima institutio vitæ, totiusq; generis humani perpetua conseruatio. Hinc definitur doctrina politica nihil aliud esse quàm iustè ac sapienter administrandæ ciuitatis scientia. Multa hîc solent quæri à priscis interpretibus de authore, de genere, de obiecto, de modo, de fine huius scientiæ; De authore, an Socrates, Plato vel Aristoteles eam perfecerit; de genere, an sit scientia practica vel speculativa; de obiecto, an sit ciuitas, lex, vel publica institutio vitæ; de modo docendi, an sit à causis ad effecta per ordinem naturæ, vel ab effectis ad causas per ordinem disciplinæ; de fine, an sit in benè gubernando summa prudentia, an potiùs in iustè viuendo perennis beatitudo ciuium. Hæc inquam omnia quamuis lubens prætermitterem, pauca tamen de illis dicam, vt dilucidiora quæ sequuntur fiant. Ad primum dico quòd Aristoteles omnium primus hanc artem perfecerit. Rationem reddit Albertus, quia quæ à Socrate, Platone, alijsq; philosophis didicit, ea omnia in meliorem hic formam ordinemq; digessit. Huc illud addo, quòd multa ipse inuenerit, quæ (vt ait Victorius) plurimum dignitatis & admirationis habent. De methodo philosophi quid dicam? Est enim vsitata & facilis; primùm enim causas & partes ciuitatis discutit

Politicæ, Nomen, Obiectum, Fructus.

Definitio politicæ scientiæ.

Quæstiones de Authore Modo Obiecto Genere Fine.

Aristoteles perfecit scientiam politicam.

Methodus.



cutit, hinc totum definit, postremò vires ac proprietates de illo toto demonstrare contendit. Causæ ciuitatis sunt deus, homo & natura, partes sunt variæ societates hominum qui in eodem tecto, familiâ aut pago cohabitare nequeunt; Totum est ipsa multitudo hominum sub vno imperio secundùm leges in ciuili ordine pace viuentium. Vires ac proprietates sunt salutares leges condere, ciues in officio continere, res omnes necessarias acquirere, fortunatè fœliciterq; viuere. Obiectum vt placet Alberto est ciuis, vt placet Doctori sancto est ipsa ciuitas. Ciuitatem esse defendo, quia latissimè omnium in hac scientiâ diffunditur, quia proprietates de illo vt de suo subiecto demonstrantur, & denique quia omnia in hac scientiâ tractata ad eam solam reducuntur; quæ sanè de ciue dici non possunt. Nam leges sancire, reges creare, ciues beatos reddere, aliaq; sexcenta non vnum hominem sed totam multitudinem omnium, non priuatum iudicium sed consensum postulant & requirunt. Genus huius scientiæ est praxis non theoria, actio non speculatio. Non enim in hac scientiâ quærimus solùm quid scire, sed quid agere & quomodo in luce hominum iustè & studiosè viuere oportet. Si ergo inter theoricam & practicam scientiam hoc interfit, quòd illa ad solam cognitionem veritatis, hæc ad opus destinetur; necesse est politicam sub practica philosophia comprehendi, cùm ciuitas sit quoddam opus humanæ rationis. Cæterùm cum ratio operetur aut per modum effectionis, quando in materiam exteriorem transit, vt ædificare; aut per modum actionis, quando in operante manet, vt eligere: priori modo mechanicæ artes dicuntur practicę, posteriori verò hæc etiam practica nominatur. Finis huius scientiæ non est prudẽtia ciuium, sed accumulatio & affluentia bonorum omnium; omnium dico, nam quamuis in vnum ciuem omnia non cadant, in totam tamen ciuitatẽ vbertim fluunt. Aggredior nunc tandem Arist. qui in fronte primi cap. id ipsũ docet, quod nos de fine conamur dicere. Sic enim loquitur. Quandoquidem videmus omnem ciuitatem societatem esse, omnemque societatem boni alicuius gratiâ coire; ne-

Ciuitatis Causæ Partes Totum Vires.

Pol. 2. c. 1. & l. 3. c. 3.

Quæstio prima.

Obiectum scientię politicę.

Ciuitas cur sit obiectum 3.

Genus politices.

Actio & effectio quomodo differunt.

Finis politicæ scientiæ.

" ceſſe eſt eam quæ eſt omnium maximè princeps ac domina,
Pol.3.Cap.8. Eth.1.Cap.2. quæque ceteras continet, id ſibi bonum propoſitum habere,
" quod ſit omnium ſummum ac præſtantiſſimum. Ex his con-
Quæſt. 2. cludo tam ciuitatem quæ eſt materia, quàm hanc ſcientiam quæ eſt omnium reliquarum domina, ad ſummum & nobiliſſimum bonum referri. Nam vt ciuitas obiectiuè: ita ciuitatis ſcientia effectiuè (vt aiunt) ſummum bonum ſuum finem habet. Sed vt eodem ordine procedam, quo ipſe philoſophus
Cap. diſtrib. in 4. in textu vtitur; animaduertēdum eſt præcipuè quatuor in hoc
Ciuitas quid. Cap. tractari, nempe definitionem ciuitatis, eiuſdem diſtinctionē, enumerationem partium, & deniq; earum inter ſe comparationem. In definitione oſtendit duo, eſſentiam & finem: eſſentiam cum ſocietatem omnibus bonis abundantem eſſe demonſtrat, finem cum eam ad omnium bonorum ſummum
Cap. reſolutio. ac diuiniſſimum refert. Rationes in textu ſic formari poſſunt. Omnis ſocietas eſt alicuius boni cauſâ: ſed ciuitas eſt ſocietas: ergò ciuitas eſt alicuius boni cauſâ. Altera hoc modo, Tantò præſtantius eſt bonum cuiuſque ſocietatis, quantò nobilior eſt ipſa ſocietas: ſed ciuitas eſt omnium ſocietatum longè nobiliſſima: ergò ciuitas omnium bonorum præſtantiſſimum ſui finem habet. Hinc ſequitur diſtinctio in quâ que-
Deſpotica ab œconomica quomodo differat. ritur, An adminiſtratio regia, à politicâ, An deſpotica ab œconomicâ ſolùm ratione vel ſpecie differat? Inſinuat in
Plat. in Politico. textu Socratem & Platonem exiſtimaſſe hæc inter ſe tantùm multitudine ac paucitate, non genere & naturâ diſcriminari; Exempli cauſâ. Si quis paucis eiſdemque ſeruis præſit deſpoticus ſeu herus; ſi pluribus eiſdemque tam liberis quàm ſeruis œconomicus ſeu paterfamilias; ſi adhuc aliquātò pluribus, politicus vel magiſtratus; ſi denique omnibus, baſilicus, rex, ſeu princeps haberi debet. Hinc ſecūdùm illos nihil intereſt inter magnam domum & paruam ciuitatem. Sed hęc vt ait philoſophus vera non ſunt, quod probat in 3. parte huius Cap. nempè in enumeratione & deſcriptione partium ex quibus coaleſcit ciuitas. Si enim partes ciuitatis non ſo-
Expoſitio 3. Quæſtionis. lùm numero, ſed etiam naturâ & officio diſtinguantur, neceſſariò ſequitur has adminiſtrationes ſerui, familiæ, ciuitatis,

regni



regni pluſquam multitudine & paucitate diſſidere. Nam aliud eſt ſeruum regere, aliud domum, aliud paruam ciuitatem, aliud imperium. Deſpoticus ergò, œconomicus, politicus & baſilicus, id eſt, ſi interpretari velis, dominus, paterfamilias, magiſtratus & princeps, plus quàm nomine numeroque differunt. Nam etſi omnes & ſinguli ſint homines in vnâ ſpecie dialecticâ ac naturâ humanâ communicantes; eſſentiâ tamen & ſpecie politicâ differunt, quia hæc nomina officia hominum, quæ ſunt naturâ diſtincta; non ſimplicem naturam hominis, quæ eſt vna eademque in omnibus, declarant. Eſt enim aliud homo, aliud pater; aliud homo, aliud princeps; quippè hominis nomen ſubſtantiam, patris & principis nomen, relationem & officium (quę naturâ differunt à ſubſtantiâ) ſignificat. Nec illud vrget quòd vnus idemq; homo ſit nunc dominus, nunc paterfamilias, nunc moderator vrbis, nunc totius imperator ciuitatis, quandoquidem multa diſparata accidentia, quæ naturâ ac proprietate diſſociantur, in eodem ſubiecto ſimul reſidere queunt; vt conſtat de calore & ſiccitate in igne, de frigore & humiditate in aquâ. Cùm ergò hoc loco docemus deſpoticum ab œconomico, politicum à baſilico naturâ differre, non naturam hominis ſed ordinis, non proprietatem viri ſed loci, non proportionem multitudinis ſed rationem dignitatis & adminiſtrationis intelligimus. Diſtinctione iam factâ, duo ſequuntur, enumeratio & comparatio partium. In enumeratione explicantur tria. Ordinis ratio, multiplicis ſocietatis deſcriptio, Barbarorum, qui ſuis fœminis pro mancipijs vtuntur, reprehenſio. Ratio ordinis hunc ſyllogiſmū habet. Quemadmodum ad cognitionem totius in alijs rebus neceſſe eſt partiri compoſitum in ſimplicia principia, vt orationem in literas, mixtum in elemēta: ita ad cognitionem ciuitatis, quæ eſt quiddam totum, neceſſe eſt eam diuidere in minimas ſui partes: ſed neceſſaria eſt talis partitio in alijs totis: ergò etiam in ciuitate. Hinc patet ordo, quo vtitur philoſophus in hoc opere, nempe vt diuiſo toto in ſua principia ab ipſis elementis ac partibus ciuitates incipiat; quæ partes ſunt naturales ſocietates hominum, ex quibus

Spe- cies { Dialectica. Politica.

Enumeratio partium.

conſtat

Partes naturales ciuitatis.

constat componiturq; ciuitas. Harum prima est viri & fœminæ, secunda domini & serui, tertia patris & filij, quarta pagorum & vicinitatum, quæ longè latèq; disperlæ ciuitatem colunt. De prima in textu sic loquitur Aristoteles. Necesse est

Societas coniugalis.

„ primùm eos coniungi & copulari quorum alter sine altero
„ esse non potest, vt marem & fœminam procreationis causâ.

Fœmina est solatium vitæ.

Appetit autem vir fœminam non vt seruum sed vt socium, non vt mancipium libidinis sed vt solatium vitæ. Iure ergò reprehendit Barbaros & agrestes qui suis fœminis vt seruis vtuntur. Quippè non est fœmina vt delphicus gladius, qui

Societas domini & serui.

pluribus vsibus destinatur. De secunda societate, hæc legas in textu verba. Copulantur etiam naturâ id quod imperat &

Vid.c.4.

„ id quod imperio paret propter salutem. Sunt ergò naturâ dominus & seruus: Dominus qui mentis acie excellit, seruus qui corporis vi aut mole præstat. Ex hisce duabus societatibus oritur tertia, nimirum domus & familia, in quâ maximè patris & filij relatio cernitur; non quòd ex hac ea solùm constet, sed quia in ea veluti imago viri & vxoris perpetuò conseruatur. Est enim filius imago patris in quâ pater sepultus viuit. Cùm ergo natura in re qualibet tam æternitati quàm suæ similitudini studeat, consentaneum fuit eam à naturâ homini ingenerari facultatem vt vxorem eligat, filios procreet, familiam augeat, alat & conseruet. Est ergò familia societas composita eademq; non ad tempus sed in omnes vitæ dies à natura parta & cõstituta, in qua cõiuncti, participes & consortes eiusdem foci & cibi ab Epimenide dicuntur. Quarta societas ex prædictis omnibus compacta, pagus definitur. Hæc ea est quæ ex multis familijs olim nata in immensum creuit coloniasq; & gentes peperit, in quibus filij & filiorum filij (ad mutuum subsidium) cohabitarent. Postremò vt pagus ex multis familijs: ita ciuitas (quæ est vltima societas de qua nunc agitur) ex multis pagis & colonijs fluxit. Concludit ergò Arist. in calce huius capitis quæ est de comparatione partium, probabile quidem esse ab initio fuisse à naturâ reges. Nam si seruus domino, si vxor viro, si filius patri, si domus rectori, si pagus imperio naturę obtemperauit, verisimile quoque

Pater sepultus in filio viuit.

Arist.2.de anima.c.4. Gal.de vsu part.l.14. Cic. 1.de offic.5.de fin.1.de leg.

Pagus.

Reges ab initio fuisse verisimile est.



quoque est ciuitatem non sine rege vnquam extitisse. Hoc probat à signo, quia primarum ætatum homines finxerunt deos ipsos sub Iouis imperio viuere, quod certè non dixissent, si ciuitates & gentes reges non habuissent suos. Hæc tandem summa est primi capitis studiose lector, quod præfationis loco ab Aristotele & nobis adhibetur. Textum ipsum non intriui, eiusdem tamẽ sensum pro viribus referaui: Illum non addidi, ne maius volumen fieret, hunc tamen plenius retexui, ne lumen deficeret: quod hîc feci diuina ope fretus in cęteris Libris me facturum spero: faxit Deus vt non deficiam, det Christus vt satisfaciam.

## BREVES DISTINCTIONES QVÆSTIONVM.

*Distinctio* 1. *quæstionis, An ciuitas sit obiectum politicæ scientiæ.*

In ciuitate spectantur:

- Constitutio, quæ est à naturâ per appetitum societatis.
- Gubernatio, quæ est à lege per habitum virtutis.
- Perfectio, quæ est ab ordine per affluentiam fœlicitatis.

His tribus modis accepta est obiectum politicæ scientiæ: rationes sunt, quia

- Latissimè eiusdem nomen in hac scientia diffunditur.
- De illa propriæ passiones ciuis demonstrantur.
- Ad illam omnia ciuium ac magistratuum officia spectant & reducuntur.

Oppositio contra primam quæstionem.

*Materia operis & opus differunt, vt patet de ferro & gladio: sed ciuitas est opus ciuilis scientiæ: ergó non est eiusdem materia. Minor probatur, quia vnio ciuium secundum ordinem est opus politicæ scientiæ: sed ciuitas est nihil aliud quàm vnio ciuium secundùm ordinem: ergo ciuitas est opus politicæ scientiæ.* A disparatis.

Resp. *Et si placet Versori, quod ciuitas materialiter sumpta quoad constitutionem, & non formaliter accepta quoad vnionem sit obiectũ politicæ scientiæ: Albertũ tamẽ sequor qui respondet diuerso respectu & opus & materiã esse. Opus vt perficitur, materia vt tractatur. Fit enim hæc vnio secundũ ordinem à politico, & sic est opus; & circa eam iam factam consultando versatur, & sic materia seu obiectũ dicitur.*

Opp.

Ab adiuncto. Opp. *Ciuitas de omnibus in politica scientia non dicitur: ergò non est eiusdem mâteria. Antecedens patet, quia de ciue, de lege, de magistratu, quæ tractantur in hac scientiâ, non dicitur. Argumentum probatur, quia omne subiectũ attributionis de omnibus in eâ scientiâ cuius est subiectum dicitur: sed omnis materia circa quam versatur scientia, est subiectũ attributionis: ergo omnis materia de omnibus in scientia cõprehensis diceretur. Maior est Arist. in libris analyticis, & inductione exemplorũ probatur, quia numerus de omnibus in Arithmetica, magnitudo de omnibus in Geometria, harmonia de omnibus in Musica, ens rationis de omnibus in Dialectica dicitur: ergo etiam ciuitas de omnibus in politica diceretur, si sit subiectũ eiusdẽ scientiæ.*

Resp. *Non est necesse subiectum attributionis de omnibus in aliquâ scientia comprehensis, absolutè & in abstracto prædicari. Numerus enim de vnitate in Arithmeticâ, magnitudo de puncto in Geometriâ, ens rationis de substantiâ in Dialectica non dicitur. Satis ergò est si omnia in aliquâ scientia tractata, ad subiectum vi sua aut comparatè reducantur: sic vnitas ad numerum, sic punctum ad magnitudinem, sic omnia in hac scientiâ ad ciuitatem referuntur.*

Ab adiunctis. Opp. *Omne subiectum scientiæ habet proprietates aliquot in eâdem scientiâ de se demonstrabiles: sed ciuitas tales proprietates in hac non habet: ergò non est subiectum. Minor confirmatur, quia ad tribunal sedere, de legibus consultare, magistratus eligere & similia, quæ proprietates dicũtur, ad ciues potius quàm ad ciuitatẽ pertinent.*

Resp. *Ciuis effectiuè, at ciuitas (vt aiunt) formaliter & perfectiuè hæc omnia facit; Est enim in ciue suffragium, at in ciuitate est imperium, non enim vnus sed vnio ciuium hæc præstat.*

Ab adiuncto. Opp. *Omne obiectum scientiæ debet esse necessarium ac æternum: Sed ciuitas non est: ergo non est obiectum huius scientiæ. Maior est Aristotelis 6. libro Ethicorum, capite 3. Minor probatur, quia ciuitas ex partibus interitui & fortunæ subiectis constat. Ratio est,*

Pol. 3. cap. 11. *quia sæpè familiæ, pagi, gẽtes & imperia aut vetustate antiquata, aut furore Martis deleta, concidunt. Præterea quæ nunc est monarchia, nunc in aristocratiam aut democratiam commutetur. Quod mutabilem & caducam naturam ciuitatis arguit.*

Ciuitas quomodo æterna. Resp. *Duo in politicâ scientiâ considerãtur, demonstratio theorematum, & actio ciuium: quoad demonstrationem theorematum, ciuitas*



*uitas est quiddam necessarium, æternum & incommutabile. Namquamuis Assyriorum, Persarum, Macedonum & Romanorum imperia cadant; vniuersalis tamen & formalis ciuitas sub demonstratione huius scientiæ manet. Quare licet quoad flexibilem voluntatem & actionem hominum frequenter mutetur ciuitas, non tamen quoad formam & demonstrationem, quæ specie non numero, præcepto non exemplo continetur.*

## Distinctio 2. quæstionis.

*An ciuitas præstantissimi boni causâ sit instituta?*

Bonum, ad quod refertur ciuitas, præstantissimum esse dicitur, propter

- Communitatem, non enim vni vt ethicum, sed omnibus vt publicum conuenit, & communicari debet.
- Dignitatem, quippe est finis nobilissimæ societatis humanæ, in qua reliquæ omnes vniuntur. Eth. 1. cap. 1.
- Affluentiam rerum externarum; omnium enim tam naturæ quàm fortunæ bonorum copiâ abundat & excellit ciuitas.
- Constantiam & perpetuitatem; in iustitiâ enim, prudentiâ & æquitate (quæ sunt optimæ conseruatrices ciuitatis) consistit hoc bonum.

Opp. *Summo nihil potest esse præstantius: sed hominis bonum est summum: ergò hominis bono nihil potest esse præstantius. Quo dato, excellentius non est bonum ciuitatis quàm hominis. Nam hominis bonum est felicitas, vt 1. & 10. Ethicorum probatur.* A maiori

Resp. *Summum bonum consideratur duobus modis; vel quoad essentiam, & sic idem est bonum vnius hominis ac totius ciuitatis: vel quoad existentiam, & sic ciuitatis bonum est excellentius. Ratio est, quia bonum Ethicum vni homini, bonum politicum tati ciuitati accommodatur.*

Opp. *Prima veritas est nobilissimum obiectum & bonum, vt in 10. Ethicorum probat philosophus: sed finis ciuitatis nõ est prima veritas: ergo ciuitatis bonum non est nobilissimum. Maior probatur, quia prima veritas est deus. Minor patet, quia aggregata felicitas, non æterna veritas est finis ciuitatis.* A disparatis. 11. Lib. Meta.

Resp. *Illic de vitâ theorica, hîc de politicâ agitur; illic etiam de remoto fine, hîc de proximo disputatur; illic denig; relatio intellectus*

ad

*ad ſummum verum, hîc relatio voluntatis ad ſummum bonum diſcutitur ac demonſtratur.*

Opp. *Multæ ſunt deformitates in ciuitate, multa infortunia: ergò aggregata felicitas non eſt illud præſtantiſſimum bonum cuius gratiâ inſtituitur. Antecedens patet, quia nulla ciuitas ſcopulis & procellis fortunæ caret. Præterea cum nulla ciuitas ſit tam beata quin portu & manu aliarum nationum vti aliquando cogatur: non video qua ratione aureum illud flumen omnium bonorum in ciuitatis portas flueret & permanaret.*

Reſp. *Deformitates ciuitatis vt fures, homicidæ, & cætera pro partibus ciuitatis non habentur. Quod obijcis de infortunijs nihil eſt; Nam etſi aliquando irruant illa quidem, conſulari tamen prouidentiâ felicitatem ciuibus non tollunt, imò eos longè prudentiores reddunt: Poſtremò quod vrges de mutuis ſubſidijs aliarum gentium parùm mouet, nam hæ res externæ ſunt, & ſi aut caſu aut per ſe eueniant ſatis eſt.*

## Diſtinctio 3. quæſtionis.

*An deſpoticus, œconomicus, politicus & baſilicus ſpecie & naturâ differant.*

In his nominibus perpendi ſolent duo.

- Natura ſeu ſpecies dialectica, & ſic naturâ non diſtinguuntur. Nam omnes in eſſentiâ humanâ conſpirant.
- Officia politica, & ſic naturâ differre dicuntur, tũ
  - Propter diuerſos reſpectus quos ſignificant.
  - Propter diſtinctos fines quos reſpiciunt.

Opp. *Reſpectus non mutat eſſentiam: ſed omnia hæc nomina ſunt quidam reſpectus: ergò non mutant eſſentiam. Maior probatur, quia reſpectus eſt tantùm modus & comparatio rei non eſſentia rei. Minor conſtat, quia ſunt nomina ordinis & officij quæ ſunt reſpectus.*

Reſpectus quomodo mutat eſſentiam.

Reſp. *Reſpectus non mutat eſſentiam in abſolutis, at in reſpectiuis & comparatis mutat. Nam comparata eſſentiam in reſpectu habent, exempli cauſâ. Si Socratem cum ſuo patre compares, naturam filij: ſi verò cum ſuo filio compares naturam patris habet, qui duo reſpectus in relatione eſſentiâ differunt, quamuis in vno Socrate diuerſo reſpectu ſimul conſiſtant.*

Opp.



Opp. *Hi omnes in ciuitate vnum & eundem finem habent, nempe bonum commune reipub. ergo infirma eſt ea probatio quòd ideò naturâ differunt, quoniam diſtinctos fines habent. Antecedens probatur, quia omnes & ſinguli ciues ad bonum publicum referuntur, quod eſt finis ciuitatis.*

Reſp. *Conſiderantur iſti vel communiter, vt ciues, & ſic vnum remotum finem habent nempè bonum commune totius ciuitatis: vel propriè in ſuis ipſorum officijs, vt hic ſit pater, ille dominus, & ſic diuerſos fines ſortiuntur.*

*Diſtinctio 4. quæſtionis, An ſocietates rectè diſtinguantur?*

Omnis ſocietas eſt, vel

- Simplex, quæ à naturâ inſtituitur, vel propter
  - Cõſeruationem ſpeciei, & hæc eſt prima inter virum & vxorem.
  - Succeſſionem rerum, & hæc eſt ſecunda inter patrem & filium.
  - Ordinem perſonarum, & hæc eſt tertia inter dominum & ſeruum.
- Mixta, quæ deſtinatur ad vitæ actus, eoſdemq; aut
  - Priuatos & quotidianos, exempli cauſâ, vt ſimul ad eundem focum ſedere, eâdem menſa communicare, vnde familia.
  - Cõmunes, eoſdemque aut propter
    - Coniunctionem ſanguinis, vnde coloniæ & pagi in quibus olim conſanguinij ſolum ad ipſorum ſubſidium cohabitârunt.
    - Communicationem dignitatis, vnde ciuitas omnium ſocietatum nobiliſſima, in quâ omnes & ſingulæ hæ ſocietates mirificè conſpirant & vniuntur.

Opp. *Paterna ſocietatis in textu mentio non fit: ergò defeciſſe videtur philoſophus in enumeratione partium.*

Reſp. *Ratio non ſequitur: Nam ſub primâ ſocietate, quæ eſt viri & vxoris, hanc ipſam comprehendit. Si enim vlla ſocietas inſtituitur ad procreationem filij & conſeruationem ſpeciei, neceſſe eſt vt hæc ſub illâ intelligatur. Cæterùm rectè vtriuſque adhibetur diſtinctio, quia vxor vnum finẽ in procreatione, filius alterum in ſucceſſione habet.*

Opp. *Tres primi ordinis ſocietates ſunt vna familia, multæ fa-*

*milia sunt vnus pagus, multi pagi sunt vna ciuitas: ergò videntur hæ societates multitudine & paucitate tantùm differre, quod Plato sensit: hoc autem si verum sit, fallitur Aristo. qui eas inter se specie distingui putauit.*

Resp. *Materialiter pro hominibus sumptæ hæ societates solùm multitudine & paucitate differunt: at formaliter in suis proprijs finibus consideratæ, vt suprà ostendimus, specie & naturâ distinguũtur.*

Dubium Cap. *An fœminis vt seruis vti liceat?*

Vxore quomodo vtendum.

*Durus es Demea si vxorem contempseris, barbarus si percusseris; Deus enim sociam, natura æqualem fecit; Si infirma sit, imitare Socratem; si fidelis & casta, vt parem non vt seruam amplectere, quippe nata est parere non parêre; paret tamen vt libera suo viro, ingo vt barbara non submittitur. Æquam familiæ curam gerit, cur ancillam? Pars tui est in sinu, cur seruam? Fœcunda spes gregis est, cur mãcipium appellas? Labor præmium, amor fidem, vteri tumor honorem postulant.*

Fœmina & seruus differũt in

Lib. œcono.

Constitutione naturæ, nã fœmina est lege & naturâ libera cum virum sumpserit.

Institutione vitæ, nam fœmina ad seruilia & abiecta opera vitæ non cogitur vt seruus.

Ratione propositi ac finis, nam fœminæ bonum est filios parere, & ea quæ sunt acquisita à viro in domo conseruare.

Opp. *Seruus est à naturâ qui minùs ingenio valet, vt est in textu, sed fœmina minùs ingenio valet: ergò fœmina est serua à naturâ. Minor probatur ex hoc ipso libro, vbi docet Philosophus, quòd fœmina sit infirma & minus valens ad consilium.*

Resp. *Fœmina ingenio minùs valere dicitur, non quòd essentialiter vt aiũt minùs valeat, sed quòd ex infirmitate naturæ in illâ plerumq; ita affectus animi tumultuentur, vt rarò consilium & constantiam videas. Cæterùm animaduertendum est quòd omnis infirmitas naturæ, & defectio ingenij seruos non faciat. Nam quamuis aliquot fœminas non aliter ac viros mancipia naturæ agnoscit Philosophus, fœminas tamen coniunctas viris nullo modo vt seruas tradendas voluit. Tum enim aliam institutionem vitæ aliumq; finem diuersum à seruis vendicant & sortiuntur.*

Secundo phy.

Opp. *Fœmina probari potest monstrum ex Aristotele: ergò non est durum appellare seruam. Antecedens probatur, quia omnis imperfectio*



*fectio naturæ est monstrum: omnis fœmina est imperfectio naturæ: ergò omnis fœmina est monstrum.*

Fœmina non est monstrum.

Resp. *Ridicula est ista probatio, & longè à Philosophi sententiâ aliena. Sed vt distinguã, duplex est imperfectio naturæ, alia in partibus, alia in humoribus. In partibus imperfectio contingit trifariam, vel ex defectu materiæ vt in monoculo, vel ex excessu vt in tripode, vel ex mala concinnitate & dispositione partium, vt in gibboso: & his tribus modis accepta omnis imperfectio errorq; naturæ monstrum dicitur. Si verò sit in humoribus solùm, qualis est in fœminis, non monstrum, sed pulchrum naturæ opus & effectum arguit. Si enim externas partes & liniamenta naturæ spectes, fœminæ sunt plerũq; pulchriores viris; si verò humores, longè molliores & infirmiores habentur.*

Opp. *Virtutes fœminis negat inesse Arist. in octauo Ca. huius libri: ergò fœmina videtur esse serua. Is enim seruus est qui virtute caret.*

Virtutes aliter insunt fœminis ac viris.

Resp. *Non negat virtutes simpliciter inesse fœminis, sed eodem respectu, quo insunt viris, inesse negat. Verbi causâ: Iustitia datur viro vt aliquando ad tribunal sedeat, datur fœminæ vt domum & familiam rectè disponat. Fortitudo datur viro vt hostem feriat, datur etiam fœminæ vt virum quantumuis impatientem ferat, suósq; affectus & passiones, vi & imperio rationis vincat.*

## CAP. II.

*An ciuitas si à naturâ?*
*An homo sit animal politicum aut ciuile à naturâ?*
*An solitaria vita sit toleranda in ciuitate?*
*An ciuitas sit domo prior?*

Ciuitas est à natura.

HOMO qui est in seipso quodammodo ciuitas, vel potiùs (vt loquitur Arist.) minor mundus, hoc insitum à natura habet, vt ardentissimè prę cæteris animantibus societatem quærat. Hinc appetitus menti subjicitur, vt sitiat; Ratio datur, vt conseruet communionem. Quod si ita est, errant meo iudicio qui ciuitatẽ negant id opus esse naturæ, ad quod homo veluti natus sitientiùs

Rationes à materia, efficiente, fine, forma, effectu.

quotidie incitatur. Sed vt citra omnem litem ac controuersiam res diluceſcat, Ariſtoteles ciuitatem omnium ſocietatũ perfectionem in vtero naturæ conceptam, ab illa partam, in eiuſq; veluti gremio & amplexu enutritam probat. Ratio prima eſt à materiâ, quia eiuſdem partes ſunt à naturâ; Secunda ab efficiente cauſâ, quia appetitus ſocietatis naturæ vim ac impulſum ſequitur; tertia eſt à fine, quia ipſa natura (vt ait Philoſophus) eſt bonũ ſeu finis ciuitatis. Huc addi poſſunt aliæ à formâ quæ eſt vnio ciuium, & deniq; ab effectu qui eſt ordo & adminiſtratio ciuitatis. Prima ratio hanc formam habet. Partes ciuitatis nempe ſocietates illæ ſimplices & mixtę, de quibus diſputatum iam eſt, ſunt à natura: ergo & ipſa ciuitas. Secunda formatur hoc modo; Appetitus ciuitatis eſt naturalis: ergo & ipſa ciuitas. Tertia ſic; Finis cuiuſq; rei eſt à naturâ, vt patet de formâ homînis & equi: ſed ciuitas eſt finis reliquarum ſocietatum: ergo eſt à natura. Duæ aliæ rationes in textu non ſunt, vim tamen & pondus habent. Nam ſi ſocietatum reliquarum tàm expetitio quàm conſtitutio ſit à naturâ, non video rationem quò minus earundem vnio naturalis habeatur. Quemadmodum in alijs rebus non ſolùm eſt propenſio ac diſpoſitio materiæ ad formam, ſed formæ etiam cum materiâ quædam copulatio: ita in ciuitate, quæ eſt opus naturæ, non ſolùm procreantur partes, ſed etiam partium illarum vnio quę eſt forma ciuitatis. Poſtrema ratio ab effectu perſpicua eſt, nam fruſtrà natura partes, fruſtrà partium connexionem, fruſtrà ipſam ciuitatem intenderet, ſi ſine ordine & prouidentiâ ſuâ eam vt chaos rude ac impolitum relinqueret. In cælis, in ſtellis, in elementis, in plantis, quid multis? In rebus omnibus vi ſuâ partis, materiã, formam, ordinem & pulchritudinem poſuit. quid? In hoc ſolo opere, quod eſt omnium perfectiſſimũ, quaſi languida defecit? Certè non defecit. Quippe ſi in homine ſit non ſolùm impetus naturæ, vt ſocietatem appetat; ſed etiam ratio & intellectus, vt ſe in officio & ordine contineat; non minùs hoc opus intellectus, nempe ordo, quàm effectus ille voluntatis nempe conſociatio, reſpectu hominis à naturâ dicitur. Ieiunè

Natura non deficit.

igitur



Ciuitas à natura perficitur.

igitur ac aridè nimis diſtinguunt illi, qui ciuitatem inchoatam ſolùm & nullo modo perfectam eſſe à naturâ contendunt. Nam quamuis aliquid ſplendoris additur ciuitati à fortunâ, plurimum à prudentia & virtute; eſt tamen in vnione & ordine (quæ duo ab intellectu & ratione manant) quædam naturalis ciuitatis perfectio & conſummatio. Eſt ergò ciuitas à naturâ quoad materiam in qua partium multitudo; eſt quoad formam in qua partium vnio; eſt quoad finem in qua perfectio quędam naturæ cernitur. Quippe vt poſtea docet philoſophus, natura eſt finis ciuitatis. Altera quæſtio de homine, An ſit ciuile animal à naturâ, hanc modò diſputatam vt vmbra corpus ſequitur. Quippè ſi ciuitas ſit à natura homo vi etiam naturę animal ciuile erit, idque eò magis quia eſt materia & pars ciuitatis. Argumenta in textu tria ſunt. Primum à toto ad partem, alterum à contrarijs, tertium ab effectis. A toto hoc modo. Ciuitas eſt à naturâ vt iam probatum eſt, ergò homo ad ciuitatem natus animal ciuile erit. A cõtrarijs, quoniam qui fugit ciuitatem, aut belluam immanitate aut hominem religione ſuperat, quorum primo olim hoc verſu maledixit poëta.

Secunda quæſtio.

Homo naturâ eſt ciuile animal.

Rat. 3. à toto, contrarijs, effectis.

Homer.

*Cui neq; curia, nec lex eſt, neq; veſta lareſq;.*

Sed hic obiter mouetur quæſtio, An ſolitaria vita ſit vllo modo tolerabilis? Reſpondet philoſophus fieri poſſe vt aliquis ſit expers ſocietatis 3. modis, vel ex nimiâ aſperitate fortunę, vt pauperes & mendici; vel ex intolerabili prauitate morum, vt fures & inſidioſi; vel ex ardenti ſtudio ac pietate animi, vt qui contemptis rebus mortalibus, ſe totos accommodant rebus diuinis. Hoc genus hominum rarum eſt, nam ſanctum & religioſum eſt. Vbi ſunt nunc dierum Thaletes, qui abiectis & immerſis pecunijs philoſophiæ ſtudent? Vbi Democriti qui euulſis ſuis ipſorum oculis contemplationi ſoli incumbunt? Vbi ſunt Socrates, qui relictis ſuis Xantippis, cycutam pro vno deo libentes hauriunt? Tales homines noſter Ariſt. in hoc textu meliores hominibus appellare audet. Addit etiam rationem, quia tales ſuis pollent opibus, ſuiſq; bonis contenti viuunt. Concludit ergò, nec feram id eſt agreſtem, nec

Quæſtio Tertia.

Solitariæ vitæ cauſa triplex

Diog. Laert.

Solitarius non eſt pars ciuitatis.

nec Deum, id est, vt multi interpretantur, hominem insigniter religiosum esse partes naturalis ciuitatis: illum enim malicia, hunc excellentia excludit. Horum primum genus à quodam non ineptè dicitur infortunatum, quod miseria: Secundum maledictum, quod infamia: Tertium perbeatum, quod vitæ sanctimonia sequitur. Homines primi ordinis sunt tolerandi in repub. quippè non sponte sed necessitate coacti ciuitatẽ relinquunt. In secundo autem genere, quia sunt quasi vultures inter aues, & quasi lupi inter oues, id est homines cædé & sanguine solùm capti & saginati, ad enses, ad cruces, ad præcipitia sunt condemnandi. Postremò in tertio genere qui sunt, quoniam Deum pro se & pro ciuitate placant, non solùm tolerandi, sed etiam sapientibus vt rara exemplaria virtutis imitandi videntur. Hæc hactenùs de vitâ solitariâ à Philosopho sunt interiecta: nunc tandem tertium illud argumentum à proprietate humanâ sequitur, quo probat Arist. id quod proposuit, nimirum hominem esse animal ciuile à naturâ. In hoc argumento proponuntur duo: ratio & comparatio; Ratio quæ est, quòd loqui & ratiocinari sint propria hominis, quodque in homine insint non ad affectum tantùm significandum vt vox in belluis, sed ad iustum & iniquum, verum & falsum, bonũ & malum discutiendũ; at ex his coalescit ciuitas, sine his consenescit citò: homo ergo proprijs naturæ viribus natus est ad ciuitatem, animalque ciuile rectè à naturâ dicitur. Comparatio in hoc argumento est inter apem & hominem, scilicet quòd homo sit magis animal sociabile quàm apis. O vtinam tamen apem in regno, apẽ in prouidentia & melle sequeretur homo. Apes regnum suum habent, totum examen regi obtemperat, rex sine aculeo, sine labore viuit; tubam quasi clangit, armantur greges; euolat, in turma & ordine sequuntur omnes. Cæterùm in his solùm instinctus naturæ inest, in homine verò præter instinctum naturæ est vsus & splendor rationis. Postrema quæstio quę in hoc Cap. tractatur, est, An ciuitas sit domo à naturâ prior? Priorem esse affirmat Philosophus. Si rationes quæras, hæ sunt; Omne totum est prius suâ parte: sed ciuitas est totum: ergò

Pol. 3. cap. 9.

Solitarius, Infortunatus, Maledictus, Beatus.

Homo ciuile animal. Ratio.

Hóminis cum ape comparatio.

Virg. Geor. 4.

Quarta quæstio.

Ciuitas naturâ prior domo.



ergò ciuitas est prior domo quæ pars ciuitatis dicitur. Maior propositio docetur à similitudine, quia vt manus separata à toto corpore, non magis est manus quàm lapis (cum omnes partes per sua officia quæ habent in toto definiantur) ita domus pars ciuitatis dici non potest, si ciuitas naturâ non præexistat. De assumptione syllogismi, nempe quòd ciuitas sit totum, nemo Philosophorum dubitat. Altera ratio est ab intentione naturæ, quòd finis primùm à naturâ intendatur: sed ciuitas est familiæ finis: ergo ciuitas est familiâ intentione naturæ prior. His sic positis & disputatis, concludit Arist. omnem hominem, nisi sit aut fera aut Deus, studio ciuitatis mirificè teneri. Attamen (inquit) vt homo omnibus suis numeris absolutus, animal est omnium animalium optimum: ita qui à lege & ciuitate semotus sine causâ pietatis aut necessitatis viuit, omnium animalium deterrimum haberi debet. Talis enim armatus est ad omne facinus: at quanta pernicies armatam maliciam sequitur?

Homo animalium optimum & pessimum.

Plat. 2. de leg. Eth. 6. cap. vlt. Cic. de Nat. Deor. lib. 3.

## Distinctio primæ Quæstionis.

*An ciuitas sit à naturâ?*

Ciuitas cõsideratur duobus modis, aut

- Materialiter pro partibus, & sic Versor & quidam alij defendunt solùm esse à naturâ, sed ista interpretatio est nimis arida.
- Formaliter, quoad naturalem vnionem ordinemque partium, & sic etiam Thomas alijque sanioris iudicij interpretes affirmant ciuitatem esse à naturâ. Sed de hac re satis perspicuè superiùs à nobis est disputatum.

**Opp.** *Quicquid aliter assuescere potest non est à natura: sed* Abãdiuncto. *ciuitas aliter ac est assuescere potest: ergo non est à natura. Maior est in primo capite Libri secundi Ethicorum. Minor* Eth. 2. cap. 1. *probatur, quia status ciuitatis quotidiè (vt experientia docet)* Pol. 3. cap. 11. *mutantur.*

**Resp.** *Aliter ac est non assuescit ciuitas; quod vrges de mutato statu, vt nunc sit monarchia, nunc aristocratia, Respondeo mutato statu deleri ciuitatem illam quæ fuit. Nam status ciuitatis*

Pol.3.cap.2. *tatis est forma ciuitatis, & sublatâ formâ res ipsa tollitur. Si ergo mutetur ciuitas, ciuitas quidem deletur, non tamen specie quæ est æterna sed numero, quæ, vt Plato ait, suum tempus & ætatem habet.*

A testimonio. Opp. *Albertus, Borreus, Donatus, Victorius, Versor, & alij permulti aiunt ciuitatem solum inchoatiuè & materialiter à natura esse: ergò male defendis formam quoque ciuitatis naturalem esse.*

Resp. *Nihil antiquius apud me est quàm authoritati cedere, nihil religiosiùs obseruo quàm veterum iudicio subscribere. In hoc tamen (illorum saluâ reuerentiâ) dicam quod sentio, sterilem esse interpretationem illam, si hoc modo exponunt. Ciuitas est à natura, id est sola materia ciuitatis; quasi verò in opere naturali, quale est ciuitas, non tam formam quàm materiam natura pariat. Quemadmodùm ergò naturâ non sunt solum dominus & seruus, pater & filius, vir & vxor, sed etiam eorum naturalis connexio & habitudo: ita non solùm est ciuitas quoad partes, sed etiam quædam earum partium naturalis conglutinatio & ordo, à quo verè nomen ciuitatis ducitur. At hæc conglutinatio, hic ordo, sunt naturales formæ ciuitatis.*

A disparatis. Opp. *Quæ sunt à solâ virtute non sunt à naturâ: sed vnio ciuium & ordo sunt à sola virtute nimirũ prudentiâ: ergo vnio & ordo ciuitatis non sunt à naturâ: quo dato, ciuitas à naturâ esse rectè non defenditur. Maior est in 2. Ethicorum. Minor est in politicorum 4.*

Eth.2.cap.1. Resp. *Verba Arist. in calce huius cap. quòd homo natus sit prudentiâ & virtute præditus me mouent vt existimem, nõ solùm nudas facultates intellectus & voluntatis, sed etiam illarum actus primos quales sunt ratio & oratio, homini inesse à natura: quæ si ita insint, quorsum quæso, nisi vt naturaliter loquendo & ratiocinando cum alijs rectius viuatur, à quo hic ordo ciuitatis, de quo est nunc disputatum, nascitur? Attende verò quòd aliud sit ratio, aliud recta ratio; nam hæc à virtute, illa à naturâ oritur. Illa naturalis prudentia appellata, naturalem hanc vnionem & ordinem ciuitatis edit. Est ergo in ciuitate duplex ordo, vt est in homine duplex ratio: est ordo connexionis à naturâ, est ordo perfectionis à iustitiâ: illum prudentia naturalis, hunc prudentia ciuilis perficit.*

Quales actus virtutem sequantur docet, quales nõ. In ciuitate ordo duplex, cõnexionis, perfectionis.

A specie. Opp. *Iudiciũ est ordo ciuitatis: sed iudiciũ non est à naturâ: ergo nec ordo. Maior est Arist. in fine huius cap. Minor probatur, quia iudicium*



*diciũ est approbatio iuris perfectioq; iustitiæ, quæ non à naturâ inest.*

Iustitia diuina, naturalis, ciuilis, iudicialis. Patr. de reg lib. 8. tit. 2.

Resp. *Est quædam iustitia naturalis, vt quod tibi fieri non vis alteri nõ facias. Est similiter etiam quoddam iudicium confusum & inchoatum à natura. Respondeo igitur duplicem esse gradum ordinis: alium à ratione & iudicio confuso, quem nos à natura ineſſe ciuitati defendimus: alium à perfecta prudentia iudicioq; accurato natum, qui hoc loco ordo ciuitatis dicitur. Sed hunc gradum ordinis non à natura sed à virtute perfici in ciuitate non aliter quàm animam in homine à scientia dicimus.*

Ordo à confuso iudicio, perfectâ prudentiâ.

## Distinctio 2. quæstionis.

*An homo sit animal politicum aut ciuile a natura?*

- Homo animal ciuile dicitur, vel
  - Inchoatè secundũ potentiam actiuam animi, & sic à naturâ politici nascimur, id est simpliciter apti sumus ad ciuitatẽ.
  - Perfectè, vel secundum
    - Materiã ciuitatis, & sic homo est animal ciuile à naturâ. Nam quilibet aut pater aut filius, dominus aut seruus à naturâ dicitur.
    - Formam, & sic etiã est propter
      - Vim appetitus, quo societatem quærit.
      - Vim intellectus, quo eam regit.
      - Vsum rationis & sermonis, quo eundem ordinem præscribit.
      - Commune bonum, ad quod homo naturaliter contendit.

Opp. *Aliqui fugiunt ciuitatẽ naturâ vt melancholici, aliqui pranitate vt scelerati: ergo omnis homo non est ciuile animal à natura.*

Ab instantia.

Resp. *Respondetur huic argumento bifariam, vel quòd particularis instantia ab actu ducta vniuersalem propositionem in multis quæ insunt à naturà non destruat; vt non est satis dicere, Heraclitus non ridet, ergò omnis homo non est natus ad risum; mutus non loquitur, ergo omnis homo non est natus ad sermonem; Melancholicus actu fugit consortium, ergò omnis homo non est natus ad ciuitatem. Vel (si placet) respondetur meliùs, quòd melancholici non à naturâ sed præter naturam fugiunt ciuitatem: Nam dum est iusta proportio eiusdem humoris in homine, expetit ciuitatem: at cum est excessus vel adustio morbus est, idemq; præter, aut contra naturam. Non ergo à naturâ, sed præter aut contra naturam melancholici lucem & theatrum fugiunt. De sceleratis dico, quòd non à naturâ sed suo vitio minus apti sunt ad ciuitatem.*

Ab oppositis. Opp. *Voluntarium & naturale sunt opposita: sed esse animal ciuile est voluntarium: ergo non est naturale. Maior probatur, quia voluntas ex libertate; natura ex necessitate agit. Minor docetur, quia solitariam agentes vitam eligunt potiùs solitudinem quàm ciuitatẽ.*

Resp. *Voluntas & natura semper & in omnibus non pugnant, multa enim optamus, quæ sunt à natura, vt vitam & sanitatem. Respondeo igitur, quòd sit quodammodo voluntarium, & tamen naturale esse animal ciuile. Nam etsi Thales eligat solitudinem potiùs quàm ciuitatem, hac tamẽ aptitudo vt sit animal ciuile manet: Non risit Heraclitus, & tamẽ potuit. Elias, Iohannes Baptista, Macedonius, Antonius, Hilarion, alijq; sexcenti in eremis, in montibus, in latibulis vixerunt, & tamẽ in luce & coronà ciuiũ viuere potuerũt.*

Marulus & Cassianus

## Distinctio 3. quæstionis.

*An solitariam degentes vitam sint ciues, aut tolerandi in republica?*

Solitariè degentes varijs de causis.

Homines degunt vitam solitariam, vel

- Necessitate fortunæ coacti, vt pauperes, & tales sunt tolerandi, si non ex vitio hominis sed ex casu, qualis est naufragium in tempestate, contingat.
- Prauitate animi, idq; bifariã, aut
  - Ex vitio humoris, vt melancholici, furentes ac insani.
  - Ex vitio hominis, vt sicarij, fures, homicidæ, qui in syluis latitant vt alijs insidientur, ac tales sunt persequendi.
- Pietate commoti, quales sunt verè theorici & contemplantes Philosophi, qui exuti ac liberati rerum mortalium curis, intentiùs multo rebus diuinis studeant.

Ab adiuncto. Opp. *Mendici in repub. non sunt tolerandi: ergo solitarij inopiã & necessitate fortunæ coacti non sunt tolerandi. Antecedens probatur, quia erratici cum sint, plus nocent quàm prosunt ciuitati, cuius publicum & commune bonum exhauriunt, leges violant, ordines peruertunt.*

Resp. *Aliud est esse mendicum, aliud pauperem. Fateor equidem apud Iudæos, Lacedæmonios & Romanos olim rarissimum fuisse hoc genus hominum, & vtinam apud nos pauciores essent: id quidem optandum esset, vt quædam hospitia publico ære pecunijsq; ciuitatis vbiq; extruerentur, in quibus pauperum necessitati melius consulatur. De mendicis respondeo, si sint dissoluti, aut ad opera, aut ad supplicia eos cogendos esse. Sed vide hac de re. Lib. 4. cap. 11.*

Opp.



Ab effectis. Opp. *Qui vinculum & vnionem ciuium disrumpũt, qui publicũ & commune bonum ciuitatis non augent, nec pro ciuibus sunt habẽdi, nec sunt tolerandi in republicâ: sed contemplationis causâ viuentes monasticè, & vnionem ciuium disrumpunt, & publicum bonum ciuitatis non augent: ergò nec pro ciuibus sunt habendi, nec sunt tolerandi in republica. Maior patet, quia vnio est forma, & publicum bonum est finis ciuitatis. Minor constat, quia monasticè viuentes ab vnione ciuitatis se separant, & publico bono se non accommodant.*

Vnio, externa, inrerna.

Resp. *Vnio ciuium non solum est externa in bono vtili & iucundo, sed etiã interna in bono honesto ciuitatis; quamuis Heremitæ & solitariè viuentes se separant ab vnione externa bonoq; vtili & incundo, sunt tamẽ coniuncti in vnione interna & bono honesto, cui non minùs imò multo magis student, quàm qui in theatro ciuitatis lucent. Cum ergò non minus pietate, consilio, sapientiâ reip. prosunt, quã qui arma gerunt, aut qui publica negotia tractant, & sunt pro ciuibus habendi & etiam tolerandi in ciuitate; maximè in ea, in qua, vt in 7. libro docet philosophus, ciuis bonus à bono viro non distinguitur.*

Bonum vtile, honestum.

Lib 7. cap. 3.

Opp. *Inuitâ Mineruâ, & contra naturam monasticè ac solitariè viuentes agunt: ergo non sunt tolerandi. Antecedens probatur, quia naturale est vt quisq; mortalium sit appetentior societatis non solitudinis. Argumentum tenet, quia nihil contra naturam est in ciuitate tolerandum.*

Hominis natura, animalis, intellectualis.

Resp. *Duplex est natura in homine, animalis & intellectualis: illa in solitariè viuentibus supprimitur, hæc verò longè excellentior & diuinior redditur; at hæc est propriè natura hominis. Nam vt res quælibet est sua forma: ita homo est in essentiâ nihil aliud quàm mens sua vt testis est Aristoteles in decimo libro Ethicorum cap. vltimo, vbi docet illum humanam vitam solum viuere, qui secundum intellectum & sapientiam, non secundum appetitum & concupiscentiam viuit.*

## Distinctio quartæ quæstionis.

*An ciuitas sit domo prior?*

Duo in hac quæstione considerantur,

- Ordo generationis, & sic partes ciuitatis sunt priores ciuitate.
- Ordo perfectionis & intentionis naturæ, & sic ciuitas est prior suis partibus, nempe domo & pagis.

Opp.

Ab efficiente. Opp. *Domus prius intenditur à naturâ quàm ciuitas: ergò intentione naturæ ciuitas domo prior esse malè defenditur. Antecedens probatur, quia id primum facere intendit natura quod primum fieri necessariò debet, sed domus necessariò fieri debet, antequam ciuitas fiat: ergò primum domum, non ciuitatem intendit natura.*

Resp. *Ratio hæc est fallax, à secundum quid ad simpliciter; fateor enim quòd natura intendat domum primùm fieri, in ordine tamen ad ciuitatem; quippè intẽdit primùm ciuitatem tanquã perfectionem domus. Cæterùm quoniam ciuitas fieri non potest sine domo, domum primum quidem facit vt partem, non autem intendit vt finem operis.*

Ab Absurdo. Opp. *Ridiculum est docere domum primùm fieri, & tamen negare domum primum esse: ergo si natura intendat domũ primùm fieri, intendit etiam domum primũ esse, & ex consequẽti domus prior erit ciuitate. Antecedens probatur quia res nõ fit, nisi etiam esse dicatur.*

Fieri, & Esse. Resp. *Aliud est fieri, aliud est esse. Nam quamuis esse ad fieri sequatur, tamen fieri modũ generationis, esse modũ perfectionis significat, & hoc est quod nos contendimus, ciuitatẽ esse primùm in suo esse & modo perfectionis, domum esse primùm in suo fieri & modo generationis.*

## CAP. III.

*An domus solum ex trinâ societate herili, nuptiali & paternâ constet?*

*An possessio rerum à nobis partarum aut à maioribus relictarum sit pars familiæ?*

*An seruus rectè definiatur, & an sit à natura?*

*An liceat fœminis imperare?*

Methodo sua facilior fit Aristoteles alioqui obscurus.

QVAMVIS Arist. sit planè Delphicus & obscurus, ordo tamen, quo in scribendo vtitur, illum longè faciliorem reddit. Vt enim lux tenebras noctis, sic ordo nebulas obscuritatis spargit. Proposuit in initio se primùm de simplicissimis partibus ciuitatis acturum, eundem nunc ordinẽ prosequi contendit, quippè tres partes domus hic ordine describit, vt quid sit domus perspecto, quid demum sit ciuitas perspiciatur acutiùs. Domus (inquit) perfe-

Domus perfectæ partes.



perfecta ex seruis & liberis constat; rectè ait domus perfecta: Nam domus pauperis ex domino & boue aliquando tantùm consistit. Per seruos & liberos herilem, nuptialem & paternam societatem hominumq; connexionem intelligit, ex quâ domus compacta hîc rectè definitur. Sed (ais) domus non est pars simplicissima ciuitatis. rectè mones. Non ergò de domo absolutè, sed de partibus eiusdem comparatè hoc loco agitur. Ac primùm (vt ipse ait) de domino & seruo, quorum coniugationem natura primò peperisse videtur: in homine enim intellectus domini, appetitus mancipij & serui rationem subijt. Sed vt ordine procedã, mihi videtur philosophus in hac parte cap. mouere quatuor. Primum, An ex societate herili, paternâ, nuptiali constiat familia? Alterum, An res possessa sit pars familiæ? Tertium, An seruus sit à naturâ? Postremum; An fœminæ imperare liceat? Quæ hîc interserit Arist. de opinione illorum qui herilem administrationem eandem cum regiâ & politica somniârunt, omninò non attingam: quippe satis de hac re primâque iam motâ quæstione in primo tractatu à me disputatũ esse existimo. Qui plura requirit, primam distinctionem & argumenta huius capitis legat. Nunc ad secundam quæstionẽ venio; quę est: An res possessa sit pars familiæ? Videtur non esse. Quippè ex alijs partibus quàm ex seruis & liberis non constat domus; quasi verò res partæ aut relictæ seruorum rationem non habeant? Non certè. Dic causam: quia serui & liberi homines sunt, at res possessæ sunt inanimatæ, vt ager, supellex, & pecuniæ. Quid, an hæc solùm? Imò. Erras profectò toto cœlo. Nam seruus quem tu hominem appellas, res etiam possessa dicitur. Qui tandem id probas? Vt Arist. in textu probat. At qua ratione ille? hâc nimirum: quia est in potestate & possessione domini. Est autem quædam distinctio rerum possessarum. Dic illam. Rerum possessarum (inquit philosophus) alia sunt inanimæ, aliæ animatæ. Inanimæ sunt vt clauus, pecten & radius textoris; Animatæ sunt vt bos, canis & seruus præcipientis. Est ergò res possessa pars quidem familiæ, est etiam seruus res quidem possessa. Quòd ita sit necessariò ratio docet, quia sine his

Partes familiæ, nuptialis, paterna, herilis.

Res possessa est pars familiæ.

Seruus instrumentum est & res possessa.

Res possessæ, vel inanimæ sunt, vel animatæ.

his instrumentis, domus nec esse, nec bene esse potest. Quemadmodum enim gubernatori nauis, inanimatum instrumentum clauus est, animatum verò is qui ad clauum sedet: ita patrifamilias supellex instrumentum inanimum, at seruus instrumentum animatum à naturâ datur. Et vt nauis non est tuta, si illa non sint: ita domus non est salua, si hæc in familiâ gubernandâ desint. Hoc addam, quia vt res inanima est ad manum artificis: ita seruus est ad nutum domini ac possessoris. Concludit ergo rectè Aristoteles, seruum & rem possessam & instrumentum esse: rem possessam, quia sub imperio domini tenetur; Instrumentum, quia illo dominus non aliter ac instrumento vtitur. Est tamen instrumentum animatum vt dixi, quia alia instrumenta inanima nec se mouere, vt Dedali simulachra; nec se tueri, vt tripodes Vulcani possunt, quos ait poeta,

Seruus instrumentum animatum.

Plato in Menone.

*Diuinum vel sponte sua certamen inisse.*

Cùm ergò nec radij textoris vi suâ texunt, nec plectra cytharam vi propriâ pulsant, nec denique vlla alia instrumenta inanima per se actionem pariunt; necesse erat vt aliud instrumentum natura pareret, quod animo præditum opera sui domini expeditiùs rectiúsque absolueret. At hic seruus est, qui specie & naturâ ab alijs instrumentis distinguitur. Hoc probat Philosophus duabus rationibus à triplici distinctione instrumenti sumptis. Prima hæc est. Instrumenta actiua vt aiunt & factiua differunt, sed seruus est instrumentum actiuum: ergo ab alijs quæ sunt factiua differt. Actiua sunt, quorum operâ nihil acquiritur præter vsum, vt vestis & seruus: Factiua sunt, quibus aliquid præter vsum acquiritur, vt pecten & gladius. Altera ratio sic se habet. Actio & effectio specie & naturâ dissident, ergò & instrumenta quibus illa indigent. Nam sicut actiones per obiecta, potentiæ per actiones: ita instrumenta per suos effectus differunt. Postrema ratio est, quòd vita sit actio (est enim actio prima animæ vigentis) sed seruus est instrumentum vitæ, ergo seruus est instrumentum actionis.

Instrumẽtum actiuum, factiuum.

Arist. Eth. lib. 1. cap. 1.

Quo



Quo dato, sequitur, quod re & naturâ separetur ab illis, quæ instrumenta passionis habentur. Ex his omnibus serui definitio elicitur. Vt sit instrumentum animatum, actiuum, separatum, alterius homo existens, vtensque ratione alienâ non suâ, cui naturale & vtile est seruire. Si optes hanc definitionem planiùs exponi, dicitur instrumentum animatum, sic ab inanimato; actiuum, sic ab effectiuo; separatum, sic à coniuncto; homo alterius existens, sic à libero; vtens ratione alienâ non suâ, sic à liberto; cui naturale & vtile est seruire, sic à captiuo differt. Ferunt seruum ab Aristotele hìc definitum, ab Apelle olim sic graphicè delineatum fuisse, vt aures asininas, nares porcinas, manus omni instrumentorum genere refertas, humeros patulos, macilentum ventrem, pedes ceruinos, labia duabus seris clausa & obserata haberet. Per aures asininas tarditas in audiendo consilio; per nares porcinas velocitas in olfaciendo herili commodo; per manus instrumentis plenas voluntas ad omnia subeunda opera; per humeros patulos robur ad omnia sustinenda onera; per macilentum ventrem vitæ frugalitas; per pedes ceruinos corporis agilitas; per labia seris duabus clausa animi fidelitas intelligitur. Seruum hìc descriptum, seruum depictum habes. Altera nunc quæstio sequitur, An hìc seruus sit à naturâ. Affirmat esse, idque probat à prouidentiâ naturæ, à multiplici distinctione rerum, à comparatione animi & corporis, ab exemplo maris & fæminæ, à robore & vastitate multitudinis. A prouidentia naturæ, quæ in necessarijs non deficit; à multiplici distinctione rerum, quia in omnibus quoddam imperium & seruitutem arguit; à comparatione animi & corporis, quia illum vt dominum imperare, hoc vt seruum parêre docuit; ab exemplo maris & fæminæ, quia in omni genere animantium hæc illi inseruire disceret; à robore & vastitate multitudinis, quam solam ad seruitutem natura destinauit. Mira est prouidentia naturæ in seruis procreandis meo quidem iudicio. Nam aliter quæ domus? Quæ ciuitas? Quod imperium? Quis ordo? Quæ rerum cura & administratio esse potest?

Seruus quid.

Seruum quomodo depinxerit Apelles.

Serui propria.

Quæstio tertia.

Seruus est à natura.

Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Serui necessitas.

Quorsum

Quorsum alios solertes & ingenioſos, alios hebetes & plumbeos produceret? Quorsum in elementis, in plantis, in belluis, ordinem dignitatis & seruitutis præscriberet, hominibus verò quos dominos illorum finxit imperium denegaret? Pulchrum est profectò intueri theatrum rerum omnium, & in eo hoc vnum animaduertere, quomodo inferiora omnia superioribus vt mancipia dominis subijciantur; sic terra aquæ, aqua aëri, aër igni, omnia elementa, & ex eis mixta imperio cœli subiecta influentiam, motum, lumen: non aliter quàm serui à suis dominis rationem, vestem & victum habent. Seruum igitur à naturâ negas? Tu ipse ergò delicatule, sentinam in naui haurias, rastris & aratris terram fœcundiorem reddas: hæc quidem præstanda sunt si viuas, & tibi certè si seruos esse à natura neges. Leuis & inconsiderate homo, nonnè in teipso corpus animo, appetitum menti, affectum voluntati subesse à natura vides? Tu ipse ciuitas es, cur ergò in ciuitate id à naturâ non inesse asseris, quod in teipso inesse confiteris? Vide marem, vide fœminam, nonnè illum quasi potentiam, nonnè hanc vt impotentiam fecit natura? Sed opportunè postrema nunc quæstio discutienda venit. Audi philosophum. Mas cum fœminâ comparatus melior est, hæc autem deterior, & ille quidem imperare, hæc autem imperio » parere debet. At caue ne virus ex his verbis haurias. Nam » multæ sunt fœminæ meliores viris, quas magis regnare quàm parere decet. Non dicit Philosophus omnem virum, sed virum fœminâ meliorem esse. Non dicit omnem fœminam, sed fœminam subesse viro. Vt ergò sermone vti aut dominari in hominem quidem cadit à naturâ, omnibus tamen sub homine comprehensis non conuenit: (multi sunt muti, multi sunt serui) ita meliorem esse fœminâ in virum à naturâ cadit, omnibus tamen, sub hoc nomine comprehensis, nequaquam conuenit. Multi enim sunt stulti, sunt multi ad seruitutem nati. Errant ergò & hallucinantur omninò, qui ex hoc loco Arist. fœminis consiliũ & imperium negãt, qui omnes iugo seruitutis premunt, qui omnes ab omni virtutis arce & mercede pellunt. Inter illas enim sunt [a] Sabæ, quæ insigni sapientiâ;

Galen. 13. therapeutic. Plut. de placit. philoso. 4. Cic. de nat. Deor. l. 2.

Quæstio quarta.

Fœminis non negatur prorsus imperium.

Fœminæ celebres.

[a] 3. Reg. cap. 10. Math. 10.



sapientiâ; [b] Corneliæ, quæ multiplici rerum cognitione; [c] Artemisiæ, quæ rara fortitudine; [d] Susannæ, quæ mira castitate ipsos viros superant. Huc adde, si placet, quòd [e] Tomeris Cirum, [f] Hester Hamonem, [g] Iudith inermis Holofernem vicerit. Quid? Sunt inter fœminas quædam à natura liberæ, sunt ingenioſæ, sunt scientiâ, consilio, pietate, omniqué virtutum genere decoratæ: & tamen pro seruis & mancipijs habentur? Nunquam hoc sensit Philosophus. At sensit quidem. Dic vbi. In postremo cap. huius libri, in cuius principio hæc verba habet. Mas ad principatum obtinendum aptior est quàm fœmina à natura. Non pudet te hunc « locum mancum & mutilatum protrudere? Cur ea quæ se- « quuntur verba dissimulas? Sic enim loquitur philosophus. Mas ad principatum obtinendum aptior est quàm fœmina à « natura, nisi forte ita comparatus est vt à natura desciuerit: hoc « ipsum (Nisi) iniquum te esse iudicem huius causæ prodit. Præterea nec rem de qua agitur, nec vim pronunciati diligenter attendis. Non rem, quia de mari & fœminâ. Non de omni mari, de omni fœmina disputatur. Non vim pronunciati, quia de fœmina subiecta viro in nuptiali communione hic locus intelligitur. Sed quid respondes loco sequenti in eodem capite, quòd fœmina habeat illa quidem consultandi facultatem, sed irritam & imbecillam? Simile illic de virtute fœminæ habetur iudicium, nempe quòd sit quidem in illa virtus sed languida & imperfecta. Hæc de fœmina nupta non libera, de coniuncta viro non soluta & immuni intelliguntur omnia. Concludam ergò; natura fœminam sæpè solertem, industria literatam, educatio piam, experientia sapientem facit; quid obstat igitur, quo minùs administret rempublicam? Iterum natura eam sæpè liberam parit, cur seruiret? Eam regni hęredem parit, cur non regeret? Hæc piæ leges, hæc gentium mores, hæc instituta patrum, hæc sacrarum literarum exempla probant. Insanis ergò furentiùs vir bone, qui odio in vnam fœminam incitatus monstrosum regnum fœminarum doces. Hoc vnum disce, si sis Philosophus, quòd in fœminis imperfectio humoris

[b] Quintilianus.
[c] Gellius lib. 10.
[d] Daniel 13.
[e] Iustin. lib. 1.
[f] Hest. cap. 6.
[g] Iudi. cap. 13.

moris non sit in illis defectio virtutis. Molliores sunt viris fortasse corpore, at viris virtute non sunt secundæ. Si illis sceptrum natura dederit, cur regnum negas? Si splendore virtutis te multum superent, cur debitum & officium non persoluis? Hæres est Angliæ iam vna fœmina, nega si audeas; per multos annos regnauit beata, fœminarum imperio ergò subscribas.

Et regnet precor.

## Distinctio primæ quæstionis.

*An domus ex herili, nuptiali & paterna societate constet?*

Domus partes, instrumenta, finis.

- In domo considerari debent
  - Partes
    - Materiales, vt pater, filius, dominus, seruus, vir & vxor. Hæ enim personæ materiam domus repræsentant.
    - Formales, quæ sunt materialium illarum partium in suis officijs vniones & respectus naturales, vt in viro & vxore ad conseruationem speciei; in domino & seruo ad administrationem rei familiaris.
  - Instrumenta quæ dicuntur, aut
    - Animata, eadémq; aut
      - A naturâ, vt serui.
      - A lege, vt conductitij.
    - Inanimata, vt omnia supellectilia ad vsus necessarios destinata.
  - Finis
    - Proximus, vt administratio & conseruatio familiæ.
    - Remotus, vt administratio & conseruatio ciuitatis.

Ab instantia.

Opp. *In omni domo trina societatum copula seu connexio non est: ergo domus hoc modo non rectè definitur. Antecedens patet, quia in domo aliquando desunt liberi aut serui, vt experientia docet.*

Resp. *Domus distinguitur in perfectam, quæ hic ab Aristotele definitur; & in imperfectam, in qua aliquando vna istarum connexionum desideratur.*

A distributione, ab effectis,

Opp. *Acquisitio, possessio & administratio rerum (in textu) partes familiæ dicuntur: ergò sunt plures his tribus, quæ hic à Philosopho assignantur.*

Resp. *Ratio acquirendi, possidendi & administrandi res necessarias pars domus in textu dicitur, quia sub illâ forma ipsius domus (quæ est naturalis societatum istarum vnio) comprehenditur. Distinguunt ergò quòd aliæ sint partes materiales, vt*



*vt Pater, Filius, Dominus, Seruus, Vir & Vxor: aliæ formales, vt scientia iustè acquirendi pecunias, & ratio prudenter administrandi res necessarias, sine quibus (vt ait in textu Philosophus) familia nec esse, nec benè esse potest.*

Ab efficiente.

Opp. *Partes domus sunt à naturâ: sed instrumenta & supellectilia non sunt à naturâ: ergò non sunt partes domus. Maior constat in hoc cap. quia tota domus est à natura. Minor probatur, quia instrumenta & supellectilia sunt plerumque bona fortunæ, quæ arte potiùs quàm naturâ constant. Exempli causâ, rastrum & aratrum agricolæ, sceptrum & coronam principi, aliaq; mille, ipsa scientia non natura finxit.*

Resp. *Respondent quidam omnia instrumenta & supellectilia in domo esse à naturâ quoad materiam, non quoad formam; verbi causa, Natura dedit lanam non vestem, lignum non lectum, corium non calceum, ferrum non gladium, & in similibus. Sed hoc responsum parùm placet, quia hæc omnia in materiâ solâ considerata non sunt magis partes familiæ quàm alterius cuiuscunq; rei, quæ ex illis constet. Respondeo igitur omnes essentiales partes domus esse à naturâ, quales sunt societates illæ & illarum connexiones: sed hæ sunt partes fortuitæ & accidentales (vt aiunt) quæ existentiam potiùs quàm essentiam spectant.*

A definitione.

Opp. *Illa sunt ex essentiâ sine quibus aliquid nec esse nec benè esse potest: sed sine instrumentis & supellectilibus domus nec esse nec bene esse potest: ergò sunt ex essentiâ, & ex consequenti non sunt partes fortuitæ solùm & aduentitiæ. Minor est in textu Aristotelis.*

Resp. *Multa sunt accidentia necessaria, tam ea quæ materiam sequuntur, vt dimensiones respectu corporis, quàm ea quæ formam, vt splendor & radius respectu solis: sic instrumenta & supellectilia sunt valdè necessaria respectu domus, cuius eatenus partes dicuntur, quatenùs vsum in illa habent. Ad locum respondeo, quod esse & bene esse illic pro esse (vt aiunt) existentiæ, vsúque eiusdem perfecto sumuntur. Nam vt beatus aliquis vulgò non dicitur, qui instrumentis fortunæ eget, quamuis essentia felicitatis in sola virtute maneat: ita domus populariter esse non habetur, quæ istis instrumentis fortunæ caret, quamuis essentia*

*domus in trinâ societate propriè emineat & subsistat.*

## Distinctio secundæ Quæstionis.

### *An possessio rerum à nobis partarum aut relictarum sit pars familiæ?*

Possessio accipitur bifariam, aut
- Materialiter pro rebus ipsis possessis, & sic sunt partes fortuitæ & accidentales, vt suprà docuimus.
- Formaliter pro vsu & administratione, & sic est formalis pars domus, aut saltem sub illa parte comprehenditur.

A disparatis. Opp. *Nullæ substantiæ sunt partes accidentales: sed res possessæ sunt substantiæ, vt patet de lana, oleo, grano &c. ergò non sunt partes accidentales. Nam substantia accidens nec est, nec esse dicitur.*

Resp. *Vt homo, quamuis sit substantia, in prædicamento relationis accidens dicitur respectu domini aut serui: ita res possessæ vt vestis, calceus, ager, licèt sint substantiæ, accidentia dici possunt respectu familiæ, cuius essentia in relatione non in substantia ponitur.*

A forma. Opp. *Vnio & ordo administrandi res necessarias est forma domus: sed possessio non est vnio aut ordo administrandi res necessarias: ergo non est forma domus, & per consequens pars malè formalis dicitur.*

Pars familiæ primaria, minùs primaria. Resp. *Pars familiæ dicitur vel primariò, quæ est ipsa rei forma, vt ratio respectu hominis, ordo respectu domus: vel minus primariò, quæ est affectio consequens ipsam formam, & sic possessio forma aut pars formalis dicitur. Hinc in 2. cap. primi lib. œconomicorum ait Philosophus. Domus quidem partes sunt homo & possessio: homo materiæ, possessio formæ rationem habet.*

Ab adiuncto. Opp. *Possessio rerum partarum aut à parentibus nobis relictarum mutari potest manente domo: ergo non videtur esse pars domus. Antecedens probatur, quia talis possessio vendi aut mutari potest. Argumentum sequitur, quia totum non manet sublatâ parte.*

Resp. *Domus non manet si tota possessio ruat. Possunt quidem res ipsæ subiectæ possessioni in commutationem iustè mutari: at si omninò possessa tollantur, domus eodem motu labefactata cadit.*

*Distinctio*



*Distinctio tertiæ quæstionis, An seruus sit à natura.*

Homo consideratur, vel
- Ante lapsum, & sic seruitutis pœnam non sensit.
- Post lapsum, & sic à naturâ inter mortales seruus esse debet, quod probatur
  - Prouidentiâ naturæ, quæ in necessarijs non deficit, quod quidem fieret, si suum lapsum & miseriam, seruorum ope non resiceret. — Seruus à natura sex de causis.
  - Ordine & dispositione aliarum rerum, quarum aliæ alijs antecellunt.
  - Cõparatione totius animi, qui regit corpus, mentis quę appetitum vt seruum habet.
  - Exemplo viri, cui fœminam in matrimonio natura subiecit.
  - Intentione naturæ, quæ alios solertes, alios hebetes & minùs ingeniosos parit.
  - Effectu, quia alios vastos & deformes, alios pulchros & elegantes constituit.

Opp. *Omnis impotentia siue defectus est præter naturam: sed seruitus est quædam impotentia seu defectus: ergò seruitus est præter naturam. Maior est Arist. in secundo Ethicorum. Minor probatur, quia minùs valere animo & virtute est quædam defectio: sed seruus minùs valet animo & virtute: ergò seruus est quædam defectio.* Ab adiuncto.

Resp. *Quamuis seruus sit quidam defectus respectu domini, non tamen sic est respectu naturæ, quæ seruum necessariò efficit & intendit. Fateor hoc ipsum (minus valere animo) esse defectum sanè: at verum hoc est si cum domino conferatur, non si in suâ ipsius natura consideretur seruus: nam seruo minus valere ingenio vtile est, quia ei seruire perfectio est. Absolutè ergò philosophus non loquitur, cùm dicat impotentiam & defectum esse præter naturam: intelligitur propositio solùm in illis, quorum perfectionem intentam à natura quædam (præter optatum) naturæ imperfectio sequitur, vt si intendat hominem, & producat monstrum. Præterea sunt quædam impotentiæ, quæ etiam naturales dicuntur, vtpotè fœmina, senectus, infantia; quas si esse præter naturam dixeris, erras, quia ab ipsa natura procreantur.* Seruus quomodo defectus sit. Serui perfectio seruire est. Impotentiæ naturales, senes, fœminæ, infantes.

Opp. *Natura omnibus & singulis hominibus eandem essentiam, easdem potentias animi, eandem libertatem voluntatis dedit: iniusta ergò esse videtur, si alios ad seruitutis iugum coëgerit, alios ad dignitatis & honoris solium pertraxerit. Antecedens negari non potest. Argumentum probatur, qui iniustum est libertatem in animi* Ab efficiente.

*essentiâ concedere (quam omnibus secundum philosophum dedit natura) & eandem iam datam vinculis duræ seruitutis premere & coërcere.*

Resp. *Natura omnibus & singulis eandem essentiam, easdem potentias animæ, eandem libertatem voluntatis dedit; sed ita dedit, vt eodem modo in omnibus & singulis non afficerentur, neq; hoc ipsum est iniustum in imperio naturæ, quia prospiciens hoc fore inutile & pernicioſum sibi, si omnes regerent, sua dona pro summâ prudentiâ varijs modis distribuit. Quarè sicut in omnibus mixtis componendis natura proportionem obseruat, non illam ad pondus (vt aiunt) sed ad iustitiam, vt vnum elementum in quolibet mixto prædominetur, subseruiat alterum: ita in constituendâ ciuitate, quæ est veluti mixtum opus naturæ, eam obseruat æquitatem, vt alius imperare, alius parêre possit. Et sicut in illis est iustitia, vt nihil præter naturam fieri dicatur: ita in his est ordo, vt nihil iniustè à naturâ efficiente intendi videatur.*

Naturæ iustitia.

Opp. *Si seruus is sit à naturâ habendus, qui minus & animo & virtute valet, duo magna incommoda in ciuitate sæpè sequentur: sed hoc fieri non debet: ergò sic non est definiendus seruus. Maior probatur, quia honorandi reges qui sæpè minus ingenio & virtute valent, & venerandi senes qui delirant, pro seruis à natura haberentur: quibus incommodis nihil absurdius, nihil immanius excogitari potest.*

Ab absurdo.

Resp. *Concedo equidem reges & senes aliquando minus sagaces ingenio, minus insignes virtute esse: nec hos nec illos tamen naturæ seruos esse concedo. Nam in rege non vnum hominem sed totam ciuitatem intelligo. Quare etsi in homine, qui rex est, sit quædam rationis aut virtutis defectio: in rege tamen qui est persona ciuitatis, nec ratio nec virtus deficit. In sene dico considerandum esse vitæ anteactæ cursum ac rationem; Si olim ingenio & virtute præluxerit, vitium ætatis mancipium non facit; si verò olim flagitioſè vixerit, natura eum non modò seruum, sed omnium seruorum exemplum & portentum fecit.*

Opp. *Omnis pœna est præter naturam, sed seruitus est pœna: ergò est præter naturam: quo dato, seruus non est à naturâ. Maior est perspicua, quia pœna est damnum naturæ. Minor probatur, quia ex*

Ab adiuncto.



*ex lapsu naturæ humanæ hoc malum contigit.*

Resp. *Credo equidem ante lapsum nec animo nec virtute nostros defeciſſe parentes. Scio vndique fuisse perfectos & tanquam intelligentias lucis; nescio tamen an dicam in ipso primo statu aliquam seruitutem fuisse, cùm deus homini in omnia creata potestatem & imperium dedit, imò in ipsam fœminam quam ex costa finxit. Sed hæc in sacrâ philosophiâ doctioribus relinquens, hoc solùm nunc dico, philosophos sic olim tractâsse naturam, vt eam post lapsum inuenerint, in qua seruitutem non pœnam sed subsidium, non perniciem sed salutem, non denique malum sed bonum ad necessarios vitæ humanæ vsus existimârunt.*

Opp. *Nullum violentum est naturale, sed seruitus est violentum: ergo non est naturale. Maior est perspicua secundo physicorum, quia violentum & naturale sunt opposita. Minor probatur, quia in seruitute est quædam coactio. Nam licet dominis seruos à naturâ ad abiectissima opera, cùm velint, cogere; & non aliter quàm boues in foro vendere.*

Ab aduersis.

Resp. *Rectè Seneca, Seruus ad vsum non ad crucem datur: crudelis est qui vulnerat, immanis & atrox est qui occidit seruum. Debet dominus vti seruo vt instrumento ad necessitatem vitæ. Sapienter Aristoteles, Cum seruis ita versetur dominus, vt neque superbos esse sinat, neque abiectos esse patiatur. Tria (inquit) sunt seruo necessaria, Opus, Cibus, Castigatio; opus verò & castigatio sine cibo violenta res est. Respondeo ergò, seruitutem non esse violentam, si vt natura iubet tractetur seruus.*

Seruus ad vsum, non ad crucem datur. Seruos nec superbos, nec abiectos esse finas.

Opp. *Ius naturale est quod omnibus conuenit, sed seruitus est secundùm ius naturale: ergò seruitus omnibus conueniret. Maior petitur à definitione iuris naturalis. Minor constat in ipso textu.*

A definitione.

Resp. *Quicquid conuenit secundùm ius naturale absolutè & formaliter, id omnibus conuenit: at seruitus solùm comparatè & respectiuè conuenit. Sed huic argumento in explicatione textus satisfeci.*

## Distinctio quartæ quæstionis.

*An liceat fœminis imperare?*

Fæmina potest imperare.

Rationes quibus probatur quòd fæmina imperare possit, sunt

1 Quia ipsa natura aliquando fæminas hæredes regnorum facit; quibus depositis non solùm seditio sed etiam confusio in repub. orietur.

2 Quia fæmina non minùs quàm vir secundum naturam, animi consilio, prudentia, virtute, valere potest; at qui ita pollent & excellunt à naturâ, domini in textu esse dicuntur.

3 Quia leges, instituta, exempla maiorum nostrorum hoc licitum esse confirmant.

4 Quia corporis mollities, aut imperfectio humoris in fæminâ illam non magis quàm senem aut infirmum à mercede virtutis, id est honore, debet secludere.

5 Quia testimonio sacræ philosophiæ imperium fæminarum approbatur.

Ab adiuncto.

Opp. *Omne imperfectius perfectiori iuxta naturæ ordinem & præscriptum subesse debet, sed omnis fæmina est imperfectior viro, ergo omnis fæmina subesse debet. Maior constat. Minor probatur, quia omnis fæmina est naturalis quædam impotentia & imperfectio naturæ, vir autem naturalis potentia & perfectio naturæ dicitur.*

Imperant qui dotibus animi præstant.

Resp. *Duplex est respectus in fæmina, videlicet animi & corporis: fatemur omnem fæminam esse naturalem quandam impotentiam & imperfectionem naturæ, si aut mollitudinem corporis aut infirmam temperaturam humoris spectes: sed hoc loco imperium naturale non solùm corporis viribus, sed mẽtis etiam dotibus & ornamẽtis definitur, in quibus fæmina aliquando (vt antè docuimus) ipsos viros superat.*

A pari.

Opp. *Mores animi sequuntur temperaturam corporis: ergo si fæmina sit imperfectior corpore, verisimile est quòd sit etiam imperfectior animo. Antecedens probatur, quia dum mens est in corpore, tam diu corporis organis & instrumentis vtitur ad suos actus producendos.*

Mores sequuntur temperaturam.

Resp. *Mores animi plerumq; non semper temperaturam corporis sequuntur, imò corpore infirmo ac morituro sæpè animus vigetior redditur; causa est, quia tum disruptis quasi seruitutis vinculis ad suam immortalitatem ac libertatem volat. Concedendum quidem est in plerisq; fæminis non aliter ac in viris animos infirmiores esse: hoc tamen in omnibus contingere pernegamus. Sunt enim plurimæ, quæ deuictis ac sedatis perturbationum procellis*



*cellis mentes placatas ac tranquillas gerunt.*

A disparatis.

Opp. *Valdè indecorum est in naturâ vt fæminæ leges condant, vt viris præscribant, vt bella gerant, vt bonos, animosos & sapientes doceant; ergò valdè indecorum est vt fæminæ tuus imperij in viros teneant. Antecedens probatur ex Philosopho, vbi docet quòd adferat decus omni fæminæ silentium; si dicat omni, excludit nullam. Præterea in omni benè institutâ repub. fæminæ à senatu vt nimis garrulæ, leues, & inconstantes abiguntur, illis in concilijs loqui aut garrire non permittitur, iure ciuili aut canonico illis imperium non conceditur.* Pol. lib. 1. cap. 8.

Resp. *Multa quidem sunt in hoc argumento quæ vrgent, quæ vero cogunt aut vincunt nulla. Indecorum non est in naturâ vt fæmina virtute excellens cum consensu suorum subditorum leges condat, vt consulari dignitate ac vigilantiâ vtens viris præscribat, vt forti animo prædita bella iusta suscipiat, vt bonos, animosos, sapientes ad suum consilium admittat, vt constans, grauis, & prudens, cum Lacedæmoniorum fœminis in ipsum senatum veniat. De concilijs, de iure ciuili & canonico quod adfers, dico imperium per illa fœminis negari, non quòd non possint imperare à naturâ, sed quòd opere plerũq; id minus præstent, quod ab ipsâ naturâ suscipiunt.*

Opp. *Aristotelis verba in hoc Cap. sunt, quòd Mas imperare, quòd fæmina parere debeat. Iterùm, Mas melior est à natura fœminâ. Iterum in Cap. 8. Liber seruo, Mas fæminæ imperare debet. Adhuc Mas ad principatũ obtinendum aptior est quàm fæmina, nisi vir à naturâ desciuerit; huc adde quòd fœminam silentium deceat, quòd virtutem non habeat nisi admodum infirmam & imbecillam. Sexcenta sunt alia loca quæ eundem sensum ac sententiam habent; ergo non est probabile quòd Arist. fœminis imperium concedere, licitum putet nedum laudabile.*

Resp. *Omnia hæc loca de fœminis coniũctis viris (vt antè responsum est) intelligi debent, quæ maritis quidem parent, sed imperant familiæ, vel pares dum vxores, vel solæ dum viduæ aut virgines.*

Dubium capitis.

An { *Animus corpori imperio herili* / *Mens appetitui imperio ciuili* } *præsit?*

Animus corporis herus.

Disces melius quid sit ciuitas, si in teipso quodammodo ciuitatem discas. Animus in corpus, mens in alias potentias animi imperium tenet; iubet animus, ad nutum & iussum moCic. 5. de finib. uetur corpus; præscribit ratio, aliæ animi partes obsequũtur.
Plat. in Timæo Sed attende quòd corpus vt seruus suo domino, quòd appetitus vt ciuis suo regi subsit. Nam corpus sic est in potestate animi vt non repugnet. Appetitus verò sic est in potestate mentis vt eius imperio sæpè resistat. Herile ergò est imperium animi in totum corpus, ciuile autem mentis respectu appetitus.

Ciuitas accipitur
- Verè, vt est anteà descripta.
- Analogicè, & sic in homine est quædam imago & similitudo ciuitatis, quia
  - Animus corpori.
  - Mens voluntati.
  - Omnes præstãtiores potentiæ inferioribus dominantur.

Plat. pol. 4. 8. & 9.

A definitione. Opp. *Omnis seruus est instrumentum domini: sed corpus non est instrumentum animi: ergò non est seruus, & per consequens animus imperium herile in corpus non habet. Maior est in hoc Cap. Minor est Arist. tertio de Anima, vbi docet quòd animus sit inorganicus, id est sine instrumentis.*

Resp. *Intelligitur illic Philosophus de instrumentis coniunctis non separatis, quale est seruus. Animus enim non habet propria instrumenta coniuncta sibi in essentiâ, sed dum est actus corporis vtitur organis eiusdem pro imperio ad suos actus producendos: sic oculis ad videndum, linguâ ad loquendum, auribus ad audiendum vtitur.*

Ab adiuncto. Opp. *Appetitus in primo Ethicorum expers rationis dicitur; ergò in illum potiùs herile quàm ciuile mentis debet esse imperium. Ratio probatur, quia ciuile imperium est, vt ait Philosophus in textu, solum in liberos.*

Resp. *Appetitus cõsideratur, aut*
- *Absolutè in essentiâ, & sic expers rationis est & seruus contumax: hoc modo mentis in illum est herile imperium.*
- *Comparatè, & sic aliquando factus est quasi obediens filius: hoc verò modo imperium animi in illum ciuile habetur.*

CAP.



## CAP. IIII.

*An præter seruum à naturâ sit seruus lege?*
*An capti bello sint verè serui?*
*An nobilitas sit à naturâ?*
*An vlla sit amicitia domini cum seruo?*

Seruitus legalis.

PRAETER seruitutem à naturâ datam, aliam lex ciuitatis dedit, de qua hoc loco acturus est Philosophus.
Hæc quatuor (quæ in capitis fronte intueris) dubia multas hic nugas & vmbras ingenij pariunt, quæ à Buridano & alijs, de distinctione seruorũ, mouentur: quas tamẽ motas lubens prætereo, illis enim tanquam tricis animus lectoris impeditus se facilè intra limites authoris non continebit. Est ergò seruorum alius à natura, de quo diximus: est alius à lege, de quo dicturi sumus. Seruus à natura is est, qui ingenio, consilio, & virtute deficit. Seruus lege, qui bello victus in alterius potestatem venit. Exempli causâ. Lis orta est inter reges, bellum indicitur, pugnatur, pars vna vincitur; lex iubet vt is qui fortunę cessit, alteri qui vicit, obsequatur. At legẽ hanc iniustam esse dico. quid ita? Quia imperium nõ potentiâ sed virtute, nõ fortunâ sed constantiâ animi, non incerto belli exitu sed multiplici optimarum rerũ ornatu definitur. Hęc quidem vna opinio est in textu, sed audi quomodo respondeat altera, nempè quòd hæc victoria (nõ sine virtute acquisita) carere non debeat triumpho, in quo captos seruos & captiuos teneat. At sic meliores sępè minùs in bello fortunati barbaris, sapientes ignaris, boni malis subseruirent. Concedo. Quid hoc absurdius? Imò si sic non fieret, quid hoc in repub. periculosius? Ostende causas. Tres assignantur in textu. Quæ sunt? Prima est à ratione legislatorum, secunda ab vtilitate vincentium, tertia à conditione eorum qui superantur: à ratione legislatorum qui politicè ac prouidẽter hoc modo remunerandos esse victores in signum virtutis suæ ac fortitudinis

Seruus ex lege quis.

Plato ex Pindaro 4. & 5. de legibus.

Legalis seruitutis rationes tres.

Prima.

nis putauerunt, in ſignum virtutis dico, quippè cum animos & intima cogitata hominum videre non poterant, vt ſolam virtutem remunerarent, ſapienter in illos propenſi ſunt, in quibus inſignia virtutum conſpiciuntur. Cum ergò victores tales ſunt in quibus veſtigia & quaſi expreſſæ imagines veræ fortitudinis ac magnanimitatis apparent: Lege non penitùs iniuſtè ſancitum fuit vt capti in bello vincentibus ſubſeruirent. Secunda ratio ab vtilitate vincentium ducitur, quia hâc ſpe allecti, animoſiùs ciues pro patriâ pugnant, nec non alios ſuo accendunt exemplo, vt ſtrenuè ac fortiter dimicantes ciuitatem defendant. Nihil enim militi animum alacriorem ad dimicandum addit quàm remunerari, nihil animum magis eneruat, quàm poſt periculum vitæ penitus contèmni, nedùm multis acceptis vulneribus aut fame perire, aut reſti ſuffocari. Vtinam ſanè armatis meliùs conſuleretur, non enim in altis mœnibus ciuitatum, ſed in expertis manibus armatorum militum conſiſtit imperij ſalus & tutela. Tum acriùs fortiuſq; pugnatur, cum ſpe premij miles ad pugnandum rapitur. Poſtrema ratio eſt à conditione illorum, qui ſuperantur in bello; quippe illis etiam vtile eſt iam inclinata fortuna à mortis faucibus liberari, eiſq; ſeruire, qui illos potiùs ſeruare quàm occidere & mactare elegerunt. His iam datis, alia legis ratio adhiberi poſſit, quòd bellicoſi homines ad furta, ad homicidia, ad omnia denique flagitia facilè accurrant, ſi nullum præmiũ ex ſpolijs hoſtium & captiuorum expectarent. Quoniam nunc conſtat ratione non ſolùm naturâ ſed lege etiam ſeruum definiti, videamus paucis, qualis ſit ille tandẽ qui legis edicto ſeruus appellatur: ſi is ſit qui in bello capitur, quæſtio eſt, an verè ac iuſtè hic nominatur ſeruus. Soluit hunc nodũ in textu Philoſophus diſtinguendo. Eſt inquit iuſtum ſimpliciter, & iuſtum ex parte. Iuſtum ſimpliciter eſt, vt mancipium à natura ſimpliciter & abſolutè ſeruus appelletur. Eſt verò iuſtum ſecundùm quid & ex parte, vt in bello captus ſerui nomine inſigniatur. Rationes in textu tres ſunt, à cauſa belli, à præſtantia captiui, à conſequentia mali: à cauſa belli, quæ ſi ſit iniuſta, iniquum eſt in natura vt victus perditorum iugum

Secunda.

Spes premij militem animoſũ reddit.

Milites mœnia ciuitatis. Tertia.

Quæſtio Secunda. Iuſtum ſimpliciter, & ex parte.



iugum durumq; imperium ſuſtineret. A præſtãtia captiui, qui ſi ſit à naturâ nobilis & virtute excellens, iniuſtioſum eſſe videtur vt ignobilibus ſubſeruiat. A conſequentiâ mali, quia miſerum eſt, vt boni à malis, iuſti ab iniquis, domini à ſeruis, præſtantes viri & eorum filij à barbaris & ſicarijs vendantur; ſic tamen agere cum illis licet, qui furore martis perculſi, in tyrannorum poteſtatem veniunt, ſimul enim cum captis vita, ſalus, libertas & honor capiuntur. Eſt ergò lex, quæ captos in bello ſeruos definit, iuſta illa quidem, ſed non ſimpliciter: eſt iuſta ob cauſas quas in prima quæſtione diximus; non eſt iuſta ſimpliciter, ob cauſas quas in hac ſecunda hypotheſi tradidimus: ſimili & pari ratione ſeruus eſt ſimpliciter, & ſeruus eſt ex parte: ille à naturâ, hic à lege datur. Hoc probat Philoſophus à contrario, quia is nobilis à naturâ dicitur, (non qui vt barbarus domi, ſed) qui vbiq; terrarum eandem lucem nobilitatis habet. Sed hîc opportunè de tertia quæſtione agitur, quæ eſt, an vera nobilitas ſit à naturâ. Magna olim fuit & nunc eſt inter mortales de nobilitate contentio, ſæpiùs enim agitur de honore & titulis imperij, quàm de virtute & ornamentis animi. Quot hodiè in altum per gradus fortunæ ſcandunt? Quot hodiè à ſolio in viſcum & lutum cadunt? Quàm pauci tamen ſunt qui quid ſit verus honor rectè intelligunt? Vis vt definiam? Eſt verus honor reuerentia quędam ſolùm bonis debita & data in ſignum virtutis. Eſt etiam, vt hîc probatur, quædam nobilitas à naturâ. Nam ſicut in radice eſt quædam potẽtia ac diſpoſitio naturę, cuius vi ac influentiâ in ramos ſuccus, vita & fructus deriuantur: ita in ipſâ naturâ eſt quædam facultas & propenſio, cuius motu à patre in filios nobilitatis quaſi ſapor diffunditur. Neq; eſt nuda in homine (vt ait Verſor) ad nobilitatem à naturâ intentio aut inclinatio, ſed ab ea cum inclinatione quædam ſitis & ordo fluunt, multi auidiùs, idq; à natura, eiuſdem amplexum & quaſi cubium quærant; hinc illud, digna eſt ſpecies quæ imparet: à hoc in textu.

Quæſtio Tertia.

Honor verus quid.

Honor naturalis quomodo dicitur.

*Diuina vtraq; ſtirpe prognatum, quis hunc ſeruum vocare non iniquum cenſeat?*

Helena Theodectæ.

Eſt

Nobilitas duplex.

Est ergò duplex perfectio nobilitatis, alia à natura in dispositione mentis, alia à virtute in directione volũtatis. Natura multis animos diuiniores, multis spiritus hebetiores dedit, in illis quædam nobilitas, in his quædam defectio inest. Si ita hæc sint, qui fit, quòd sæpè ex bonis mali, ex sapientibus stulti, ex liberis serui, ex nobilibus ignobiles & dissoluti procreentur? Nempe vel propter inualetudinem gignentiũ, vel propter abundantem aut deficientem materiã, vel propter educationem minùs bonã, vel propter exercitationes improbas quibus flos pueritię corrũpitur. Quare quẽadmodum dicimus non omnes homines seruos, sed seruos à natura fieri: ita non omnes nobiles, sed nobiles à natura procreari hîc demonstramus. Fatendum est Hippocratẽ summum ac sapientem virum stultissimos genera sse filios, fatendum est Hecubam concepisse flammam, peperisse incendium, aluisse Troianorum exitium: non tamen sequitur, quin natura in multis ad celsum nitatur honoris fastigium. Postrema nunc quæstio sequitur: An vlla sit inter dominum & seruum amicitia? Verbo absoluã. Ponit hoc loco Philosophus discrimen inter seruum à natura, & seruum à lege; illũ communicare cum domino in amicitia, hunc omninò dissociari putat. Hoc probat à relatione & conditione vtriusq;: à relatione, quia idem vtriq; prodest. Nam vt pars se habet ad totum: ita seruus ad dominum: sed prodest parti vt regatur à toto, ergò prodest seruo vt regatur à domino. A conditione, quia inter dominum & seruum à natura, est quidam animorum consensus, sed hęc duo in seruis lege non sunt: non primum quia idem vtriq; nõ prodest, non alterum quia inter illos consensus animorum non cernitur. Seruus ergò lege & seruus naturâ differunt. Cæterùm attende, quòd hæc amicitia inter dominum & seruum sit impar & inęqualis, ita tamen vt in relatione vtriusq; bonus dominus bonusq; seruus dicatur, iuxta illud Hesiodi.

Aristot. Rhetor. lib. 2.

Paris.

Quæstio quarta.

*Optimus ille quidem, qui per sese omnia nouit:*
*Ille bonus rursus monitus qui recta sequatur.*

sic de seruo loquitur.

Animaduertendũ hîc est, quòd in calce huius Cap. Arist. retexat dubium quod de diuersis administrationis generibus in primo cap. mouebat, nẽpe an gubernatio despotica ab œconomica, politica, & regiâ naturâ differat. Ostendit vt nos illic antea ostendimus, has species administrandi causâ, subiecto, materia & fine inter se differre. Sed acta nõ agam: hoc solùm nunc dico, me ea quę sic sparsa sũt, & quasi in varijs tabulis depicta ab Arist. in sua loca ita collecturũ, vt vbi mouẽtur quęstiones illic etiã solutiones habeantur. Hoc eo cõsilio me nũc feciss e & dehinc facturũ polliceor, ne distract° nimiũ lectoris animus desiderio langueſcat cognoscendæ veritatis.



Gubernatio Despotica, œconomica, Politica, Regia.

Distinctio primæ quæstionis. *An sit seruus lege?*

- Seruorum alius
  - Naturalis, vt antea probatum est.
  - Legalis, idemq; aut
    - Militiâ captus, qui seruus esse probatur
      - A ratione legislatoris, qui tales constituendo seruos communi & publico bono ciuitatis consulit.
      - Ab vtilitate vincentium, qui sic remunerati fortius & animosius pugnant.
      - A conditione eorum qui vincuntur, quos ratio iubet illis seruire à quibus iam victi conseruantur.
      - A cõsecutione multorũ malorũ, si hoc nõ fieret. Nã bellicosi hac spe sublatâ omnes crudeliter trucidarẽt, seq; ad rapinas & alia immania scelera penitus conuerterẽt.

      Scruus legalis duplex.
    - Pecuniâ conductus, qui ad tempus, lege, non aliter quàm seruus præstare debet officium serui.

Opp. *Lex (cum sit ratio iustitiæ) contradicere non debet naturæ & æquitati: sed lex, quæ victos in bello facit seruos, naturæ & æquitati repugnat: ergò seruos lege ponere præter seruos à naturâ non oportet. Maior constat. Minor probatur, quia est contra naturam & æquitatem vt ciuilis barbaro, sapiens stulto, iustus scelerato seruiat, at tales sæpè in bello superantur.*

Ab oppositis.

Resp. *Humana prouidentia finita est, omneſq; casus & euentus rerũ futurarũ in legibus de futuris sanciendis non videt. Hinc lex de seruitute captorũ in bello à notis & signis externis pendet. Legislator enim prospiciens victoriam esse signũ internæ virtutis (nempe fortitudinis) iubet victores captiuorũ seruitute remunerari: non est ergò contra naturam & æquitatem, vt capti in bello captiui fiant, quippè lex in hoc solum intendit bonum: quòd aliter contingat aliquando, id inconstantiæ & leuitati fortunæ, non legis iniquitati ascribi debet.*

Opp.

A forma. Opp. *Lex (quæ est iustitiæ norma) simpliciter iusta esse debet: sed hæc lex de seruis lege non est simpliciter iusta: ergò per se lex non est. Quo concesso, hoc quoq; sequetur, quòd seruus lege seruus non sit. Maior est Arist. in 5. Ethicorũ, vbi lex vox iustitiæ rectè definitur. Minor est in textu, vbi docet Philosophus hanc legem esse ex parte solùm, non absolutè iustam.*

Resp. *Non dicit in textu hanc legem esse ex parte iustam, sed esse secundum quid iustum, vt meliores in bello capti pareant se deterioribus. Lex iusta est, quamuis euentum legis aliquando videatur durum. Lex alia iubet, vt latro idoneis testibus victus & condemnatus hac luce priuetur, Aristides aliquis accusatur, graues sed falsi & laruati testes subornantur, capitis sententia fertur, in crucẽ tollitur, iustus Aristides quidem: propter hunc malum euentum legem iniustam, iudicem iniquum appellabis? Si hoc feceris iniuriam facis.*

A distributione. Opp. *Plura sunt genera seruorum quàm hæc duo: ergò mala est hæc diuisio seruorum. Antecedens probatur, quia opifices mercede conducti, milites sub imperio ducis, ciues sub authoritate regis serui sunt, hij enim omnes & singuli alijs tanquam dominis obsequi & obtemperare coguntur.*

Resp. *Hij sub seruis à lege analogicè continentur, quippe lex iubet mercenarios se conducentibus, milites imperantibus, ciues suis regibus subijci & obedire: est tamen discrimen inter hos & illos, quia in hos ciuile, in illos herile exercetur imperium.*

Ab effectis. Opp. *Qui vim & oppressionem inferri iubet est iniustus, sed istius legis inuentor vim & oppressionem inferri iubet: ergò est iniustus. Minor probatur quia hoc posito quòd causa belli sit iniusta, iniustæ etiam erit victoria, iniusta autem victoriâ existente tyrannus & oppressor est, qui deuictos & superatos perditorum tyrannidi subesse iubet.*

Resp. *Sepulueda & alij respondent hanc, de captiuis legem de bello iustè suscepto dari, putant enim si iniusta sit causa belli, iniustum esse omninò, vt capti captiui teneantur. Sed aliter hunc nodum solut Borreus: quòd licet bellum sit iniustum, non tamen est iniustum simpliciter vt capti victoribus obsequantur. Rationem addit, quia legislatoris intentio est, vt virtus vincentis sic honoretur.*

Distin-



## Distinctio secundæ quæstionis.

*An capti in bello sint verè serui?*

In seruitute legali solemus dito respicere,
- Causam belli, quæ est aut
  - Iusta, & sic est seruus secundum quid, vt aiunt.
  - Iniqua, & sic est seruus simpliciter, quia iustè malus in malâ causâ cadit.
- Naturam captiui, quæ est aut
  - Bona, & sic est seruus ex parte secundum legem.
  - Deprauata, & sic est seruus absolutè secundum naturam.

Opp. *Iniqua causa belli simpliciter seruum non facit: ergò malè distinguitur. Antecedens probatur, quia iniquitas causæ in rege motore belli solùm consistit, non autem in subditis, qui in periculum pugnante rege inuiti fortasse pertrahuntur, videtur ergò impium & iniquum vt pro vnius iniusti temeritate tot homines simpliciter serui habeantur.* Ab efficiente.

Resp. *Parũ attẽtè consideratur distinctio si sic cõcludas; non enim hîc docemus omnes & singulos cadentes in malâ causâ esse simpliciter seruos, sed illos solùm qui authores fautoresque iniusti belli existunt: quippe mali sunt & scelerati. Sunt etiam & reliqui à lege serui, at non simpliciter & eodem modo; ratio est, quia etsi regem pro officio defenderunt, iniustæ tamen causæ omnino non fauebant.*

Opp. *Legalis iustitia est optima species iustitiæ, vt docet Philosophus in 5. Ethicorum: ergò simpliciter & non ex parte iustum in repub. pro lege poneret. Quo dato, legalis seruus aut esset omnino seruus, aut penitus serui nomine non afficeretur.* A distributione ab effectis.

Resp. *Legalis iustitia optima dicitur, quia maximè bono cõmuni ciuitatis consulit. Cæterùm cum specialis lex de singulis rebus dari non potest, deficiente lege moderatur æquitas. Non est ergò aut in lege aut iustitia defectio, sed in humana prouidentia, quæ minùs rerum futurarum euenta hominumque acta & cogitata perspicit.*

Distinctio tertiæ quæstionis. *An nobilitas sit â naturâ?*

Nobilitas distinguitur.

Nobilitas est vel
- Naturalis, eademque bifariam, aut
  - Successione sanguinis, sic ex nobilibus nobiles gignuntur.
  - Intentione virtutis, & sic esse naturalis probatur, quia
    - Virtute magis quàm vitio conseruatur natura.
    - Bona dispositione corporis, quæ est à naturâ, mens actu nobilior redditur humana.
- Ciuilis, & hæc est in
  - Applausu multitudinis, quæ est leuis, inconstans & peritura.
  - Habitu virtutis, quæ à fortunâ & naturâ absolutè non pendet.

A proprietate naturæ. Opp. *Natura propensior est ad vitium quàm ad virtutem: ergò vera nobilitas, quæ est virtutis comes, à natura non fluit. Antecedens probatur, quia natura humana est corrupta & deprauata, ex quo sequitur quòd magis ad malum quàm ad bonum tendat.*

Resp. *Natura quidem hominis infirma est & vulnerata, nõ tamen penitus corrupta. Quarè vt infirmus medicum, vulneratus medicinam: ita natura virtutem, qua conseruatur, quærit. Hoc datum est lapidi vt suum bonum idq; à natura petat, hoc datum est homini vt luce naturæ illustratus suam perniciem fugiat. Cùm ergò in vitio ruinam, in virtute salutem videat; ad hanc à qua conseruatur potiùs, quàm ad illud à quo corrumpitur vi propria tenderet: lapsus autem non tendit. Nam sine gratia diuina nõ aliter quàm infans sine manu nutricis cadit.*

Virtus est medicina mẽtis.

A partibus. Opp. *Nobilitas neq; à materia, neq; à forma humana fluit; ergò non est à natura. Antecedens probatur: non à materia, quia nemo nobilis à trunco corporis dicitur; non à forma, quæ solùm esse, non nobile esse suæ materiæ tribuit.*

Nobilitas quomodo à natura.

Resp. *Nec à materia nec à forma per se, sed ab intentione naturæ & dispositione vtriusq; fluit nobilitas. In multis enim sic disponit materiam ipsa natura, vt tam corpore quàm animo proniores sint ad virtutem, à qua vera nobilitas est suscepta. Non ergo in natura est solùm inchoatio nobilitatis, sed etiam quædam dispositio motus & ordo, quo (adiutrice industriâ) citò acquiritur.*

A causa. Opp. *Honor & nobilitas à Deo sunt: ergò garriunt Philosophi qui à natura & industria hæc esse contendunt.*

Resp.



Resp. *Deus fons est & prima causa omnis virtutis omniſq; honoris, impium tamen non est neq; absurdum media & quasi instrumenta alia docere: erras, si sommes nos Deo quicquam detrahere, cum audias nos multum naturæ aliisq; causis ascribere. Hoc enim est magis laudare Deum, quoniam illum in operibus reddit glorioſiorem.*

Distinctio 4. quæst. *An vlla sit amicitia inter dominũ & seruum?*

Amicitia sumitur, aut
- Strictè, pro consensione parium in virtute, & sic non est. Amicitia communiter dicta est inter dominum & seruum.
- Communiter, pro mutuâ concordiâ & consensu in bono vtili quod vtrique prodest; & sic inter dominum & seruum est quædam amicitia.

Opp. *Seruus potest cum domino in virtute consentire; ergò potest veram amicitiam cum domino contrahere. Antecedens patet, quia virtus seruis non negatur.* A comparatis.

Resp. *Est virtus in seruo sed imbecilla, est conspiratio in virtute sed non libera. Nam si ait dominus, non negat seruus; si iubeat dominus, non resistit seruus. Est enim seruus eius, non is qui dominus; id est seruus non alter ego dicitur.* Virtus in seruo imbecilla.

Opp. *Vis omnem diuellit amicitiam: sed inter dominum & seruum est vis: ergò inter dominum & seruum non est amicitia. Maior est 8. Ethicorum. Minor probatur, quia in bello captus seruus est, qui vi martis ad seruitutem cogitur. Præterea voluntas serui naturalis, coacta non libera, eius ratio impulsa non soluta esse videtur. Ratio est, quia alterius est homo nõ sui, alienaratione vtitur nõ propria.* A repugnantibus.

Resp. *In primo exemplo ad idem non disputatur. Nam hîc de seruo naturali, non de seruo legali agitur. Quod vrges de seruo naturali, dico nec voluntatem in eo nec rationem esse coactam. Vult enim seruus idq; à natura suo domino inseruire, vult sibi prodesse, quod certè non fieret si alterius imperio se non subijceret.*

Dubium capitis. *An ex bonis boni naturâ generentur?*

Vetus est illud, qualis pater talis filius, quippè ex bonâ causâ bonus effectus nascitur. Vt ergò monstrum est si ouis lupum, si canis leonem: sic monstrum est si bonus Neronem gignat. Sapienter Zeno, bonus est filius? Pars patris est: malus est? vomitus naturæ dicitur. Degeneras Pari, quid hoc sceleſtius? Auitos mores tenes Auguſte, quid hoc excelsius? Vis bone adolescens perscrutari causam? Degener est qui generi suo labẽ aspergit, filius est qui bonos parentes imitatur. Boni bonis prognati sunt. Filius bonus pars patris, malus naturæ vomitus.

Bonum Entis, Moris.

Bonum est duplex,

- Entis, & sic omne simile gignit sibi simile, idque vi naturæ, vt est in lib. primo de ortu & interitu.
- Moris & sic etiã natura ex bonis bonos contẽdit gignere
  - Infundendo potentias virtutis.
  - Inclinando animam ad studium honestatis quo conseruatur.
  - Aptando in multis corpus ad imperiũ mẽtis.
  - Demonstrando Deum esse summum bonum ad quod hominem naturali vi rationis & intellectus trahit.

A proprietate naturæ.

Opp. *Quicquid mutari potest naturaliter non conuenit: sed bonos filios ex bonis parentibus nasci mutari potest, vt experientia docet: ergò naturaliter non conuenit. Maior est secundo Eth. cap. 1.*

Resp. *Quicquid conuenit naturaliter absolutè & simpliciter mutari non potest. Hoc autem ex parte dispositionis & ordinis naturæ conuenit, non autem ex parte finis & perfectionis.*

A pari.

Opp. *Simpliciter conuenit homini vt hominem, belluæ vt belluam gignat: ergò simpliciter conuenit bono vt bonum generet. Argumentum est Arist. in textu.*

Simile illustrat, non probat.

Resp. *Argumentum à simili rectè docet & illustrat, non tamen in omnibus simpliciter & absolutè tenet. Vt ergò homo hominem, ita bonus bonum in intentione, ordine & dispositione naturæ gignit, non quòd natura bonum moris in lucẽ edat, sed quòd ad illud in quo maximè conseruatur, omni veluti studio & conatu tendat. Qui ergò natus à bonis, malus existit, is si propositum naturæ spectet degener, spurius, & nè grauius quid dicam, monstrum naturæ dicitur. Hinc discant bonorum filij se bonos non malos esse debere, nam multi naturæ lumen obscurant, motũ impediunt, ordinẽ peruertunt, ab intento fine illam sponte & scelerate pellunt. At qui hæc faciunt, quid aliud agunt & conantur, quàm vt cum monstris à pulchritudine, ordine, amplexuq; naturæ lõgissimè discedant ac separentur?*

Malus filius bonorum parentum monstrum naturæ dicitur.

## CAP. V.

*An Ratio acquirendi pecuniam sit re eadem cum arte administrandi familiam?*

*An Ratio acquirendi pecuniam sit pars domus vel ministra? & si sit, vtrum instrumentum vel materiam præbeat?*

*An Ratio quærendi victum sit à natura?*

*An Ad hominis vsum omnia fiant?*

ORDO



ORDO in omni scientiâ rebus lucem, authori fidem & laudem addit. Absre ergò non est, ordinem, quem hîc obseruat Philosophus, verbo attingere. De prima parte domus (quæ est societas domini & serui) egit, seruum naturâ seruumq; lege definiuit; illum partem domus, instrumentum domimini, rem possessam esse conclusit; nunc ergò sequitur vt ipsam possessionem artemq; vtendi rebus possessis tradat. Sed huius tractationis sunt tria Capita, in quorum primo de facultate acquirendi victum, in secundo de arte comparandi pecuniam, in tertio de modo inueniendi vsum differit. Hoc ordine (quo nihil est dilucidius) iam paucis descripto, id quod est huius loci ac instituti aggrediamur. Tritum est illud, Sine Cerere & Baccho friget Venus. Non est vita si non sit cibus, non est familia si nõ sint ad victũ cultumq; necessaria. Vt ergò satis in naturâ non est, dedisse partes domus, nisi etiam res paret quibus conseruetur: ita satis non est in hac scientiâ has partes delineâsse, nisi etiam artem acquirendi necessaria eisdemque acquisitis benè vtendi traderet. Primùm igitur hîc quærit Philosophus, an ratio acquirendi pecuniam (per quam intelligit necessaria) sit re eadem cum arte administrandi familiam; cui hæc duo nectit, An sit pars domus vel ministra? Et si sit ministra, An instrumentum vel materiam prębeat? Non soluit hęc omnia in hoc Cap. Arist. Cæterùm promissi haud immemor quod prius dederim, singulas quæstiones in proprijs suis locis facilitatis causâ pro viribus absoluam. Ad primam ergò respondet philosophus, rationem acquirendi pecuniam eandem non esse cum arte administrand familiam. Nam etsi per rationem acquirendi pecuniam scientia comparandi omnia necessaria, & per artem adminiſtrandi familiam tota œconomia intelligatur: est tamẽ, si impensiùs rem ipsam consideres, inter has duas artes (nempè cogendæ pecuniæ & gubernandæ familiæ) plana, efficax & aperta distinctio. Argumenta quibus hoc ipsum

Acquirendæ pecuniæ ratio non est eadem cum administratione familiæ.

ſum probo duo ſunt,alterũ à diſparatis,alterũ à diuerſis vtriuſq; finibus. A diſparatis hoc modo.Illę facultates re differunt, quarũ altera acquirit, altera vtitur: ſed prima facultas eſt acquirẽdi,vtendi altera:ergò re & naturâ hæ duę facultates differunt.Maior conſtat.Aſſumptio in textu eſt, vbi dicit philoſophus,quòd ſolius gubernationis domeſticæ ſit vti his rebus quæ in domo ſunt. A diuerſis finibus hoc etiam modo.Fines harũ facultatũ ſunt diuerſi: ergò ipſæ facultates inter ſe differunt. Antecedens probatur,quia finis pecuniariæ facultatis, eſt parare inſtrumenta; finis domeſticæ,benè vtendo illis inſtrumentis totã familiam tueri & conſeruare.Quantùm ergò modus rei ab vſu,quantùm inſtrumẽtum à fine: tantùm ratio acquirendi pecuniã ab arte adminiſtrandi familiam differt.

Quæſtio 2. Proximè iam quęritur, vtrum hęc ratio cogendę pecunię ſit pars domus vel miniſtra?Certè non multum refert an partem vel adminiſtratricem affirmes. Nã vt pecunia materia quidẽ belli eſt, & etiã inſtrumentum, vt manus pars corporis eſt,& etiã organum:ita ratio acquirendi pecuniã pars domus & inſtrumentũ appellari poteſt.Pars,ſi formã; inſtrumetũ,ſi vſum ſpectes. Sunt tamẽ hîc quidã interpretes, qui potius adminiſtrã quã partẽ definiendũ eſſe ſeriò exiſtimant.Nã aiunt,quẽadmodùm quædam artes alijs dignioribus (vt ars chyrurgica medicinę, ars pectinaria textrinę) ſubijciuntur: ita hæc ratio res neceſſarias cõparandi ſub illâ gubernandi nõ aliter quàm famula & adminiſtra ponitur.Et vt illa nunc materiam,ſicut quæ æs molitur ſtatuario,nunc inſtrumentũ,ſicut quæ radios cõficit textori ſubminiſtrant: ita hæc ratio acquirẽdi pecuniã aliquando materiã vt lanã, granũ,oleũ; aliquando inſtrumẽtũ vt veſtẽ,aurũ & argentũ ſuggerit. Agnoſco equidẽ eſſe aliquot eoſdẽq; non parui æſtimandos interpretes,qui docẽt, nõ materiã vt lanã,ſed ſolùm inſtrumentũ vt veſtem,hanc facultatẽ adminiſtrare. Verũ cũ facultas acquirendi neceſſaria dicatur,cumq; inter neceſſaria ad domũ, nõ ſolùm inſtrumẽta,ſed res alias quæ locũ materiæ habent annumeramus,rationẽ certè nõ video,quâ id cõfirmare poſſunt, quod loquũtur. Inexpertus & minus frugi eſt ille paterfamilias,qui nõ paſtionẽ ex quâ pecora;id eſt, qui non materiã ex qua inſtrumenta



habeat,conetur acquirere. Vt enim Faber nõ ſolũ gladiũ ſed ferrũ,gẽmarius non ſolũ anulũ ſed aurũ;ita paterfamilias non ſolũ bouẽ ſed agrũ,id eſt,nõ ſolũ inſtrumẽtũ ſed materiã quęrit. Cõcludo igitur ea quæ in frõte huius capitis mouẽtur dubia,nẽpè rationẽ acquirendi pęcuniã differre ab arte adminiſtrandi familiã, eandẽq; vno reſpectu partẽ, alio miniſtrã exiſtentẽ,nunc materiã vt ferrũ,nũc inſtrumentũ vt gladiũ ſuppeditare.Finitis his tandẽ opportunè ſequũtur alia,nimirùm, Quæſt.3.& 4. An ratio acquirendi neceſſaria ad victũ ſit à naturâ?& an omnia quæ fiunt,ad hominis vitã vſumq; deſtinẽtur?Generatim modò de vitâ,ſpeciatim de victu iam diſputatur. Nã vt ratio quærendi neceſſaria ad vitã patrifamilias eſt meditanda: ita ſolertia comparandi neceſſaria ad victũ, in quo ſalus & vita domus cõtinẽtur,prę cęteris omnibus eſt perdiſcẽda.Quippè vt ſine alimento omnino non viuitur: ita ſine hac victus ratione domus non conſeruatur. Animaduertendũ eſt,quòd etſi hæc cura victus parandi in rebus multis cõſiſtit, maximè tamen in agriculturâ (quæ nutrix ciuitatis dicitur) eandem hoc loco Ariſt.ponit. Hinc multiplex tàm victus quàm vitæ diſtinctio & comparatio in textu traditur. Victus & vitæ dico, quia varia ipſius vitæ genera ex multiplici victus ratione emanare conſtat.Sed vt ſũmatim ea omnia dicã,quæ in textu ſparſim & confuſè latent,ſedulò ac diligenter attende, quòd duo ſunt præcipua victus genera: alterũ in ipſis viſceribus & quaſi medullis naturæ poſitũ,alterũ à naturâ quoq; fluẽs, ſed arte & induſtriâ conſũmatũ:illud immediatè,hoc remotè ab vtero naturæ deriuari dicitur. Illud eſt exempli cauſâ, vt pabulum ꝙ pecori;hoc eſt vt alimẽtum ꝙ homini cõparatur.De illo agens philoſophus in hac parte capitis ſic diſtinguit,vt aliud ſit primariũ,aliud minùs primariũ: primarium in agriculturã & paſtoralẽ facultatẽ; minus primarium, in prædatorium,piſcatorium, venaticum & mixtũ ex his genus diuiditur. Agricultura eſt laborioſa quaſi nutrix ciuitatis.Paſtoralis facultas eſt cuſtos pecoris.Sed quid ago?hęc nõ definit hoc loco Philoſophus: id potiùs in cõparatione docet,quòd quẽadmodum belluarum quædam gregatim, quædam ſparſim & vagè

Victus duo genera.

Agricultura nutrix ciuitatis.

vagè viuunt,& vt aliæ animantibus, aliæ fructibus,aliæ omni genere pabuli veſcuntur:ita hominum alij hac, alij illâ ratione victus delectantur. Hinc multi ex agriculturâ, multi ex paſtorali facultate, nonnulli ex venatione, plurimi ex piſcatu,omnes & ſinguli ex his aut illis de quibus diximus impetu naturæ ſuum victum quęritant. Huc adde quòd hæc omnia ſint naturalia: ergò ratio victus à naturâ oritur. Si firmiùs probari hoc ipſum cupias, ſic accipe. Omnis ars quâ acquiritur ſine medio id quod natura fundit propter animal, eſt maximè naturalis homini:ſed ars acquirendi victum eſt huiuſmodi; ergò eſt naturalis.Patet ratio, quia nihil fruſtrà facit natura neq;deficit in neceſſarijs:at multùm deficeret quidem ſi animalia produceret ſolùm vt mater, & non etiam vt nutrix aleret & conſeruaret:ſed nutrix tenera eſt natura, eademq; fouet quę produxit.Hoc videre licet in omni genere animantiũ quę vel ſemine vel putredine oriuntur.Miraculi inſtar eſt in ouipatis,quomodo vna pars oui ad vitam,alia ad victum & alimentũ pertinet. O quanta cura quantumq; ſtudium naturæ eſt;quę tantum victum vnà cum fetu parit,vt ſatis eſſe poſſit ad alendum id quod natum eſt, donec ipſum ſibi ſuppeditare alimentum poſſit.His iam perſpectis,quis negat victus comparandi artẽ eſſe naturalẽ? De altero remoto genere minuſq; primario acquirendi victus,quod in commutatione verſatur,hoc loco non agit Philoſophus. Ad poſtremũ ergò dubium huius Cap. mea iam feſtinat oratio, hoc eſt, An ad hominis vſum omnia à deo & naturâ fiant? Poſtquam ſapienter Ariſt.terram plantis,plantas belluis, belluas hominibus cibaria ſubminiſtrare animaduertit,in eam tandem venit ſententiam vt apertè & pręclarè dicat elementa, plantas, belluas,& denique omnia, quæ vnquam natura finxerit, hominis principis animãtium cauſâ fieri, & ad eius ſolius vſum ab ipſâ naturâ deſtinari. Rectè ille,

*Cuncta timent hominem, quia præſidet ipſe creatis.*

Hoc ipſum probari poteſt à gradu rerũ, ab ordine diuinæ prouidentiæ, à proprietate hominis, à virtute mentis. Gradus rerum quatuor ſunt, 1. eſt ſimpliciter naturalium, 2. eſt animatorum, 3. ſenſibilium, poſtremus eorum quæ ratione vtuntur. In his gradibus ſic comparatum eſt, vt omnia quæ ſunt imperfectiora perfectiorũ cauſâ fiant,vtq; ſic conſtituta homini in vltimo gradu exiſtenti obedienter ſubſeruiant & obſequantur. Prouidẽtia diuina hoc etiã probat,quia illa ſic omnia in ordinẽ digeſſit, vt ſuperiora in inferiora principatũ teneant.Proprietas humana,ratio & prudẽtia eſt,quæ imperium in belluas,in plantas,in elemẽta ſuo iure vendicat. Virtus mentis deniq; ſapientia & quædã imago dei eſt, cui propter influẽtiam diuinæ naturæ omnia,quæ naturâ fiunt,ſubijciũtur. Hoc imperiũ hominis olim pulchrè depinxit poëta, Virgilius.

*Sic vos non vobis vellera fertis oues:*
*Sic vos non vobis mellificatis apes:*
*Sic vos non vobis fertis aratra boues:*
*Sic vos non vobis nidificatis aues.*

Sic omnia à deo creata primùm deo tum homini ex iure naturæ ſui vſum & fructum ferunt. Tibi ergo ô homo cælum & terra,planta & bellua, tibi omnia & ſingula naturæ opera ſubijciuntur?Quorſum hæc? Quorſum hæc quæris ingratiſſimum animal? Vt tu Deo ſubeſſe diſcas, qui te in hoc gradu collocauit. At dices cœlum mihi non obtemperat. Non de [a] Ioſuâ hîc loquar, ad cuius vocẽ ſol ipſe ſtetit, non de [b] Eliâ qui ignẽ de cœlo euocauit,ſed de ſapiente, qui(vt eſt in prouerbio)ipſis ſyderibus dominatur;ſi ſyderibus, multò magis alijs rebus in his imis ſedibus naturę poſitis,quę à cælo ſuum eſſe & bene eſſe habẽt.Ex his cõcludo cum Ariſt.omnia hominis cauſâ fieri, & ad eiuſdẽ vſum ab ipſâ naturâ deſtinari.

Cuncta nobis ſubſunt,vt nos deo ſubijciamur.

[a] Lib.Ioſuæ. cap.10.
[b] 4.Reg.cap.1. Sapiens dominabitur aſtris.

Diſtinctio.

Ratio acquirendi pecuniam differt ab arte adminiſtrandi familiam in

1 Obiecto,quia obiectum illius eſt pecunia.i. res omnis neceſſaria:obiectum verò huius eſt tota familia.
2 Formâ, quia illa eſt adminiſtra domus, hæc verò perfectio,in quâ ordo & pulchritudo eminet.
3 Proprietate, quia illius eſt acquirere neceſſaria, huius autem acquiſitis benè & prudenter vti.
4 Fine,quia illius finis eſt parare inſtrumenta, huius autem ijſdem paratis probè vtendo totam familiam tueri & conſeruare.

Natura & mater & nutrix eſt.

Oui pars ad vitam,pars ad victum pertinet.

Hominis ad vſum fieri à deo omnia.

A parte ad totum.

Opp. *Pars non differt à toto: sed ratio acquirẽdi pecuniã est pars domesticæ administrationis: ergò ab eâ non differt. Minor probatur, quia vt manus est in corpore, ita ratio acquirendi pecuniam est in œconomiâ: sed manus est pars corporis, ergò ratio acquirendi pecuniam est pars domesticæ administrationis.*

Resp. *Pars vt manus hominis bifariã cõsideratur, aut in propriâ suâ essentiâ, & sic differt à toto; vel in completâ essentiâ totius, & sic non differt. Est enim totũ sic acceptũ nihil aliud quã suæ partes. Agnosco igitur artẽ acquirendi pecuniã esse quidẽ partẽ œconomiæ, sed respondeo quòd in suâ propriâ essentiâ officioq; hîc consideretur.*

A subalternis.

Opp. *Artes, quarũ altera alteri subalternatim (vt aiũt) subijcitur, inter se naturâ non differũt: sed ratio acquirendi pecuniã rationi administrandi familiã subijcitur: ergò re & naturâ ab ea nõ differt. Maior est Arist. in analyticis, & ratione sic probatur in exemplis de chyrurgicâ arte & medicinâ, de magiâ naturali & Philosophiâ &c. Minor probatur, quia ratio acquirendi pecuniam suppeditat instrumenta quibus ratio administrandi vtitur.*

Resp. *Considerãtur artes subalternæ nõ aliter quã partes, vel per se, & sic differunt: vel in esse totius, & sic vnã artẽ completã faciunt, vt chyrurgica & medicina, œconomica & moralis philosophia. Est quidem chyrurgia pars medicinæ, est œconomia pars moralis philosophiæ. Cæterùm vt illæ distincta subiecta, proprietates, & fines habent, si separatim considerentur: ita & hæ duæ rationes in illis (quorum mentionem fecimus) distinguuntur.*

A necessario.

Opp. *Ea naturâ non differunt quorũ alterũ sine altero esse nõ potest: sed ratio administrãdi familiã non est sine arte cõparandi pecuniam, ergo hæ duæ rationes naturâ non differunt. Maior cõstat à definitione necessarij. Minor probatur, quia non potest esse rerum administratio, nisi sit prius earum rerum acquisitio.*

Resp. *In his est necessitas consequẽtiæ nõ necessitas causæ. Quẽadmodũ enim non est electio, si nõ sit præcedens deliberatio, & tamen deliberatio non est re eadem cum electione: ita non est administratio rerum, si non præcedat acquisitio; & tamen acquisitio ab administratione re & naturâ differt.*

A causa.

Opp. *Causa nõ differt ab effectu: sed ratio acquirẽdi pecuniã est causa vtẽdi illâ: ergò ratio acquirẽdi pecuniã à ratione administrãdi non*



*non differt. Minor probatur, quia administratio ab acquisitione fluit.*

Resp. *Causa interna nõ differt ab effectu, sed causa externa differt, vt sol à luce, ignis à calore, non tamen hoc loco rationem acquirendi pecuniã œconomicæ causam esse censemus, nisi dicas causam sine quâ non, quæ in hoc vt in omnibus à suis effectis naturâ separatur.*

Distinctio secundæ quæstionis.

Ratio acquirendi pecuniam est, vel
- Pars quoad formam in qua est ordo, non quoad vsum in quo est perfectio domus.
- Administra præbens aliquando
  - Materiam, vt lanam, aurum.
  - Instrumentum, vt vestem & anulũ.

Opp. *Pars & instrumẽtũ distinguũtur, sed ratio acquirẽdi pecuniã est pars domus: ergò nõ est eiusdẽ famula aut instrumẽtũ. Maior probatur, quia pars cõiũcta est cum toto, instrumẽtũ autẽ separatur.*

A disparatis.

Resp. *Vt seruus est pars domus & etiã instrumẽtũ diuerso respectu: ita ratio acquirẽdi seruum & alia necessaria & pars & instrumentum dici potest; pars, qua domus vt quiddam totum absoluitur. Instrumentum, quo domus in rebus necessarijs comparandis vtitur.*

Opp. *Ratio acquirendi pecuniam nõ est pars materialis nec formalis: ergò non est pars omnino. Antecedẽs probatur. Nõ est materialis, quia tres societates materiã domus absoluunt: nõ est formalis, quia domũ à ciuitate (in qua est scientia acquirendi) non distinguit.*

Ab enumeratione.

Resp. *Forma duplex est rerum, communis & remota, quæ nõ distinguit; proxima, quæ rem definitã ab alijs omnibus differre facit; hæc est forma communis & remota, non propria & proxima.*

Opp. *Natura materiam vt lanam, oleum vinumq; parat: ergò ars acquirendi res necessarias materiam non suggerit.*

A non necessario.

Resp. *Natura materiã suppeditat cõmuniter & remotè, sed ars cõparandi necessaria distincte & proximè subministrat, eandẽq; ad hunc vel illũ ordinẽ & vsum in administratione domus accõmodat.*

Opp. *Ratio acquirendi necessaria in domo est ipsum instrumentum: ergò instrumentum non præbet. Antecedens est in textu. Argumentum probatur, quia idem seipsum non potest generare.*

A differaneo.

Resp. *Non est mirũ vt malleus malleo fiat, aut vt malleus cultrũ, gladium aut alia instrumenta fingat. Fateor idem seipsum non posse gignere, simile tamen sibi posse producere cum Arist. affirmo. Quare et si ratio acquirendi necessaria sit instrumẽtum domus, alia tamen instrumenta ad necessitatem vitæ potest suppeditare.*

Distinctio

## Distinctio tertiæ quæstionis.

*An ratio acquirendi victum sit naturalis?*

Ratio acquirendi victum naturalis esse probatur

1 Multiplici materiâ victus, quam ipsa natura sine opere humano fundit.

2 Mirificâ vi & facultate naturæ, quæ omni animanti alimentum, vt lac & id genus aliud, ad nutriendum fœtum concessit.

3 Ineffabili curâ & desiderio fouendi & conseruandi ea, quæ non sine labore & periculo oriuntur.

4 Diuinâ prouidentiâ naturæ, quæ neq; vitã sine victu dedit, neq; in necessarijs ad vtrunq; vnquam deficit.

Ab oppositis. Opp. *Ars & natura opponuntur: sed victus à multis in republicâ arte acquiritur: ergò ratio acquirendi victum non est naturalis. Maior constat in secundo physicorum Cap. primo, vbi ostendit philosophus discrimen inter artem & naturam. Minor probatur, quia laboriosis & mechanicis artibus multorum manus atteruntur, vt victus & sibi & familiæ comparetur.*

Resp. *Duplex est ratio victus, alia immediatè ac simpliciter à naturâ, vtpote quæ ex agriculturâ, pastione, aucupio, venatione (de quibus est modò disputatum) dependet: alia remota & minùs propria, vtpote quæ ex mercaturâ, arte, rerumq; commutatione fluit, de illa præcipuè hîc loquitur, de hâc in sequẽtibus disputatur, illa absolutè naturalis, hæc partim naturalis, partim artificiosa dicitur. Hoc responsum Burlei est & sanè probabile, pace tamen tam doctì interpretis dico quòd licet in cõmutatione materia aut instrumentum, quo victus acquiritur, non sit naturale. Ratio tamen acquirendi, quæ omnibus à natura data est ad acquirendum victum, mihi videtur naturalis. Nam etsi sutor calceos conficit vt victum paret: naturalis tamen ratio sutorem impulit, vt calceos in hunc finem faceret & concinnaret.*

A disparatis. Opp. *Nullum violentum est naturale: sed quædam rationes victus acquirendi, quas enumerat Arist. sunt violentæ: ergò non sunt naturales. Maior constat. Assumptio probatur, quia latrocinio alios spoliare, aucupio auiculas interimere, venatu feras laniare, est res quidem ferox & truculenta.*

Resp. *Per latrocinium in textu Arist. Artem prædatoriam intelligit. Ad reliqua exempla respondeo non esse violentum hoc imperium*



*perium humanum in aues, pisces & feras, præsertim cum hæc omnia eius causâ fiant & ad hunc ipsum vsum destinentur.*

A testimonio. Opp. *Apertè Arist. in principio sexti cap. dicit pecuniarium genus quærendi victus, meritissimè artificiale nominari. Præterea paulò post initium eiusdem capitis ponens discrimen inter vtramq; rationem quærendi victum, hæc verba habet: Constat autem earum altera naturâ, altera non naturâ sed vsu quodam potius arteq; tractatur atque exercetur: ergò ineptè doces hanc etiam rationem esse à naturâ.*

Resp. *Respondeo hanc rationem in commutatione rerum positam considerari duobus modis, inchoatiuè, & sic est naturalis; perfectiuè, & sic artificiosa dicitur. Cum ergò doceat Philosophus meritissimè artem appellari, adeoq; arte non naturâ constare, quoad formam non quoad materiam, quoad vsum artis non quoad motum naturæ loquitur. Nam quemlibet mouet natura ad quærendum alimentum, etsi hunc motum ars ipsa absoluat.*

Ab otioso. Opp. *Nihil otiosũ & superfluũ naturale dicitur: sed mixtum genus vitæ est otiosum & superfluũ: ergo non est naturale. Minor probatur, quia miscent & coniungunt multi plura genera viuendi, verbi causâ, agriculturam cum aucupio, venatu, aut pastione, vt omnibus copijs cumulati & referti iucundè & otiosè viuant: si neges in hunc finem fieri, dico hanc rationem connexionis in textu reperiri.*

Resp. *Dicit philosophus in textu misceri plura genera à multis, vt omnibus copijs cumulati iucundè non vt otiosè viuant. Respondeo igitur naturam ex thesauris suis elargiri mortalibus non solum ad necessitatem omnia, sed ad delectationem & voluptatem plurima. Manus enim naturæ non est parca, non est auara. Quòd verò multis desunt multa, hoc non est vitium naturæ, sed aut socordiæ in illis quibus desunt, aut anaritiæ in multis qui omnia sine vllo iure motuq; naturæ non aliter quàm vultures in suos vngues loculosq; rapiunt.*

Natura & necessitati & voluptati consulit.

Quòd desunt multa, hominum auarorum est vitium.

## Distinctio quartæ quæstionis.

*An ad hominis vsum omnia à deo & naturâ fiant?*

Apertè

Apertè probatur quòd omnia hominis causâ fiant, à

- Gradibus rerum, quarum imperfectiores naturaliter perfectiorum causâ fiunt: sic terra plantis, plantæ belluis, hæc omnia hominibus alimentum præbent.
- Ordine diuinæ prouidẽtiæ, quæ sic naturaliter omnia disposuit, vt subseruirent homini.
- Multiplici proprietate hominis, nempe ratione, solertiâ & sermone, quæ omnem potentiam & facultatem belluarum longè excellunt.
- Virtute mentis, quæ ad summum bonum ac infinitum verum præ cæteris omnibus naturæ effectis contendit.

Ab instinctu naturæ.

Opp. *Homo plãtas securi percutit, belluarum verò sanguinẽ effundit: ergò non videtur à naturâ comparatum, vt plantæ & belluæ naturaliter homini inseruirent. Argumentum probatur, quia natura abhorret ab hoste, eiusq; imperio sponte non cedit, qui vulnerat, nedum ei qui occidit.*

Pythagoræi crudele putarunt esse mactare belluam.

Resp. *Etsi Pythagoræi impulsi hoc argumento arbitrabantur esse admodũ crudele & inhumanũ bestiolã occidere carnesq; deuorare, tamen parum vel ad ordinem naturæ, vel ad diuinam prouidentiam attendunt isti, quorum decreto hoc factum est naturale, quod istis atrox & inhumanũ esse videtur: cũ enim omnia naturæ instinctu cedant in vsum præstantiorum; cumq; homo sit princeps & moderator omniũ quæ fiunt, non est crudele in homine si ea ad illum vsum accõmodet, ad quem natura ea destinauit. Alij respondent ad hoc argumentum, quod licèt sit contra naturam particularem, vt hæc planta, illa bellua intereat: non est tamen contra naturam vniuersalem, quæ hoc modo conseruatur.*

A consequentibus.

Opp. *Cælum aliquando famem, sæpè pestem in perniciem humani generis suo malo aspectu & influentiâ generat; elementa procellis, belluæ venenis aliisq; exeentis modis hominem inuadunt & offendunt; ergò hominis imperio omnia nata non sunt obtemperare.*

Iustinus.

Resp. *Agnosco cælum aliquãdo veluti in æs, terram quasi in ferrum commutari. Agnosco Xerxis exercitum ad demoliendum Apollinis templum nauigantem crebris fulminibus concidisse. Scio Miloni plantã, Alexãdro læthale non peperciisse venenũ. Sed quid hinc? Vt paucorum error non tollit veritatem: ita paucorum furor non tollit hominis imperium.*

Creatura bonis seruit, malis aduersatur.

*Mihi cælum non fauet, agnosco lapsum; inuadit me fera, agnosco deum: is mihi prudenti cælum vt seruum; is mihi peccanti cælum vt hostem fecit.*

*Syderum*



A Impossibili.

Opp. *Syderum aspectum cursumq; cæli mutare aut impedire non potest homo: ergò omnia eius imperio subijci non videntur. Ratio sequitur, quia propriè seruitus est ad voluntatem domini.*

Dominium, Imperij, vsus.

Resp. *Dominatio consistit in duobus: Vel in imperando vel in vtendo; quamuis homo sic cælum sibi subiectum non habet, vt imperando regat; sic tamen habet, vt vtendo eiusdem lumine, motu, ac influentiâ, multò felicius in hoc centro viuat.*

## Dubium capitis.

*An bellum in feras & barbaros sit legitimum & naturale?*

*Cyclope immanior es (homuncule) qui cæde & sanguine delectaris. Pulchrè hoc dictum putas:*

*Sæpè etiam cursu timidos agitabis onagros,*
*Et canibus leporem canibus venabere damas.*

Vide plura de hoc dubio lib. 6. cap. 1.

Pulchrè fortasse hoc dictum est, at factum malè. Nam quæ est sæuitia meticulosas bestiolas telo transfigere? quę est victoria in asinum & leporem triumphare? ludis philosophe, lectoremq; â serijs ad talos auocas. Lùdo, sed ad meipsum redeo. Quid ergò? putas naturam feris & barbaris bellum indicere? puto: at contra naturam est occidere; non est, si iure & imperio fiat. putas in barbaros hoc ius & imperium cadere? quid ni? at barbari sunt homines: sunt quidem sed immanes, in quos non aliter quàm in truculentas feras bellum nos gerere natura docuit.

Bellum in barbaros probatur legitimum & naturale,

- Ex imitatione & exemplo naturæ, quæ homines persequi feras venando docuit: sed barbari sunt quasi feræ, qui subijci & obtemperare imperio nisi coacti nolunt.
- Ex naturali imperio hominis quod habet in seruos à naturâ: sed barbari & infideles sunt serui à naturâ.
- Ex ordine & bono pacis quod intendit natura in ciuitate, ad quod bonum barbari nullis modis nisi armis pertrahuntur.

Ab Annexis.

Opp. *Iniusta causa bellum iniustum facit, sed belli in barbaros susceptí causa est iniusta: ergo & ipsum bellum est iniustum. Maior constat. Minor probatur, quia vim inferre in ipsa natura est iniustũ. Vox enim naturæ est, Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.*

Resp. *Bellũ barbaris indicere, nec est vim inferre, nec est iniuriã facere*

*facere. Nam vt iudex nec vim inferre, nec iniuriam facere dicatur, cum in supplicium reos sceleris condemnat: ita qui in homines immanitate barbaros bellum gerunt, non vim sed imperium, non iniuriam sed præscriptum naturæ exequi & exercere dicuntur.*

A specie ad genus.

Opp. *Infideles habentur pro barbaris: sed in infideles bellum non licet suscipere: ergò nec in barbaros. Maior constat de Scythis & Indis. Minor probatur, quia ad fidem nulli ne barbari quidem sunt cogendi. Est enim fides solium à deo non vi impressa sed voluntate accepta.*

Osorius in Emanuele.

Resp. *Etsi libenter non audio nimiam Hispanorum & Portugalensium in Indos seueritatem, quam in memorabili sua peregrinatione exercuerunt: barbaros tamen ad ordinem & imperium (quod ratio naturæ iussit) pellere & coërcere oportet. Quare licet infideles vt sunt à fide alieni, non sint cogendi ad fidem, ad amplexum tamen studiumq; ciuilis vitæ vi & armis sunt pertrahendi.*

## CAP. VI.

*An commutatio rerum sit naturalis & licita in repub?*
*An indigentia sit causa commutationis?*
*An multitudo pecuniarum sint veræ diuitiæ ciuitatis?*
*An pecunia sit necessaria ad commutationem?*

QVONIAM duplex est opes quærendi ratio: altera prorsùs naturalis vt agricultura, venatio &c. altera in commutatione posita, vt mercatura & cauponatio. De illâ cum iam satis sit disputatum, reliquum nunc est vt de hac suo loco & ordine disputemus. Primùm ergò quæritur, An cõmutatio rerum sit naturalis eademque licita in repub? Etsi in textu bis térue Arist. hanc speciem cogendæ pecuniæ ab illa quærendi victus, (at artis & industriæ nomine) distinguat; illam enim ad naturam, hanc ad artem solertiamq; humanam reuocat. Si tamen limatiùs causas vtriusq; animo perlustres, hanc etiam pecuniariam artem

Commutatio à naturâ inchoatur.



artẽ ab ipsâ naturâ aliquo modo manasse videas. Distinguo igitur, illam victus rationem simpliciter & omnino esse naturalem; hanc verò pecuniariã facultatem ab ipsâ naturâ inchoari, perfici autem ab arte, vnde formã vsumq; suum proprium habet; hinc potiùs ab arte quàm naturâ, à formâ & vsu quàm à materia motuq; naturę nomen sortita est. Attamẽ siue indigentiam humanam, quę est ipsa cõmutationis causa; siuè materiã, quę res omnis ad vsũ humanũ parta; siuè potentiã naturæ, quâ homo ad hoc mediũ viuẽdi cogitur, accuratiùs tecum cõsideres; inuenies certè id verũ esse quod nunc defendimus, nempè hanc quoq; rationẽ, quæ in cõmutatione ponitur, ex parte esse naturalẽ. At dices: natura nec sordidam mercaturã, nec insulsã pecuniã dedit. Loqueris quidẽ vt philosophus, sed parùm amicè nobiscũ agis, cum locũ pręcedẽtẽ dissimulas, vbi ostendit ille quidẽ esse cõsentaneũ naturę, vt talis habeatur rerũ cõmutatio. At si sordidula dicatur mercatura, insulsa pecunia, vt dicitur, quí licitã in repub. hanc artẽ ac rationẽ esse defẽdis? dicũtur hæc respectu quodã nõ absolutè. Nam vt artes mechanicæ, si cum liberalibus cõparẽtur, sordidę: ita mercatura, quę tota est in congerẽdis pecunijs, si cum victus ratione conferas, illiberalior appellatur. Vt ergò illa, nempè ratio victus quærendi, est necessaria in repub. ita hæc quidẽ licita est & permittẽda Hoc indigẽtia naturę docuit, hoc necessitas rerũ commutandarum posuit, hoc longa experientia confirmauit. Indigentia naturæ, quia aliter suis defectibus non medetur; necessitas rerũ cõmutãdarum, quia aliter confusio negotiorũ in ciuitate nascitur; experiẽtia, quia sine hoc medio beata respub. in bonis fortunæ non omnino redditur. Sed cum duplex sit commutandi ratio: vel cum res cõmutantur inter se vt frumentum pro lanâ, vinum pro oleo; vel cum pro nummo (qui est mensura cõmutationis) res cõparentur; illã prorsus naturalem & legitimam esse defendo, hanc quoq; (si ad sordidum quæstũ nõ progrediatur) necessariã ac licitam esse puto. Verùm cum duplex sit cuiusq; rei cõmutabilis vsus, cõmunis & proprius: videamus paucis, in quo legitima cõmutãdi causa versetur. Duplex (inquit philosophus)

Indigentia naturæ, necessitas rerum, experientia commutationem necessariam esse probant.

Commutatio duplex.

Rei possessæ duplex vsus.

losophus) cuiusq; rei possessæ vsus est: alius proprius, alius communis; proprius est, vt calceo pedes defendere ne lapillis vulnerentur; communis est ipsa calcei commutatio, quæ quidem inuenta est necessitatis causâ, vt rebus ijs traditis quibus abundamus, aliæ illorum loco vltrò citròque tribuantur. Exempli causâ. Angliam beauit Deus frumento, Galliam vino: Gallus indigens tritico in Angliam transportat vinum, hinc nascitur vera illa, de quâ nunc agitur, commutatio. Vis ergò causam scire commutandi? Indigentia est rerum ad vsus necessarios vitę. Tu pane, ego veste careo: à me tibi panis, à te mihi vestis datur; hoc modo indigentiæ rerum succurritur, hoc modo defectus naturæ tollitur, hoc modo pax ciuitatis conseruatur. Philosophus in textu hoc genus commutandi maximè naturale appellat, quia in his rebus versatur quæ naturæ opem & suppetias ferunt. Aliud verò quod vltra limites naturæ progreditur, quod turpissimum quæstum ac lucrum quasi finem intuetur, quod in pecunijs augmentum & non vsum persequitur, penitus à naturâ alienum esse sapienter existimat. Commutatio inuenta est ad quærenda necessaria non superflua; mercaturam ergò illam hoc loco turpem ac sordidam appellat, quam odiosi fœneratores profitentur, qui non ad victum sed ad quęstum, non ad vsum sed ad excessum, non ad necesitatem vitæ sed ad augmentum pecuniæ (cuius nullus est modus) suas res omnes locant & nundinatur. Isti sunt voraces quasi corui in repub. & quasi lupi insatiabiles, quorum fitis non extinguitur, quorum hydrops nullis curatur herbis aut medicinis. Est tamen aliud genus mercaturæ vtile & fructuosum in ciuitate, cuius solius causâ nummus (qui est mensura rerum commutandarum) inuentus & formatus fuit. Hoc genus quamuis pecuniâ quidem vtitur, ad pecuniam tamen vt finem non refertur; vtitur pecuniâ vt medio ac instrumento, non vtitur vt eius mancipetur imperio. Miser enim est qui nummos admiratur. Quòd verò nummus sit commutationis causâ inuentus, adeoq; ad eam necessarius, probatur à philosopho quatuor modis: à distantiâ locorum, à differentiâ temporum,

Effectus commutationis.

Fœnus mercatura turpis.

Fœneratores quales.

Inuentio pecuniæ necessaria quatuor de causis.



porum, à quantitate rerũ, ab indigentia & necessitate hominum. A distantia locorum in quibus res sunt commutandæ. Exempli causâ. In Arabiâ sunt aromata quæ desunt Anglis, commodè illuc ex Anglia res aliæ cõmutabiles transportari non possunt, vtputa lana aut ferrum; necesse ergò est rem aliquam inueniri paruæ quantitatis quæ eisdem rebus æquiualere potest. A differẽtiâ temporum, exempli causâ. Habeo hoc anno multum vini, in proximum seruare non possum ne acescat, granũ aut oleum mihi non dabis: necesse ergò est vt pecuniã quærã. A quantitate rerũ quæ commutantur, verbi causâ. Equũ habeo, at cibus & vestis desunt. Si equum pro alimento mutem, adhuc vestimẽtum deest: necessè ergò est vt nummos quærã quibus & cibum & vestẽ habeã. Ab indigẽtia hominũ, exempli causâ. Pauper opus facit, vt necessaria ad victum habeat, tu verò, pro quo hoc opus facit, nummum nõ cibũ in promptu habes: necesse ergò est, vt nummũ hic pauper capiat, quo sibi & suis alimẽtum paret. Ex his satis constat pecuniã cõmutationis causâ esse inuentã, & eandẽ in ciuitate esse valdè necessariã, quo etiã perspicuũ hoc vnũ redditur, nihil esse periculosius ciuitati, nihil ciuibus perniciosius quã sępius mutari legitimã pecuniã, quam rerũ commutãdarum mensurã, eandẽq; permanentẽ iustitia fecit. Multas numismatis conditiones lego. Prima est, vt sit quantitate paruũ. 2. vt sit alicuius principis simulachro notatum. 3. vt sit certo põdere & valore distinctũ. 4. vt non sit facile exesũ & corruptioni obnoxiũ. 5. vt sit rarũ & pretiosũ. 6. vt sit ad vsus paperũ in partes minimas diuisũ. Postrema, quæ est omniũ maxima, vt sit ad cõmutationẽ necessariã non ad sordidã vsurã destinatũ. Hinc illud est, quod in postremo loco tractatur, nẽpè quòd multitudo pecuniarũ nõ sint verę diuitiæ ciuitatis. Rectè M. Tullius. Animus hominis diues non arca appellari solet. Quæ ergo est iam mundi in commemoranda pecunia tã vana oblectatio? Quàm stulta pro opibus hominum cõtentio? Vis diues esse? Pecunias fuge. diuitias cupis? Virtutes cole. Audi Arist. de hac re loquentem. Nugatorium quiddam videtur esse nummus. Rationem addit, quia decreto illorũ, qui «

In numismate quæ requirantur.

4. Quæstio. Pecuniarum copia non sunt veræ diuitiæ.

„ eo vtuntur, mutatus nihil est, neque ad vllam rem neces-
„ sariam parandã vtilis. Sequũtur etiam hæc verba. Quòd sępè
„ is, qui nummis circumfluit, rebus ad victum vitamq; neces-
Midas. sarijs egeat. Si exẽplum desideres, proponit Midam, qui au-
reo voto à Ioue concesso stultus inediâ tandem contabuit.
Videtur philosophus sic disputare. Quæcunq; sunt incerta,
veræ ciuitatis diuitiæ non sunt, sed pecuniæ sunt instabiles &
incertæ: ergo veræ ciuitatis diuitiæ non sunt. Iterùm, illa non
sunt veræ diuitiæ ciuitatis humanæ, quarum possessores ali-
quando defectu necessariorum ad victum pereant: sed pecu-
niosi sæpe defectu necessariorum ad vitam pereunt: ergò pe-
cuniæ non sunt veræ diuitiæ ciuitatis. Adhuc, pecuniæ iam
in vsu, edicto principis, res prorsus inutiles fiant, ergo veræ
diuitiæ ciuitatis non sunt. Postremò, quî bona ciuitatis di-
cantur pecuniæ, cum illis tam mali quàm boni vtuntur? Non
est ergò audienda vox illa,

*O ciues ciues, quærenda pecunia primùm est,*
*Virtus post nummos.* Nam quamuis verissimum sit illud
dictum, *In mundo summus rex est hoc tempore nummus:*
In nummis tamen non sunt veræ diuitiæ ciuitatis. Multus
quidem est Aristoteles in minuenda illa opinione homi-
num de congerendis pecunijs, idipsum docet quod olim
poëta cecinit,

*Crescit amor nummi quantùm ipsa pecunia crescit.*

Infinita inquit est sitis, infinita cupiditas pecuniarum,
nulla saitetas, nullus modus. Ratio est:

*Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*

Hoc vrget vehementiùs Arist. & oratorio quasi more
vrget, eo consilio (vti opinor) quo animos fœneratorum
vulneret, vt si mores suos tandem non deponant, leniùs sal-
tem viscera & præcordia ciuitatis rodant. Nam vt nihil ma-
gis iuuat rempub. quàm honesta rerum commutatio & mer-
catura: ita pestis lethalior non est in ciuitate quàm morda-
pecuniarum exactio & intolerabilis vsura. Sed quoniam de
hac re in proximo cap. est differendum, nunc plura de eadem
dicere supersedebo.

Distinctio



## Distinctio primæ quæstionis.

*An commutatio sit licita & naturalis?*

Commutatio duplex est,
- Rerum cum rebus, vt vini pro oleo, & hæc est simpliciter naturalis & legitima.
- Rerum pro pecuniâ, & hæc consideratur, aut
  - Inchoatiuè, & sic est naturalis.
  - Perfectiuè, & sic artificialis dicitur, hæc legitima est propter
    - Necessitatem naturæ, cuius defectibus ita ciuitas medetur.
    - Facilitatem commutationis, quia sic res facilè mensurantur.
- Pecuniarum cum pecunijs, & hæc nec naturalis est, nec tolerabilis (vt docet Philosophus) in ciuitate.

Opp. *Defectus seu indigentia rerum non est naturalis: sed prima commutatio est ex defectu & indigentia rerum: ergò non est naturalis. Maior probatur, quia natura in re qualibet appetit finem & perfectum. Minor probatur ex textu, vbi docet philosophus, quod indigentia rerum sit causa commutationis.* Ab adiuncto.

Resp. *Quamuis indigentiâ rerum non sit propriè naturalis, commutatio tamen, quâ hic indigentia emendatur, rectè naturalis appellari potest. Præterea licet indigentia propriè naturalis non sit respectu huius & illius naturæ, tamen respectu totius vniuersi rectè naturalis dicitur, vt morbus qui ex intemperie: senectus quæ ex tabe & defectione humorum gignitur.*

Opp. *Meum & tuum non natura sed auaritia inuexit: at cõmutatio à meo & tuo pendet: ergò commutatio à naturâ non est. Maior est Platonis, qui docuit naturam omnia communia dedisse, omnésque homines fecisse æquales. Assumptio probatur, quia ab inæquali possessione rerum commutatio secundum indigentiam oritur.* A contrarijs causis.

Resp. *Meum & tuum considerantur bifariam, vel quoad possessionem, vel quoad vsum: possessio propria est, at vsus communis est secundum naturam. Vt enim splendor solis proprius est si inhærentiam, communis autem si influetiam spectes: ita res qualibet commutabilis propria est quoad ius possessionis, communis verò quoad vsum ciuitatis. Rem commutabilem dico, ne vxores intelligas quas quidem proprias tam possessione quàm vsu suis ipsarum viris*

*ipsa natura & lex diuina dederunt.*

Ab actu. Opp. *Pecuniam natura non finxit: ergo commutatio rerum pro pecunijs non est naturalis. Antecedens est in textu, vbi docetur quòd pecunia sit res artis non naturæ. Ratio tenet, quia nomen & formam hæc species commutationis ab ipsâ naturâ hausit.*

Resp. *Hæc species cõmutationis duobus modis cõsideratur: vel inchoatè, & sic est naturalis, quia res cõmutãdæ in hac specie sunt naturales: vel perfectiuè, & sic artificialis potius quã naturalis dicitur.*

A maiore. Opp. *In domo, quæ est maximè naturalis, non est omninò commutatio: ergò probabile est, quòd naturalis nulla sit commutatio. Antecedens est Arist. in textu. Argumentũ est à maiore ad minus.*

Resp. *Non minus à naturâ est magna ciuitas quã parua domus. Nam etsi domus sanguine cõiunctiores, ciuitas tamẽ plures numero societates habet: quòd in domo non sit commutatio, hominũ paucitas; quòd in ciuitate fiat, hominum multitudo rerumq́; indigentia efficit.*

## Distinctio secundæ quæstionis.

*An necessitas rerum sit causa commutationis?*

Causa commutationis est, aut
- Materialis, nempe res ipsa commutabilis, quæ aliter acquiri & possideri non potest.
- Formalis, lex iusta & modus commutandi.
- Efficiens, eademque aut
  - Primaria, quæ primùm hominem ad cõmutandum mouet, & hæc est indigentia rerum.
  - Minus primaria & instrumẽtalis, & hæc est ipsa pecunia.
- Finalis, quieta possessio vsusque rerum.

A disparatis. Opp. *Indigentia in 5. cap. 5. Ethicorum naturalis mensura rei commutandæ dicitur: ergo malè hoc loco primaria causa commutationis definitur. Argumentum tenet, quia mensura seu instrumentum est causa minus primaria.*

Resp. *Indigentia duo respicit, rem & personam: respectu rei mensura, respectu personæ causa primaria dicitur. Rem enim ponderat vt mensura; hominem ad commutandum mouet vt causa.*

Ab Instantia. Opp. *Multi res suas commutãt pro pecunijs, qui nullis rebus ad vitam victumq́; necessarijs indigent: ergò indigentia non est semper causa commutationis. Antecedens constat, quia auari aliquot mercatores omni rerum necessariarũ copiâ affluentes per mare, per terram ferũtur, vt rebus cõmutatis thesauros augeãt. Ratio probatur, quia*



*quia vbi nihil deest indigentia commutationis causa dici non debet.*

Resp. *Indigentia personam tam ementis quàm vendentis spectat. Quamuis ergò indigentia diuitem mercatorem ad commutandum non cogit, emptorem tamen fortasse cogit. Præterea indigentia causa generalis respectu totius ciuitatis, non singularis respectu vnius hominis causa commutandi dicitur.*

Opp. *Inopia seu indigentia rerum arguit naturam defeciſſe in necessarijs: sed hoc est contra philosophum: ergo non videtur esse causa commutationis. Maior probatur, quia indigentia rerum arguit non satis ad vitam dedisse naturam. Assumptio est Arist. Conclusio sequitur, quòd si satis in necessarijs natura suggerit, indigentia causa commutationis non existit.* Ab Absurdo. 2. Physicorũ.

Resp. *Natura consideratur bifariã, aut generatim, & sic nõ deficit; aut speciatim, & sic aliquando deficit. Satis tamen natura dedit omnibus, at huic plura, illi pauciora: hoc autem eò fecit, vt vltrò citroq́; datis & cõmutatis rebus summa cõcordia oriatur. Rectè ille,*

-- Natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.

*Per hoc ipsum vti intelligi potest cõmutatio rerumq; prudens administratio.*

## Distinctio 3. quæstionis.

*An pecunia sit necessaria ad commutationem?*

Pecunia sumitur duobus modis, aut
- Generaliter pro omni medio acquisitionis, & sic quælibet res commutabilis pecunia dicitur.
- Specialiter pro mensurâ notâ & distincta rerum commutandarum, & huius inuentio probatur necessaria à
  - Distantia locorum, ad quæ res facilè non transportantur.
  - Differentia temporum, in quibus res commutabiles alterantur.
  - Quãtitate rerũ, vt prius dictũ.
  - Indigentia ciuiũ, vt suprà patet.

Opp. *Quicquid ita requiritur ad cõmutationẽ, sine quo non potest esse ciuilis cõmutatio, illud est à naturâ: sed pecunia nõ est à naturâ: ergò pecunia non est necessaria ad commutationem. Maior patet, quia natura non deficit in necessarijs. Minor est in textu, quòd pecunia sit legis non naturæ inuentum.* A definitione necessarij.

Resp. *Verbũ hoc necessariũ accipitur duobus modis, aut simpliciter, & sic pecunia non est necessaria, quippè ante inuentionẽ pecuniæ fuit cõmutatio: aut cõparatè, ad bene esse ciuitatis, & sic pecunia necessaria* Necessarium simpliciter, comparatè.

*ria dicitur, quia bene constare non potest ciuitas, si ista rerum mensura desit. Praterea natura in necessarijs deficere non est putanda, si rationem inueniat quâ restauretur.*

Ab exemplo. Opp. *Beatiores respublicæ sunt quæ carent pecunijs quàm quæ vtũtur: ergò pecuma non est necessaria. Antecedens probatur, quia illæ maximè viuunt secundum naturam. Hoc quoque probatur exemplis Spartanorum & Athenienſium, quorum illis Lycurgus, his Solon vſum pecuniarum ſuſtulit.*

Reſp. *Ex impoſſibili ſequitur quodlibet: fieri non poteſt vt homo viuat ſine anima, fieri nõ poteſt vt ciuitas conſtet ſine pecunia. Quòd dicas beatiores eſſe reſpublicas, quæ carent pecunijs quàm quæ vtũtur, primùm quæro, vbi ſunt illæ ciuitates? Si Athenas & Spartam nomines, hanc vnam fuiſſe cauſam, cur nunc iacent, affirmare audeo. Quòd dicas illas reſpublicas magis viuere ſecundum naturam, nego: Ratio eſt, quia pecunia in ſubſidium naturæ deficientis venit.*

A conſequentibus. Opp. *Sublatâ pecuniâ duo monſtra è ciuitate vnâ tollũtur, nempe ſordida auaritia & vſura: ergò pecunia videtur non tam vtilis & neceſſaria ad ciuitatẽ. Antecedens probatur, quia pecunia eſt ſeges vel materia iſtorum, quâ ſublatâ ipſa conciderent neceſſariò: hoc docuit exemplum Lycurgi, qui cum videret in ſua repub. multitudinem inhiare pecunijs, argentum in plumbum, aurum in ferrum commutauit, tantaq; molis ac ponderis denarios fecit, vt vix tres obulos humeris ſuſtinere potuiſſes. Sic ſenſim vir ſapiens ſitim pecuniarum extinxit, populumq; ſuum ad naturalem rerum commutationem tandem reuocauit.*

Reſp. *Primùm nego auaritiam & vſurã in nummis ſolùm conſiſtere. Nam etſi finis pernicioſi fæneratoris ſit augmentum pecuniæ, etſi inſtar monſtri parturientem pecuniam quærat; peſtis tamen iſta latiùs in viſcera reipublicæ ſerpit, & quaſi cancer eiuſdẽ oſſa & neruos etiam exedit. Exempli cauſâ, das mihi hoc anno centum oues, pactum eſt vt proximo ducentas habeas, vſura eſt, quamuis pecunia deſit: vbi ergò dicit philoſophus fœneratorem pecuniam vt finem intueri, non æs ſolùm aut argentum intelligit, ſed omne medium commutationis quo non vt medio ſed vt fine vtitur. Exemplum quod tantopere vrges non laudo, nam vitium hominis eſt non pecuniæ, ſi cines ardentiùs quàm par eſt pecunias expetant.*

Vſura reipub. viſcera vt cancer oſſa exedit.

Diſtinctio



Diſtinctio quartæ.

*Vtrum pecuniæ ſint veræ diuitiæ ciuitatis?*

Pecuniæ non ſunt veræ diuitiæ ciuitatis,
- Quia ſunt inſtabiles & incertæ, omniq́ue fortunæ tempeſtati obnoxiæ.
- Quia pro arbitrio principum mutari poſſunt.
- Quia illis poſſeſſis ciuitas fame alijſq; modis languere poteſt.
- Quia mali in perniciem ciuitatis illis ſæpius quàm boni fruuntur.

A notatione. Opp. *Veræ ſunt diuitiæ ciuitatis quæ bene eſſe ciuitatis abſoluũt, ſed pecuniæ bene eſſe ciuitatis abſoluunt, ergò ſunt veræ diuitiæ ciuitatis. Maior & Minor conſtãt ex verbis Philoſophi, vbi docet defectibus naturæ in ciuitate commutationẽ rerum cũ pecunijs mederi.*

Reſp. *Benè eſſe ciuitatis eſt vel internum in bonis animi, vt in prudentia, iuſtitia, equitate: vel externum in bonis corporis & fortunæ, vt in viribus & affluentiâ rerum: illa bona per ſe, hæc verò per accidens eſſe ciuitatis abſoluunt.*

A diſtributis. Opp. *Politia nõ tam reſpicit internum bonum quàm externum, ergo pecuniæ poſſunt eſſe veræ diuitiæ ciuitatis. Antecedens probatur ex ipſo Ariſt. hoc libro vbi docet, quòd bonitas ciuis non in virtute conſiſtit. Poteſt enim eſſe (vt inquit) bonus ciuis quamuis ſit malus vir.*

Reſp. *Malè hîc concludis, nam etſi poteſt eſſe bonus ciuis in virtute officij, vt benè pugnare ſi ſit miles, benè iudicare ſi ſit magiſtratus; non tamen ſequitur, quin politicus bonum animi vt ſcopum ciuitatis ſibi proponat & admiretur. Caſu contingit aliquando vt malus vir externum officium rectè ſubeat, hinc concludis totam politicam virtutes morum negligere & aſpernari. Lege Philoſophũ quid ſit diſcriminis inter iuſtum & iuſtè agere, ibiq; inuenies, quòd malus aliquando bonum & iuſtum agat, at benè & iuſtè nunquam.*

Malus bonum aliquando facit, at benè nunquam agit.

Ab inſtantia. Opp. *Pecuniæ poſſunt eſſe veræ diuitiæ in illa ſpecie ciuitatis in qua virtus exulat, ſed Tyrannis eſt quædam ſpecies ciuitatis à qua virtus exulat: ergò in illa pecuniæ poſſunt eſſe veræ diuitiæ. Maior & Minor ſunt Ariſt.*

Reſp. *Tyrannis non eſt ſpecies ciuitatis, niſi analogicè, vt poſtea declarabitur. In illa enim non eſt ordo ſed confuſio, non pax ſed ſeditio, non honor ſed perpetua ignominia & turpitudo ciuium.*

Pecuniæ quærendæ modus sit.

Totus mundus sitit pecunias.

Dubium capitis. *Vtrum licitè in infinitum expetantur diuitiæ?*

Immensam habes gulam, helluo voracissime, qui ipsum Oceanum diuitiarum tam ardenter expetis: non domus, non vna ciuitas, non regnum sufficit? certè totus mundus non sufficiet. Stulte, mors à tergo hæret; si mihi non credas, vide sepulchrum. O vtinam velis cogitare infernum. Quid quæris? Nummos. quid somnias? Nummos. dic quæso quid colis? Nummos. Quam vocem audio? Mundi. Vult mundus nummos? Totus profectò nummos. At hoc non licet. dic causam. Est modus rerum. At non pecuniæ. Erras si vsum spectes, non erras si vsuram.

In facultate pecuniaria spectantur duo,

- Acquisitio necessariorum ad vsum rei familiaris; & sic licitè sed non infinitè expetuntur diuitiæ, quod probat Philosophus in textu,
  - Similitudine artis, quæ finem habet.
  - Necessitate rationis, quæ vsum quærit.
- Amplificatio pecuniarum ad cupiditatem fœnerantis, & sic infinitè expetuntur. hoc probat Philosophus ab
  - Exemplo medicinæ, quæ infinitè optat sanare.
  - Exemplo vsuræ, quæ satiari non potest.

A proportione.

Opp. *Licet in administratione rei familiaris infinitè pecunias expetere: ergò errasse videtur philosophus, qui aliter defendit. Antecedens probatur. Consulere posteritati licet in infinitum: ergò etiam licebit infinitè pecunias cogere. Antecedens à proprietate naturæ ducitur, quæ in posteris viuendi æternitati studet.*

Resp. *In posteritate duo spectantur, successio liberorum, & sic contendimus infinitè viuere: Possessio rerum, & sic conamur id solùm posteris, quod satis est, relinquere. Exempli causâ, Vectigal centum librarum habes, id tradis filio vt nepoti tradat, votum hoc tamen infinitum est, si vitam posteriorum; at circumscriptum, si rerum vsum spectes.*

Ab impossibili

Resp. *In vsurâ infinitè expeti pecuniæ non possunt: ergò falsum est quod defendit Philosophus. Antecedens probatur, quia proportio debet esse inter potentiam & obiectum potentiæ: sed neq; potentia, quâ appetuntur pecuniæ, est infinita, neq; ipsa pecunia: ergò infinitè expeti non possunt. Maior est Arist.*

In lib. de sensu & sensato.

*Minor probatur, quia appetitus*



*titus est rei finitæ nempè hominis potentia, & pecunia est rei certæ & terminatæ mensura.*

Resp. *Etsi homo sit ens finitū, vt docent philosophi, est tamē in homine pars vna diuina, cuius potentiæ infinitæ habentur. Mens enim humana nullis septis, nullis cācellis clauditur: vt ergò probè instructus appetitus vsum & modum in pecunijs quærit: ita depranatus ad immensum tam voluptatum quàm pecuniarum desiderium rapitur.*

## CAP. VII.

*An medicina sit pars œconomiæ?*

*An vsura sit licita aut toleranda in ciuitate?*

AGITATA est in principio quinti Cap. hæc dubitatio, vtrùm ratio acquirendi necessaria sit pars domus vel ministra: & si sit, An materiam vel instrumentum præbeat? Huius expositionem illic non tradit Philosophus, sed hîc absoluit; cæterùm ne mora expectationis lectoris animum distraheret, vbi mota ibi relata est à nobis quæstio. Summa eorum quæ de hac re hîc disputata sunt, huc venit, quòd natura cibum, industria vsum pariat. Nam vt scientia ciuilis homines non generat, sed ijsdem à naturâ acceptis vtitur: ita necessaria ad victum ex terra mariq́ue non procreat, sed ijsdem procreatis pro arbitrio & prudentia gaudet: & vt artis textoriæ non est lanam producere, sed eâ vti; ita rationis domesticæ non est necessaria ad vitam victumq́; gignere, sed ea tam ad vsum accommodare, quàm ne vnquam deficiant prouidere. Sed hîc inquit Philosophus dubitare possit aliquis, quamobrem ars pecuniæ quærendæ rei domesticæ particula sit, Medicina autem non sit; præsertim cum benè valere oporteat eos qui domi sunt non minùs quàm viuere. Rectè olim Galenus, Vita non est viuere sed valere. Nihil menti diuinius contigit quàm virtus, nihil corpori quàm salus. Est ergò tã patrisfamilias in domo, quàm principis in ciuitate maximam habere curam vt sibi subiecti & rectè viuere & benè

Medicina an pars œconomiæ.

Quæstio prima.

valere

valere poſſint, hoc autem opidò tum fecerint, ſi medicinã in hac re ſedulò ac diligenter conſulant. Sed medicina duplex eſt: alia à naturâ fuſa, alia vſu arteq; comparata; illa ad præfectũ domus & ciuitatis eſt neceſſaria, hęc ſolùm ad Galeni & Hyppocratis candidatos pertinet: illam ſcire patrẽfamilias & prefectũ decet; hac quoq; vti, ſi vrgeat neceſſitas, oportebit: illam habes, ſi operis, victus & aëris rationẽ habeas; operis, quo moderatè exerceantur; victus, quo ſalubriter reficiantur; aëris, quo à contagio liberentur ciues. Quippè in exercitio corporis, in ſalubritate victus, in amœnitate aëris, maximè conſeruatio ſanitatis ponitur. Hæc medicina quodammodo pars domus ac ciuitatis eſt, nam tota à naturâ pẽdet, quippè labor, victus & aër res naturales ſunt, horũ vſũ ipſa natura docuit. Mirari igitur ſatis non poſſũ, cum videam multas ciuitates eaſdemq; bellè ſitas fœdiſſimis ſentinis, peſtemque exhalantibus ſterquilinijs periclitari. Nimia eſt iſta incuria ciuium, nimia negligentia magiſtratuum: medicinam natura dedit, cur eâ non vtimur? Eiuſdem vſum edocuit, cur aſpernamur? Preſcribit illa vt verrantur ædificia, vt expurgentur ſentinæ, vt remoueantur ſterquilinia, vt pro infectis peſte procul à ciuitate habeantur hoſpitia. At vbi hæc fiunt quæro, vbi certè non fiunt ſcio. Sed his omiſſis ad grauiora venio. Proximè de vſura agitur, quæriturque an ſit in repub. licita & toleranda. Cum duplex ſit querendarũ pecuniarum ratio, altera ex rebus à naturâ procreatis, puta fructibus & animalibus, altera (à quâ abhorret natura) ex ipſa pecuniâ: illã hoc loco laudat, hanc multùm reprehendit Ariſt. Verùm quoniam quatuor ſunt ſpecies iſtius rationis, quã pecuniariã vel potius quæſtuariam appellant; nempè mercatura, fæneratio, mercenaria illa operandi facultas, & mixta; ſciendum eſt de fenèratione (quam vſuram vocant) hoc loco potiſſimũ diſputari. O peſſima beſtia omni aſpide nocentior, vtinam ſanè aut nunquam fuiſſes, aut ſaltem in florentes ac benè adminiſtratas reſpub. nunquam irrepſiſſes. Natura te quaſi ſtercus euomuit, auaritia te monſtrum ſuſcepit, immanis cupiditas te peſtem multarum ciuitatum auxit & enutriuit. Sed quid

Medicina naturalis, artificialis.

Conſeruatio ſanitatis in exercitio corporis, in ſalubritate victus, in amœnitate aëris conſiſtit.

Quæſtio 2. Vſura an ſit licita.

Mater & nutrices vſuræ.



quid ago? Philoſophandum nunc eſt, vſuram exercere in ciuitate non licet: ergò falleris. Antecedens ſic probo: Natura id negat, iuſtitia prohibet: ergò non licet: natura negat, quia monſtrum eſt vt pecunia pecuniam gignat; iuſtitia prohibet, quia iniquum eſt, vt aliquis vſum pecunię vendat. Verùm vt hæc planiùs intelligantur omnia, vnâ vel alterâ factâ diſtinctione in ſyllogiſmos deducam ſingula. Diſtinctio prima hæc eſt, quòd in rebus poſſeſſis conſiderentur duo, ſubſtantia & vſus: vſus verò vt ſuprà oſtendimus duplex eſt, proprius, vt in domo habitatio; communis, vt commutatio. Huc adde quòd res poſſeſſæ ſunt quoq; duplices, alię quarum dominium cum vſu in aliũ transferatur, vt panis, vinum, oleum; aliæ quarũ dominium cum vſu non transferatur, vt domus & ager: in illis ſi quid vltra ſortem pro vſu ſumas vſura eſt, in his reſeruato dominio & poſſeſſione rei aliquid pro vſu poſtulare licet. Ratio eſt, quia vſus à re & res ab vſu in multis vt domus ab habitatione & ager à locatione ſua diſtinguitur. His poſitis ſic argumentor. Quicquid eſt contra legem naturæ non eſt licitum: ſed vſura eſt contra legem naturę: ergò vſura non eſt licita. Maior conſtat. Aſſumptio probatur. Quicquid naturalem vſum rei peruertit eſt contra ius naturæ: ſed vſura peruertit naturalem vſum pecuniæ: ergò eſt contra ius naturæ. Minor patet, quia naturalis vſus pecuniæ eſt vt ſit menſura rerum, at vſura eandem rem commutabilem facit. Præterea quicquid fætum aut partum quærit ex ijs quæ vim pariundi non habent, vt ex ferro aut lapide, illud ipſum eſt planè contra ius naturæ: ſed vſura pecuniam quaſi fætum ex pecunia veluti ex matre quærit (cum tamen pecunia vim generandi non habet) ergò vſura eſt planè contra ius naturę. 3. Non ens vendi, aut eandem rem bis vendi eſt contra ius naturæ: ſed in vſurâ aut nõ ens venditur, aut res vna bis venditur: ergò eſt contra ius naturæ. Maior conſtat, quia ſecundum ius naturæ non licet alium fraudare aut opprimere. Minor patet, quia aut vſus, qui non eſt, venditur; aut pecunia, quæ cum vſu ſuo tranſlata eſt, bis venditur; quo nihil eſt vel in ipſa natura odioſius, vel in benè adminiſtratâ repub. deteſta-

In rebus poſſeſſis conſiderantur ſubſtantia & vſus, idemque communis & proprius.

Vſura peruertit naturalem vſum rei.

testabilius. 4. Rem cuius vsus est ipsa consumptio ab vsu separare est contra ius legitimum seu positiuum: sed vsura id facit: ergò vsura est contra ius legitimum seu positiuum. Minor probatur, quia pecuniã, oleum, vinum & similia, quorum vsus est ipsorum consumptio, vsura ab ipsorum vsu separat, indeq; turpissimum quæstum exigit & venatur. Postremò infinitum appetitum pecuniarum tam ius naturæ quàm lex ciuitatis vetat: sed in vsura est infinitus appetitus pecuniarum, ergò vsuram tam ius naturæ quàm lex ciuitatis vetat. Minor est Arist. in 6. Cap. huius libri, ratione tamen probatur, quia tametsi verbi causâ decem solùm libras pro centum capis, pro illis tamen decem & pro alijs in infinitum semper aliquid vltra sortem cupis: hinc etsi finita sit pecunia quam requiris, infinita tamen est culpa quam committis, ea enim metienda est non cum re in quâ versatur, sed cum voluntate tuâ à quâ suscipitur, quippè voluntas tua concipit, actio prodit peccatum. Nihil hîc de iure diuino loquor, * quod tamen expressè vetat vsuram. Summa horum omnium est, quòd in vsura sit insatiabilis pecuniarum sitis, quòd sit detestabilis peruersio naturalis vsus, quòd sit monstrosæ generatio prolis, quòd sit lęsio ciuis, quòd sit violatio tàm humanę quàm diuinæ legis: sequitur ergò quòd vsura non sit in benè institutâ republicâ licita, non sit laudabilis. Sed hîc quæritur, an tolerari possit? Deus multis parcit, in multis conniuere solet. Quod malum est, iustitia vetat, politica tamen experientia malum aliquando tolerat, tolerare malum non est, approbare malum. Ferox, immanis, truculenta est natura humana, consilio semper non regitur, iudicio non coercetur. Hinc tolerantia malorum quædam irrepsit in ciuitatem, hinc lupanaria, hinc vsura, non quòd iusta respub. hęc mala approbet, sed quòd (ne grauiora mala sequantur) permittenda censeat; sed ita permittenda, vt peccantes impunè suum scelus non ferant. Nam persistentes in his malis inter viuos maledicti, inter mortuos insepulti, idque legum censurâ, iacent. Permittit ergò lex, & tamen prohibet; tolerat & tamen percurit; sic clausis quasi oculis videt hæc mala, ne nimis per-

* Deut 23.19.

Vsura an sit toleranda.

Cur mala quædam in ciuitatibus tolerantur.



spicax videret monstra. Quæ certè non sine sepulchro & naufragio sui cerneret, si in multis ijsdemque magnis malis aliquando non conniueret. Quippe tanta est infirmitas humana, tam facilis discensus auerni, vt sępe lapsu prohibito in immanitatem sceleris præcipitantius cadat. Sequitur nunc apud Aristotelem alia pars capitis, in quâ de praxi & vsu quęstuarię facultatis disputat, docetque in primâ facultate oportere vt paterfamilias scientiam animalium, agrorum, pastionum, cæterarumque rerum omnium ad vsum vitæ spectantium habeat: in secunda rationem acquirendi pecuniam in quatuor species distribuit, nempè in mercatoriam (vt aiunt) in fœneratoriam, in mercenariam, & in mixtam, quam vulgò metallicam appellant. Mercatoriæ tres partes tradit, nauigationem, quæ fit nauibus; deuectionem, quæ fit iumentis; negotiationem, quæ ijsdem in locis vbi merx nata est factitatur. Post hæc actiones harum facultatum comparat, vt aliæ artificiosissimæ, aliæ sordidissimæ, aliæ maximè seruiles ignobilesque dicantur. De his vt plura perdiscamus, nos refert ad quosdam authores, qui de his rebus scriptitarunt, nominatim ad Charetem Parium & Apollodorum Lemnium, qui, vt olim Cato & Columella, de re rusticâ ediderunt opera. Ex his suadet vt hauriamus præcepta quibus imbuti cum Thalete philosopho diuites fiamus. Thales hic cum ei mendicitatem quidam obijceret, stulte (inquit) facilè est Philosopho ditescere cum velit. Prospiciens ergò vir astrologus futuro anno magnam oliuarum sterilitatem fore, totum oleum iam vili pretio in ciuitate emit, quo reseruato ad tempus, proximus annus venit, oliua vt solet fructum non fundit, audito Thaletem habere, turba ad illum ruit. Thales hoc modo diues euasit, specimenque sapientiæ suæ populo ostendit. Quid tandem nunc Thales, facile est Philosopho ditescere cum velit? Fœcunda erat oliua, quæ te diuitem; beata Philosophia, quæ te sapientem fecit; sed audi Philosophe.

Tres partes Mercaturæ.

Thales sapientiæ studio comparauit diuitias.

*Tempora mutantur & nos mutamur in illis.*

Oliua

Eruditio parui penditur.

Oliua nunc dierum non fluit, vsura philosophis vix pallium concessit.

## Distinctio primę quæstionis.

Medicina est vel
- Naturalis, quæ est insita quædam ratio tuendæ sanitatis, & hæc est quodammodo pars œconomiæ consistens in
  - Exercitio corporis.
  - Salubritate victus.
  - Amœnitate aëris,

  quæ tria oportet patrẽ familias & præfectum ciuitatis suis præscribere & procurare.
- Artificiosa, quæ est salubrium, insalubrium, mediorumque scientia, quâ domus & ciuitatis præfectos vrgente necessitate vti oportet.

A diuisione. Opp. *Medicina nec est formalis nec est materialis pars domus vel ciuitatis: ergò pars nulla est. Argumentum tenet à sufficienti diuisione partium.*

Resp. *Omnis pars interna est aut materia aut forma, sed medicina inter partes externas & assumptas ponitur, nempè inter necessaria instrumenta, quibus domus & ciuitas ad suorum conseruandam sanitatem vtuntur.*

A proprio. Opp. *Est officium medicinæ artificiosæ rationem motus & quietis, salubritatem victus, amœnitatem aëris præscribere: ergò minùs videtur ad medicinam naturalem pertinere. Ratio sequitur, quia natura & scientia opponuntur.*

Resp. *Natura & scientia de natura non opponũtur. Est enim natura materia & obiectum talis scientiæ. Præterea non hîc docemus requiri exactam & exquisitam horum scientiam in præfectis domus aut ciuitatis, sed prout diuturnus vsus & experientia docuit.*

## Distinctio secundæ quæstionis.

*An vsura sit licita?*

Descriptio vsuræ. Vsura est illicita quædam exactio pecuniæ pacto expresso vel occulto facta, quâ accipiens ex rebus (quarum vsus est ipsarum consumptio) aliquid vltra sortem reddere tenetur. Breuiùs sic: Vsura est quæstus illegitimus ex rebus quæ à suis vsibus non separantur.

Causæ



Causæ cur vsura non habetur licita sunt,
- Quia vsum naturalem pecuniæ peruertit.
- Quia monstrosum ortum pecuniæ ex pecunia quæsit.
- Quia aut non ens vendit, aut idem bis vendit.
- Quia vsum à re, quæ est omninò inseparabilis à suo vsu, diuellit.
- Quia infinitè pecuniam expetit.
- Quia expressum Dei mandatum violat; sed hæc omnia apertè superiùs declarantur.

Opp. *Quicquid ius ciuile concedit, licitum est: sed vsuram ius ciuile concedit: ergò vsura est licita. Maior patet, quia fundamentum eiusdem iuris est iustitia. Minor constat in multis legibus imperatorum.* Ab authoritate.

Resp. *Ius ciuile permittit vsuram (vt antè docuimus) sed non approbandam censet. Hoc constat, quia in ipso iure ciuili dicitur quod res quæ vsu consumuntur neq; ratione naturali, neq; ciuili, vsum fructum recipiant.*

Opp. *Licebat Iudæis vsuram accipere ab alienis & extraneis, vt patet in lege Mosis: ergò vsura est licita.* Ab exemplo.

Resp. *Permissum Iudæis fuit, non vt licitum sed ad maius malum euitandum. Magna fuit infirmitas huius populi, hinc illorum legislator permisit diuortium, tolerauit vsuram: sed si attendas, restrinxit hoc malum, permisit enim vt à gentibus & alienis à domo Dei, non à fratribus vsuram exigerent. Iam autem velo ipsius templi sciſſo, viâq; gentibus ad salutem patefactâ fratres nos omnes sumus. Si ergo expressè mandatum sit vt à fratribus non accipias, simpliciter & omninò prohiberi videtur. Nam id sæpius ingemino, Nos omnes iam fratres sumus.* Vsura aliquo modo Iudæis permissa, nobis omni modo negatur. Matt. 27. 51.

Opp. *Argentum & aurum Cæsaris imagine notata, ab argento & auro fusis in vasa distinctâ specie non differunt, sed licet aliquid pro his vltra sortem exigere, ergò etiam pro illis nempè pecuniis. Maior patet, quia aurum & argentum tàm in pecuniâ quàm in cratere eandem speciem habent. Minorem vsus & experientia docent.* A comparatis.

Resp. *Quemadmodum multæ res naturales eandem habentes materiam formâ & specie differunt, vt penè mixta omnia: sic in rebus artificiosis contingit, quæ licet eandem materiam habent, naturâ tamen distinguuntur. Respondeo igitur aurum in nummis, aurumq; in vasis differre specie. Nam aurum in nummis ab auro in vasis di-*

*uersam formam & finem habet, illius enim vsus transferri non potest siue dominio, huius verò potest.*

Ab vsu. Opp. *Prodesse ciuibus semper res licita fuit: sed vsura prodest ciuibus: ergò est licita. Minor probatur, quia indigentia multorum sic tollitur, magnaq; copia diuitiarũ vltra id q. vsura exigit cõparatur.*

Resp. *De futuris non est certa scientia, ære tuo oppressus potest fortasse multum lucrari, potest etiã si fortuna non faueat pati naufragium. Tu ex pacto iniusto requiris certum, is fluctuante fortunâ ancipitem venatur quæstum. Audi ergò, licet prodesse ciuibus sed iustis modis, at monstrosus nascitur fœtus ex pecunijs.*

A conditione naturę. Opp. *Nemo volens iniustum patitur, sed multi libenter & sponte patiuntur vsuram, ergò vsura non est iniusta, & ex consequenti nõ est illicita. Maior est Arist. in 5. Eth. Minor constat experiẽtiâ.*

Resp. *Cõtractus voluntarius dicitur duobus modis, vel simpliciter, & sic vsura non est ex parte recipientis absolutè voluntaria: vel comparatè, & sic est, sed hoc non probat vsurã esse iustam: Ratio est, quia recipientis voluntas non libera sed necessitatis aculeo coacta hoc ipsum patitur.*

Ab incommodo. Opp. *Si omne datum vltra sortem in rebus, quarum vsus est cõsumptio, sit vsura; tum pro certo spatio reditum pecunijs emere nõ liceret: sed hoc est absurdum: ergò aliquo modo vsura est licita. Maior probatur, quia in annuo reditu pro certo spatio aliquid vltra sortem ex pecunijs redundat & acquiritur. Minor patet, quia omne instrumentum locari potest pro certo pretio: sed pecunia est instrumentum mutationis: ergò potest exponi & locari pro certo pretio: sit illud exempli causâ annuus reditus aut stipendium.*

Gandauus in suis quodlib. Resp. *Docti & sapientes quidam existimant annuos reditus pro certo spatio coëmi non debere, exemplũ vrgẽs, si ciuis alicui centum libras anglicanas daret vt pro octo annorũ spatio quotannis viginti libras recipiat, quia vltra sortẽ ex pecunijs sic locatis octo annorum spatio sexaginta libras in lucro habet, vsura est, nam pecunia hoc modo ex pecunijs gignitur. Est ergò duplex instrumentum, aliud cuius vsus consistit in cõsumptione, & tale locari non debet; aliud cuius vsus non consistit, & hoc locari potest, vt suprà ostenditur.*

Ab instantia. Opp. *Vsura est aliquandò in rebus quarũ vsus nõ est cõsumptio: ergò malè definitur. Antecedens probatur exemplo. Petis mutuò centum*



*centum libras à mercatore, is negat se habere pecunias, merces tamen tradit vt reuendas, tu coactus necessitate merces pro quibus libras centum solues, alteri pro octoginta vendis. Venit mercator, suas merces ab altero subordinato carnifice libris octoginta redimit, sic viginti libras nõ ex pecunijs (vt vides) sed ex mercibus, quod videtur legitimum, prorsus lucratur.*

Resp. *Pessimus est hic dolus & nimis frequens, mala mens malus animus (vt ait poeta). Argumento tamen huic facilè quidem respondebis, si acquiri hoc lucrum ex mercibus fraude, ex pecunijs reuera dixeris. Nam intentio erat ex octoginta libris elicere & aucupari centum, vt euentus docet. Simile est illud de quodam sutore,* Fraus in sutore. *ad quem accessit pauper rogans vt viginti solidos mutuò pro anno daret. Dabo inquit, sed ea lege; vt pro renouato scripto, quod ipse peritus scribendi fecero, singulis mensibus concedas solidum. pactum est, scripsit sæpè hic sutor, pauper oppressus scriptis ad magistratum venit, vsura accusat, respondet niger hic nebulo se non nummum ex nummo. sed nummum pro scripto postulasse. Ajt Iudex, videte quàm egregiè Diabolus fraudem istum sutorem docuit.*

Ab applicitis. Opp. *Vsura est per se malum, vsura est quadam species furti & rapinæ, vsura tendit in damnum ciuitatis & dispendium ipsorum ciuium: ergò vsura non est permittenda in probè administratâ ciuitate. Hæc argumenta paucis collecta in secundam partem quæstionis insinuantur.*

Resp. *Satisfecimus huic argumento in suppositione, hæc enim à iurisprudentibus traditur regula, quòd tum conniuendum sit in malis, cum ijsdem subitò prohibitis funestiora consequantur. Vt ergò in fidibus tendendis musici instrumenti: ita in malis tollendis ciuitatis sensim, ac pedetentim agere oportet: illæ stridentes & rumpuntur si intendas subitò, hæc tumultuantur si tollas repentinò.*

## Dubium Capitis.

*Vtrum liceat cum Thalete res vili emere vt easdem statim vendamus carius?*

Quid sibi velint istæ sarcinæ (mercator) quibus onustus in forum venis? Discede hinc auide, non tibi licet res tanti vendere: pigmenta emisti vili, iam ornamenta vocas: noui fraudem, noui aucupium tuum. Quanti est hæc merx tua?

Ab Indiâ venit. Reſponde ad rem. pretioſa res eſt. at quanti quęro? certè amicè tecum agam, nihil lucrabor. Nugas agis, dic mihi quanti vendes? Ab India venit, res pretioſa eſt, habebis viliori pretio tamen quàm ipſe dedi. Mentiris omnia. Nā heri emiſti vili, & hodiè magni nundinari cupis. Sed hoc non decet, ſi verum ſit quod Philoſophia docet. Quid Philoſophia? Certè vt ſtatim coëmptum non vendas, vt rem commutabilem meliorem reddas, vt occultum rei vitium emptori demonſtres. Mercator ſum, non Philoſophus. At hæc profectò ageres ſi velis haberi iuſtus.

Mercator mendax.

Opp. *Si vilius emere non licet vt carius vendamus, nullus eſſet quæſtus: at quæſtu ſublato omnis tolleretur mercatura: ergo vilius emere licet vt cariùs vendamus.*

Reſp. *Licet vilius emere vt cariùs vendas, attamen vt ſtatim hoc agas antequam res empta melior tuâ operâ fiat, lege quidem prohibetur. Nam vide incommodum, venit auarus in forum, totumq; granum vilius emit. Ad hunc vndiq; concurſum eſt: carius nunc iſte vendit, iniuſtè hoc factum eſſe quis non videt? At quæris quomodò res melior à mercatore fiat. Reſpondeo in multis hoc fieri artificio, in multis operâ. Nam quamuis res in Indiâ nata à mercatore non mutatur, traiectione tamen ad Angliam in meliorem vſum conuertitur.*

## CAP. VIII.

*An vxor, filius & ſeruus eodē modo regi & gubernari debeant? An ſit eadem parentis & imperantis virtus?*

EX tribus œconomiæ partibus ſatis de herili reiq́ue acquirendæ facultate diſputatum iam eſt, reſtat ergò vt de reliquis duabus ſocietatibus domus, nempè de nuptiali & paternâ, nunc diſputemus. Series huius tractatus facilè ex ordine propoſitarum quæſtionū intelligetur, eandē enim ſemper in mouendis quæſtionibus viam tenemus quam in diſcutiendis rebus ſibi Philoſophus



loſophus elegit ac definiuit. Quæritur ergò primùm, An vxor, filius & ſeruus eodem modo regi & gubernari debeant? Naturæ & rationis lumine olim illuſtrati Philoſophi in vno homine expreſſam Ideam viuamq́; quaſi imaginem imperij intuentes eundem non immeritò minorem mundum appellârunt. Nam vt totum hoc vniuerſum ab vno infinito imperatore, deo ſcilicet qui eſt ſeparatus, ſimplex, puruſq́; ſpiritus regitur: ita omnia hominis cauſâ (vt ait Philoſophus) conſtituta, hominis imperio iuſtiſſimè ſubijciuntur. Si ergò in vno homine effigies vniuerſalis imperij naturę quaſi penicillo delineatur, quanto magis ciuitatis adminiſtratio in domo (quæ parua eſſe videtur ciuitas) nobis appareat? Hinc in fronte huius Capitis traditur ab Ariſt. luculenta inter ciuitatem & familiam quædam comparatio. Quid multis? Paternam gubernationem regali, nuptialem verò ciuili imperio comparauit Philoſophus: Paternam regali, quia vt rex in ciuitate pro arbitrio ſuis ſubditis: ita pater in familia pro voluntate ſuis liberis: Nuptialem ciuili, quia vt magiſtratus in repub. ſecundum leges multitudini: ita vir in domo ſecundum conditiones vxori præeſſe dicitur. Plena eſt authoritas regis in ſubditum, patris in filium; reſtricta eſt authoritas magiſtratus in ciuem, viriq́; in vxorem. Rex imperat ſecundum leges quas ipſe tulerit, ſic pater; ſenator regit ſecundum leges quas conſenſus fecerit, ſic vir vxorem. Pater filio viriq́; vxori non vt dominus ſeruis, ſed vt Rex & magiſtratus liberis prædominantur. Natura enim ſubiecit fæminam non vt ſeruum ſed vt ſociam, non ad mancipium ſed ad libertatem vitæ. Cęterùm animaduertendum hic eſt, quòd ciuile imperium à nuptiali in hoc vno differat, quòd in illo ſit viciſſitudo imperandi, in hoc verò non ſit; non enim fæmina ſuo viro ne quidem Xantippe Socrati imperare deberet, ſi verò hoc contendat, impetus hic eſt infirmitatis non naturæ. Nam mas (vt hic ait Ariſt.) ad principatum obtinendum aptior eſt quàm fæmina, & natu grandior quàm adoleſcens. Sed quis non videt de fęminâ coniunctâ viro non ſolutâ hoc loco à Philoſopho diſputari. Si ſit Hecuba, inſeruiat Priamo; ſi ſit

Quæſtio 1.

Ciuitas & familia comparantur interſe.

Imperium ciuile in quo differat à nuptiali.

Mulier imperij capax.

Mulier soluta viro imperare potest.

Amasis Ægyptius.

Dido ciuitati imperet, id est si nupta sit regina, subijciatur regi; sin regnum natura dederit, soluta imperare potest. Neq; est quòd magis infirmitatem mulieris contemnas, quàm olim Ægyptij Amasis sui imperatoris ignobilem locum & paupertatem. Hic Amasis rex Ægypti fuit, cui cũ populus parentes suos viles artifices indignabundè obiecit, eíque parêre pro officio recusauit, vas quoddam aureum (in quod principes Ægyptiorũ vomere & meire solebant) in celebre idolum fundi & commutari iussit, in templo erexit, instituit festum, coëgit populum, nouum Deum admirantur omnes, venerantur singuli. Amasis rex sapiens in altum ascendit, sic affatur. Charissimi ciues cur me contemnitis, & tamen

Generis humilitas honorẽ virtuti non negat.

Deum ex matulâ conflatum adoratis? O ciues non locum sed virum, non me seruum sed regem respicite. Hoc intellecto populus prostratus cecidit, contemptum regem adorauit, audi ergò vt humilitas loci huic insigni viro imperium non negauit: ita infirmitas naturæ omni fœminæ aditum ad dignitatem non intercluſit. Sed de hac re antea satis, nunc ad secundam quæstionem venio, in quâ quæritur, An eadẽ

Secunda quæstio.

sit virtus tàm parentis quàm imperantis. Primùm in hac quęstione de societate domini & serui agens philosophus fiscitatur. An præter virtutẽ quæ ad instrumenta & ministeria

Virtus an in seruo alia præter instrumentalem.

pertinet in seruo sit alia, verbi gratiâ, temperantia, fortitudo aut iustitia? Disputat Arist. in vtramque partem. Nam si sit alia, qui inquit à domino seruus naturâ differt? at si non sit, quomodo particeps rationis diceretur? Agnoscit ergò tàm seruo quàm domino, tàm parenti quàm imperanti virtutes inesse, sed ita inesse, vt hæ ab illis naturâ & specie distinguantur. Hoc probat à contrarijs, à similibus, à testimonijs. A contrarijs, quia parêre & imperare specie & naturâ differunt. A similibus, quia à virtutibus mentis & moris deriuantur. A testimonijs Gorgiæ rhetoris & Sophoclis poëtæ. Ratio prima sic se habet. Parêre imperio & imperare specie differunt: ergo virtutes parentis & imperantis naturâ differunt. Secunda sic. Quemadmodùm in animâ virtutes mentis à virtutibus moris differunt: ita in ciuitate virtutes parẽtis, qui



qui appetitum, & imperantis, qui intellectum sequitur, inter se naturâ differunt, sed constat illas distingui specie, ergò etiam necesse est has specie distingui. Postrema est ab authoritate, in qua partim refellit Socratem, qui easdem virtutes moris in viro & fœminâ esse putauit; partim laudat Gorgiam atq; Homerum, qui proprias virtutes viro propriasq; fœminæ asscripserunt. Hinc illud. *Adsert decus omni fœminæ silentium.*

Sed quæ est ista iam noua opinio de virtute? quò tandẽ Philosophũ contradicendi studiũ & malicia rapuit? Socrates in fœminis eandẽ temperantiã, eandẽ iustitiã, eandẽ æquitatẽ animi ac in viris posuit; quia Socrates posuit, negauit Arist. erras, non ideo negat, cum veritate negat. Quid? Non est in fœmina vera tẽperantia? Non est vera iustitia? Est. Cur ergo negat? Affirmo iterum quòd nõ neget. Quid ergò dicit? Hoc nimirũ, quòd omnes (intelligit virũ, vxorẽ, dominũ, seruũ, patrẽ, filiũ) participes esse debeant virtutũ. Verùm nõ eodẽ modo, sed quantũ quisq; postulat ad munus suũ obeundũ. Rectè. « quomodo hæc verba intelligis? Attende. In homine duo cõ-

Duo in homine politico considerari debent; Essentia animi & ratio officij.

fiderare oportet, essentiam animi & rationẽ officij: si eã spectes, easdẽ virtutes domini & serui, viri & vxoris, patris & filij, esse existimo. Si verò hanc, id est rationẽ officij, nõ itẽ. Aliud est esse hominẽ, aliud seruũ; aliud est esse hominẽ, aliud regẽ: hinc quædã virtutes viri, quędã virtutes officij dicuntur. Exẽpli causâ. Prudenter vir, mulier quoq; prudenter viuit. Vtriq; inest eadem prudentia, si habitũ virtutis, non tamen eadẽ, si officiũ vtriusq; spectes. Nã prudentia viro inest, vt vxori & fœminæ studiosè consulat; mulieri inest, vt viro suo in legitimis officiosè obediat. Sicut ergo obedire in hac ab imperare in illo: ita prudentia in hac à prudentiâ in illo differt; verum tamen hoc est non quoad essentiam animi, sed quoad rationem & existentiam officij. Summa hæc est, virtutes parentis & imperantis in quatuor differunt in subiecto, obiecto, actu, & fine: in subiecto, nam alius imperat, alius paret: in obiecto, quia obiectum imperantis est imperium, obiectum parentis est ipsius officium; in actu, quia aliter imperantes, aliter parentes agunt; in fine, quia illius est præscribere

& imperare, huius verò ſubſcribere & obedire. Hinc vbi dicit Philoſophus in ſeruo non eſſe omnino conſultandi facultatem, in fœminis eſſe quidem ſed imbecillam, in pueris etiam eſſe ſed imperfectam, intelligit reſpectu officij in quo eſt inęqualitas, non reſpectu viri in quo par ratio virtutis inPropugnatio fœminæ. eſſe poteſt. Iniquè igitur quidam in fœminas contorquent hæc loca, ac ſi eſſent non ſolùm ab omni virtute & imperio alienę, ſed etiam quædam monſtra & portenta naturæ. Malè profectò ille, Mulier eſt imperfectio naturę: ergò monſtrum. Mulier eſt naturâ imbecillior viro: ergò ei non daretur regnũ. Decet fœminã ſilentium: ergò non imperium. Non eſt in fœminis vt in viris virtus: ergò illis reipublicæ non concederetur clauis. Non eſt in fœminis efficax cõſilium: ergò monſtruoſum eſt illarum imperium. Hæc & ſexcenta alia ſtultiora argumenta ex his alijſque locis Philoſophi ſine ſenſu, ſine iudicio eruuntur. Riderent iſti ſi contraria hoc modo colligerem. Mulier eſt maioris pietatis quàm vir. Mulier eſt plerumque ingenioſior viro. Mulier verecundiâ, clementiâ & conſilio ipſos viros ſuperat. Quid ni ergò imperio ſuperaret? Sed hęc omitto agnoſcens quidem permulta non ſine cauſâ in hunc ſexum dici: eſt enim plerumque loquacior, eſt petulantior, eſt inconſtantior viro. Sapienter ille ſi de fœMulier mala definitur. minâ malâ legas. Mulier eſt hominum confuſio, inſatiabilis beſtia, ſolicitudo continua, indeſinens pugna, quotidianum damnum, caſtitatis impedimentum, domus tempeſtatis, prælium aſperrimum, pondus grauiſſimum, aſpis intolerabilis, humanum mancipium. Sed quid ago? Virtutes non vitia fœminarum quæro. Requiruntur (vt hîc docet philoſophus) in bona vxore, caſtitas vt honeſtè, ſobrietas vt moderatè, ſilentium vt quietè, conſtantia vt iuſtè, fides vt ſola cum ſuo viro viuat. Sequuntur in fine iſtius cap. duo, nempè comparatio ſerui cum artifice, & repetitio eorum quę in hoc libro continentur. Comparatio eſt quòd ſeruus ſit à naturâ, artifex autem à ſcientiâ; quòd ſeruus ſit vnâ nobiſcum in eaConfertur ſeruus cum artifice. dem domo, artifex ſolùm conducendus pretio; quòd ſeruus bonum moris ad obtemperandum, artifex bonum artis ad benè



benè operandũ habere debeat. Quid multis: hîc ſuadet phi- Virtuti omnes debent incumbere.
loſophus, vt rex & ſubditus, dominus & ſeruus, vir & vxor, pater & filius, omneſq; & ſinguli (qui in luce ciuitatis viuunt) virtutibus morum ſtudeant & incumbant. Præclarè Seneca:

*Nunquam ſtygias fertur ad vmbras inclyta virtus.*

Beata ergò domus, beata ciuitas, in quibus maximè honoratur virtus. Repetitionem, quam hoc loco habet Ariſt. in tabula quadam poſt argumenta inuenies. Quare hîc iam ceſſo, primumq; hunc librum claudo. Vides lector deſcriptionem domus, vides imaginem ciuitatis. In alijs libris contendam vt ipſam ciuitatem videas.

Diſtinctio primæ quæſtionis.

*An vxor, filius, ſeruus, eodem modo regi & gubernari debeant?*

Imago ciuitatis in tribus cernitur, reſpectu

- Imperij regalis quod pater habet in filios, quibus pro arbitrio præeſt.
- Imperij ciuilis quod vir habet in vxorem, quam vt liberam & ciuem, non vt ſeruam & mancipium; quam legibus reſtrictus non pro libidine immunis regit.
- Imperij herilis quod dominus habet in ſeruos, quibus vt inſtrumentis pro ſua libertate vtitur.

Opp. *Quicunq; patris imperium in filios cum regali, & viri in vxorem cum ciuili imperio comparat, ipſam domum quaſi paruam ciuitatem facit: ſed ita hoc loco adminiſtrationem domus cum adminiſtratione ciuitatis Ariſt. comparat: ergò domum quaſi paruam ciuitatem facit. Quo conceſſo videtur ſibi contradicere in primo cap. huius libri, vbi reprehendit Platonem & alios, qui ſic domum cum ciuitate compararunt.* A toto vniuerſali.

Reſp. *Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum: ſed in hoc nõ offendit Ariſt. Nam illic quidem reprehendit eos qui domũ nihil aliud dixerunt eſſe quàm paruam ciuitatem, idipſum etiam hoc loco docet. Nam quamuis ſit quædam analogia domus cum ciuitate in ſimilitudine adminiſtrationis, eſt tamen magnum diſcrimen ſi eſſentiam & rationem conſtitutionis ſpectes. Hæc ergò omnia analogicè non vniuocè in comparatione vtriuſq; dicuntur.*

Opp. *Licitum eſt regi malos ciues è vitâ tollere, ſed patri nõ licet malos filios è vitâ tollere: ergò patris imperium non eſt regium.* A diſſimili.

Reſp. *Modò docuimus hanc comparationem non eſſe abſolutam*

*ſed analogicam & reſpectiuam, ſatis eſt ergò ſi in quadam ſimilitudine ac proportione conueniant, & ſic quidem conueniunt. Nam vt rex pro arbitrio ſuos ciues: ita pater pro authoritate (quam natura dedit) ſuos filios regit.*

A relatis.

Opp. *Ciuile imperium eſt in quo viciſſitudo exiſtit imperãdi: ſed in nuptiali non eſt viciſſitudo imperandi: ergo nuptiale perperam cum ciuili comparatur. Maior conſtat. Minor probatur, quia poſitâ viciſſitudine imperandi, vxores imperarent, quod eſt vt docet philoſophus contra legem naturæ.*

Reſp. *Eodem modo huic quo alteri argumento reſpondetur, nempè quòd in omnibus hæc duo non cõueniant, ſed analogicè & ex parte.*

## Diſtinctio ſecundæ quæſtionis.

*An ſit eadem virtus parentis & imperantis?*

In parentibus & imperantibus conſiderantur duo,
- Eſſentia animi, & ſic eadem virtus ſpecie tam in parente quàm in imperante eſſe poteſt, vt fortitudo, temperantia.
- Exiſtentia officij, & ſic virtutes vtriuſque differunt
  - Subiecto,
  - Obiecto,
  - Actu,
  - Fine,

  } Vt ſuprà probatur.

A diſtributione

Opp. *Virtutes parentis & imperantis aut ſunt moris aut mentis, ſed illæ ſolùm appetitum, hæ ſolùm intellectum in omni homine ſubiectum habent: ergo virtutes parentis & imperantis ſubiecto non differunt. Maior & minor conſtant 2. Ethicorum.*

Reſp. *Appetitus & intellectus conſiderantur bifariam: aut abſolutè reſpectu animi, & ſic in omni homine ſunt ſubiecta virtutum: Aut comparatè reſpectu officij, & ſic aliter in ſeruo aliter in domino afficiuntur. Exempli cauſâ. Intellectus ſerui patiens reſpectu virtutis, intellectus domini agens reſpectu authoritatis dicitur. Sic de appetitu & voluntate dicendum eſt. Nam quamuis formaliter (vt aiunt) & eſſentialiter intellectus, appetitus, voluntas, aliæq; potentiæ animi in parentibus & imperantibus (quatenus ſunt homines) non differant, differunt tamen ſi diuerſa officia ſpectes.*

Ab eodem.

Opp. *Temperantia in viro eadem eſt cum temperantia in fœminâ: ergo eadem eſt virtus parentis & imperantis. Antecedens probatur, quia idem obiectum nempe voluntatem, idem ſubiectum nẽpè appetitum, eundem actum nempè moderari affectum, eundem*



*dem finem nempè caſtam vitam habet.*

Reſp. *Temperantia & omnis virtus conſiderari poteſt duobus modis: abſolutè, & ſic in viro & fœmina eſt eadem temperantia; reſpectiuè, & ſic non eſt, nam reſpectus officij mutant naturam. Exempli cauſâ, temperantia abſolutè ſumpta hominem bonum efficit & fœminam bonam: temperantia verò reſpectiua maritum bonum in imperio, vxorem bonam in officio reddit. Abſoluta ergo virtus eſt hominis, comparata autem eſt reſpectus. Sed vt homo qui eſt ſubſtantia, & princeps qui eſt reſpectus differunt: ita virtus abſoluta à virtute reſpectiua differt. Reſpondeo ergo quòd temperantia eadem ſit in viro & fœmina, ſi abſolutè ſumantur: at ſi pro viro & vxore accipiantur, quæ ſunt reſpectus, ſic eadem non eſt ſed diuerſa.*

Eadem virtus abſolutè ſumpta in viro & fœmina non verò comparatè & reſpectiuè ſumpta.

A contradicentibus.

Opp. *Non eſt omnino virtus in ſeruo: ergò malè hîc contenditur quòd ſit diuerſa. Antecedens probatur, quia ſi ſit virtus in ſeruo, tum ſeruus poteſt eſſe dominus, nam virtute antea dominum à ſeruo Ariſt. diſtinxit.*

Reſp. *Virtute mentis non moris dominum à ſeruo Ariſt. diſtinxit; requirit tamen hoc loco vt ſeruus virtutibus morum perornetur. Nam ſi ſeruus ſit iniuſtus, ſi ſit intemperans, quæ erit adminiſtratio domus?*

## Dubium capitis.

*An maximum decus fœminæ ſit ſilentium?*

Silentium decet omnes fœminas, ſed perpaucis adeſt.

TAce garrula, nimis mihi moleſta es loquacitate tuâ. Tace tu, nam ego te imperante non filebo. Pica es, pergin' adhuc loqui? Pica non ſum, ſed loquar tamen. At ſilentium te magis decet. Teipſum doce. Sed tu hoc diſceres. Imò tu. Proterua es. Falſum id eſt. Impia es. Id quoque fictum. Meretrix es. Mentiris furcifer. Adhuc non files? Dic cur filerem? Audi philoſophũ. Stultiloquum diceres. Attende quæſo. Fiat id tandem ſi me exores. Natura te docuit frontis modeſtiam, philoſophia te docuit oris ſilentiũ. Naturam audio, philoſophiam non audio. Sed audi. Certè non audiam. Dic quæſo cauſam? Quia ſilentium imperat. An hoc moleſtum. Iniuſtum diceres. O ſtulta mulier recuſas gemmam. Aerem verberas, non retinebo linguam. Retinere licet ſi moderaris.

Moderari

Moderari placet si tu discederes. Victus discedam, verbosa vale. Discedam victrix, vir bone vale.

Silentium maximum decus fœminæ esse docetur, quia

- Arguit impotentiam naturæ (quæ plerumque ad loquendum profusior est) rationis imperio refrænari.
- Arguit animi modestiam, nam petulantia linguæ animi inconstantiam, taciturnitas opportuna prudentiam notat.
- Parit firmiorem viri amicitiam, suique in administranda domo maximam quietem. Nam vt lac extinguit tartareum puluerem: ita silentium fœminæ viri iracundiam.

Ab inductione.

Opp. *Sunt quædam fœminæ prudẽtes & disertæ: at silere illis non conuenit: ergo omnes fœminas vt doces silentiũ non decet. Maior cõstat, quia tum in sacris tum in prophanis historijs legimus quasdam fœminas prudentiâ & contentione eloquentiæ excelluisse. Tales enim fuerũt Saba, Iudith, Hester, & apud Romanos Hortensia, Cornelia, & Sybillæ, quæ pro oraculis sapientiæ habebantur. Minor probatur, quia silere in illis est veluti gemmas pretiosas corporis mole opprimere, & sine vsu reipub. magnas virtutes in cimerijs tenebris quasi suffocare.*

Resp. *Natura cunctis fœminis loqui, industria perpaucis eloqui, pauciſsimis autem philosophari dedit. Si tamen sint Sabæ, audiant Salomonem: si sint Hortensiæ, causas in senatu dicere permittantur. Hæc autem non probant quin respectu sexus in quo imperfectio quædam est fœminarum virtus dicatur silentiũ, non vt omnino sileant, sed vt vltra lanam & telam (si rudiores sint) non progrediãtur.*

A metaphora.

Opp. *Verba fœminis arma sunt, & lingua veluti scutum quo suam impotentiam nec non sæpe innocentiam tegunt: iniquum ergo est illis silentium imperare.*

Resp. *Imperare silentium fœminis hoc loco non est verba sed verbositatem, non linguam sed petulantem rixandi & garriendi licentiam illis negare, rectumq; vsum sermonis & linguæ præscribere: loquentes enim tum silent, & silentes loquuntur fœminæ, cum frænis modestiæ vsæ, se gerant decore.*

Laus Deo.



# LIBER SECVNDVS.

## CAP. I.

*An vnitas in communitate omnium magis dissoluat quàm conseruet ciuitatem?*
*An magistratus debeat esse perpetuus?*

IMAGO ciuitatis & politicę administrationis in domo est; Quoniam ergo copiosè de eâ eiusdemq; partibus disputauit philosophus, nunc incipit de ipsâ ciuitate ac eius ordine (qui respub. nominatur) differere. Sed (ne somnia & phãtasmata quorundam nomine insignium philosophorum lucem veritatis obscurent) primùm fallaces & falsas eorum opiniones de ciuitate tollit, antequam suam ipsius sententiam ponit. Factum hoc quidem sapienter. Nam vt salutaris herba inter spinas non crescit: ita veritas errorũ vinculis suppressa non lucet. Quarè vt spinas radicitùs euellere, si terræ fertilitatem: ita errata funditus extirpare debes, si veritatis speciem ac pulchritudinem intueri velis. Classicum ergo hîc canit philosophus, in primis Socrati, classicum Platoni, Phaleæ, Hippodamo, alijsque nonnullis qui nouas ciuitatis administrandæ formas inuexerunt, nouas leges intulerunt. Diuiditur hic liber (vt ait Donatus) in duas partes, in prima redarguit scriptas, in secunda existentes respublicas quæ sua tempestate rectè gubernari videbantur. Primæ partis sunt 6. capita, in quorum quatuor Socratem & Platonem de communitate vxorum & possessionum, in quinto Phaleam Chalcedonium, in sexto Hippodamũ Milesium refellit. In principio primi cap. aperit institutum, aditumque facit ad vulnerandum Platonem qui tum & propter nouitatem opinionis, & propter diuinitatem nominis

Methodus & scopus lib. 1.

Primi capitis institutum.

nominis per ora hominum volitauit; institutum est, errata tollere, vanissimaque de repub. dogmata refutare. Ingressus quem facit, à diuisione est, nempè, quòd in bene instituta ciuitate aut omnia, aut nulla, aut saltem aliqua debent esse communia. Erras inquit si dicas nulla, nam ciuitas societas est multorum, qui eodem loco habitationis, eâdem libertate legis vtuntur. Sed magis tu erras Plato, qui vt omninò vnã facias ciuitatem, omnia in ciuitate communia, fortunas, vxores, liberos, esse debere putas. Noua & inaudita est hæc tua opinio (erudite Plato) nullius principis diplomate obsignanda, nullius philosophi chirographo subscribenda. Abhorret iustitia cũ fortunas, abhorret natura cum vxores, cũ liberos, communes esse debere doces. Ciuitates enim domicilia virtutis, nõ lupanaria meretricũ esse definiuimus. Dulcis est hęc doctrina tua sed periculosa, pulchra sed miserijs plena, optata fortasse multis, sed sui cultoribus pernicioſa. Fenestrã enim aperit ad omnẽ licentiam morum, ad omnẽ confusionẽ rerũ, ad seditionem ciuium, ad ruinã & naufragium omnium. Sed antequam hoc tuum de vxorum cõmunitate dogma examinemus, dic causam quęso cur omnia cõmunia esse in ciuitate velis? Si quẽadmodũ doces, vt ciuitas inde sit maximè in cõmunitate vna, longè in eo tuâ pace falleris, nam vnitas potius dissoluit quã conseruat ciuitatem, idq; 4. argumentis probo, primũ à disparatis, hoc modo. Quicquid dissoluit & corrumpit ciuitatem, optimum ei non est: sed vnitas dissoluit & corrũpit ciuitatẽ: ergò optimũ ei non est. Assũptio probatur, quoniã id quod ad vnã domum vel vnum hominem deducit, corrumpit ciuitatem: sed maxima vnitas id facit: ergò maxima vnitas corrumpit ciuitatẽ. Maior constat, quia dissolutio compositi in partes est corruptio eiusdẽ. Minor patet, quia ciuitas est multitudo, quæ si magis magisq; ad vnitatẽ redigatur, necesse est vt tandem ad vnã domum adeoq; ad vnũ hominẽ deueniat, in quo dissoluitur non conseruatur ciuitas. 2. argumentũ est à forma ciuitatis, quæ in multitudine hominum specie, ordine, fortunâ & instituto vitæ differentium ponitur. Ratio sic se habet. Quicquid tollit aut peruertit distincta officia hominum in ciuitate ipsam ciuitatem dissol-

Plato 5. de legibus.

Communionis platonicæ incommoda.

Plato Polit. 5. Quæstio 1.

Ciuitatis vnitas quatuor argumentis refutata.

Vnitas ad domum redigit: ergo destruit.

Destruit multitudinem specie differentium, ergo ciuitatem.



uit: sed maxima vnitas tollit & peruertit distincta officia hominum in ciuitate: ergò eandem dissoluit. Maior pater, quia ciuitas ex dissimilibus partibus, vt planta, vt homo, vt harmonia, vt res penè omnis naturalis constat. Minor probatur, quia in maxima vnitate non est distinctio sed confusio rerum. 3. argumentum ab absurdo ducitur ad hunc modum. Quicquid vicissitudinem parendi & imperandi tollit, id etiam ciuitatem tollit; sed maxima vnitas vicissitudinẽ parẽdi & imperãdi tollit: ergò maxima vnitas ciuitatẽ tollit. Propositio aperta est, quia nulla existit ciuitas si nulla sit spes dignitatis; nulla respub. si nulla vicissitudo imperij ac magistratus. Assumptio probatur, quia vnitas mutuam & reciprocam magistratum gerendi ciuibus rationem & æqualitatem negat. 4. argumentum à fine ciuitatis sumitur, quæ est copia & affluentia bonorum omniũ quibus fortunata & beata redditur. Hanc vnitas Platonis sterilem, hanc nullam facit; quæ enim fæcunditas in vnitate, quę affluentia in sterilitate inest? Fortunatior est domus teste philosopho quàm vnus homo, beatior est pagus quã vna domus, longè fæliciſſima ciuitas, quæ hominum, quæ domus, quæ multorũ pagorũ copiam & affluentiã habet. Non est ergò expetendũ vt ciuitas sit maximè vna; nam vnitas inopiam, societas affluentiam bonorum parit. Sũma omniũ quæ diximus hæc est, maxima illa vnitas quã sõniauit Plato multitudinem dissoluit, ordinẽ & officia reipub. cõfundit, spem & vicissitudinẽ parendi & imperandi tollit, fontes bonorũ omniũ in ciuitate claudit: ergò beatitudo ciuitatis in eo non est vt maximè vna efficiatur & existat. Miraris fortasse (studiose lector), cur in hoc ca. illa nõ describatur quęstio quã prisci interpretes hîc solent mouere, nẽpè an vxores & liberi debeant esse cõmunes. Respõdeo me passim vestigia Arist. sequuturũ, qui in primo quidẽ cap. eãdem mouet, sed in 2. persequitur & absoluit. Primũ enim thesim proponit, an ciuitas debeat esse maximè vna? hypothesin deinceps discutit. An sit maximè tũ vna cũ nulla vxorũ & liberorũ habetur distinctio? Multi hîc (vt pauca adijciã) existimãt Arist. ex verbis Platonis corruptũ & malũ extorsisse sensũ. Nã aiunt Platonẽ nõ de ęqualitate possessionis, sed de communi-

Tollit vices parendi & imperandi, ergo ciuitatem.

Lege Romæ sancita. Cic 3. de leg.

Destruit sufficientiã, ergo ciuitatem.

Pol. lib. 1. cap. 2.

Arist. in œcon.

Platonicæ vnitatis damna.

Pro Platone commenta.

tate vsus,non de confusione rerum, sed de vnione ciuium animorumq; consensu disputasse. Vana est certè hæc ab istis Platonis introducta defensio,res enim aperta est,negari non potest:æqualitatem rerum possessarum expressè voluit, iure reprehenditur;communitatem vxorum ac liberorum statuit, iustè refutatur. Quod isti adferunt de vnitate ordinis & consensus,ex suis ipsorum cerebris effingunt,ex Platonis scriptis non eliciunt.Hoc vnum tamen fateor,Platonem non postulasse vt ciuitas sit vna omnino numero, quemadmodum accepit Arist. in primo huius cap. argumento, sed potiùs vt sit vna in proportione & æqualitate rerum, vna in ratione & dignitate ciuium, vna denique in conspiratione vsuque virtutum. Verùm enimuerò vt vna sic fieret, duo pessima inuenit media, nempè communitatem rerum contra iustitiam, communitatem vxorum contra naturam; putauit enim tum maximè vnam fore ciuitatem,si omnia omnibus essent communia. Sed in hoc candor philosophi defecit, quòd aculeos istorum monstrorum, id est, euenta istarum communitatum penitùs non prospexerit: euenta sunt (vt posteà copiosè ostenditur)negligentia rerum,licentia morum, oscitantia ciuium,ruina ciuitatum, horribilis deniq; vxorum, liberorum, omniumq; in republica confusio ac perturbatio. Hinc enim lites,hinc iurgia,hinc clandestina consilia,hinc bella,tumultus, cædes, aliaque sexcenta mala,quibus veluti magnis terræ motibus fundamenta ciuitatum concutiuntur. Sed de his posteà, nunc ab vnitate ciuium ad vnitatem magistratus hîc accedit philosophus, & quamuis quodam accepta modo vnitas dissoluit ciuitatem, est tamen vnitas quæ conseruat, ea scilicet quę in oculata prudentia iusti & peruigilis magistratus cernitur. Verùm quoniam hoc loco non tam de vnitate quàm de perpetuitate & successione magistratuum differit Arist.opportunè certè mouebitur hæc quæstio,an perpetuus debeat esse magistratus?Per vices inquit philosophus est imperandum,parendum etiam per vicissitudinem. Siccinè?at quid hoc est per vices obsecro imperare?num annuos vt gerant magistratus sicut olim Romæ consules,ædiles,prætores &

Solutio.

Vnitas Platonica qualis?

Cõmunionis Platonicæ effecta mala.



& tribuni plebis? Num ita verti magistratus debent vt statis temporibus hi munus ineant,alij deponãt;hi inaugurentur,alij se abdicent? Scio equidem Græcis Aesymnetas,Romanis dictatores opere confecto,exacto tempore fasces sui imperij abiecisse:hęc tamẽ nõ cõuincunt, quin in placato reipublicę statu magistratus perpetui esse possint.Itanè?vbi tũ spes agricolarum? vbi præmium virtutis? vbi honoris participatio? quorsum munera dignitatis in ciuitate sunt,si vni perpetuò,& non vicissim singulis distribuantur? imperandum ergò est & imperandum singulis,sed non nisi ad tẽpus,non nisi per vices imperandum.Siccine agis?An quod canit poeta,

*Omnia fert ætas animum quoque* -------

ei concinit hoc loco philosophus, Sua est vt corpori sic mẽti senectus?an magistratus qui sunt animi ciuitatis,ortũ & interitũ,infantiã & senectutem habent?estnè in mente ętas?in sapientia cõsulari tempus?est quidẽ.Vis ergo per vices susceptos geri magistratus?volo,at muscas iam diu satiatas depelli; locũ vt cedant recentibus quæ aduolant famelicæ,haud scio an equus magis scabie laborans optet, quàm Sicilia à Verre expilata ferat. Sed ista tua vicissitudo & alternatio nouos culices acrius mordẽtes ad cadauera oppressorũ ciuiũ aduolare quadã authoritate iubet:cõsultius ergo est & tutius reip. vt Cęsar perpetuã dictaturã gerat,quã vt Sylla,Clodius aut alij rapaces vultures alternatim succedant,qui diffidẽtes tempori,tẽporis quasi falce ciues iam laborantes vulnerãt.Quãobrẽ ne saturis famelici in aurea messe ciuitatis, nè expertis rudes & imperiti,ne iustis & sapiẽtibus viris carnifices & sutores in senatu & magistratu surrogentur,plurimùm à multis magistratuũ ęternitas cõmendatur.Verũ vt hæc omnia apertiora fiant, distinguamus (si placet)magistratũ in Regiũ,Senatoriũ,& communẽ.Regius esse debet perpetuus nè fiat seditio:Senatorius quoque continuus, sed pro voluntate regis: Communis verò sępè mutari debet,vt reliquis ciuibus via ad honorẽ pateat.De maiestate regia & consulari dignitate posteà disputabitur,nunc solũ de cõmuni agitur. Communem autem appello,vt in pace vrbis præfecturam, in tumultuosa

Martis tempestate dictaturã. Hunc magistratum tempore & loco definire & circumscribere spes ciuium, ordo ciuitatis, consuetudo maiorum, iustitia ipsa suadent. Spes ciuium, qui stimulis honoris ad virtutis studium alacriùs incitãtur: Ordo ciuitatis, qui hoc postulat & pręscribit, vt ciues consilij & magistratus pro merito virtutis participes fiant: Consuetudo maiorũ, qui à rastro ad senatum, à cespite ad sõlium dignitatis plurimos euehere ac promouere solebant: Iustitia, quæ ideo lances reip. tenet, vt dignitates ciuitatis nõ vni perpetuas, sed singulis promeritas distribuat ac partiatur: quod certè fieri non potest, si omnes magistratus perpetui creentur.

Distinctio quęstionis.

Vnio Platonica magis dissoluit quàm cõseruat ciuitatem, propter
- Destructionem multitudinis, multitudinem enim ciuitatis ad vnam domum vnumq; hominem tandem deducit.
- Confusionem ordinis, omnem enim rationem dignitatis omnemq; officiorum varietatem & distinctionem tollit.
- Perturbationem administrationis, quippè omnem parendi & imperandi spem & vicissitudinem delet.
- Corruptionem perfectionis, quippè finem ciuitatis, quæ est affluentia bonorum omnium, penitus subuertit.

A forma. Opp. *Forma rei rem ipsam non tollit: sed vnio ciuiũ est forma ciuitatis: ergò vnio ciuium non tollit ciuitatẽ. Propositio est perspicua, quia forma rei est eiusdẽ perfectio. Assumptio est Arist. in primo lib. vbi definitur ciuitas numerosa hominum vnita legibus multitudo.*

Resp.

Plat. pol. lib. 1. 2. & 6. de legib. Arist. eth lib. 5. cap. 3. 4. 5.

*Vnio est duplex, vel*

- *Rerum, eadémque vel*
  - *Arithmetica, vt omnia omnibus sint æqualia, & hæc in nullo statu reipub. est toleranda.*
  - *Geometrica, vt bona ciuitatis pro merito virtutis distribuantur, & sic vnio rerum est approbanda.*
- *Personarum, eademq; vel in*
  - *Communitate possessionis sine vlla mei tuiq; distinctione, & hæc non est forma sed lues ciuitatis.*
  - *AEquitate rectæ rationis, & hæc vnio ciuium forma ciuitatis dicitur.*

Ab effecto. Plato 3. de legibus. Plato 6. de legibus. Opp. *Perfecta & fidelis amicitia maximè in ciuitate est optanda: sed vnio ciuium, vt Plato intellexit, perfectam & fidelem amicitiam parit: ergo vnio Platonica in ciuitate est maximè optanda.*

*Minor*



*Minor probatur, quia vnio Platonica est vt ciuitas sit maximè vna, vtq; omnes ciues sint vnus homo non aliter quàm amicus est alter ego.* Plato. in sympos.

Resp. *Rara fides inter duos, rarissima inter multos. Fateor equidẽ eò spectasse Platonem, vt quàm maximè ciuitatem vnam in consensu virtutis efficeret, sed parùm attentè hoc vnum animaduertit, vnitatem virtutis cum communitate rerum simul non posse cohabitare. Communitas enim non charitatem sed discordiam, non animorum consensum sed odium capitale nutrit.* Arist. pol. 2. cap. 2. & 3.

Opp. *Beata est ciuitas maximè in fine: sed finis ciuitatis est vnus; ergò beata est ciuitas maximè cum sit vna; quo concesso, sequitur veram esse opinionem Platonis, quòd beatissima dicatur ciuitas, quæ maximè vna in suo fine efficitur.* A fine.

Resp. *Non vnitas sed dignitas finis beatam ciuitatem efficit: non ergò dicitur beata ciuitas quia vna sed quia perfecta est in suo fine; nam vna est si constitutionem, beata si perfectionem spectes.*

Opp. *Natura omnia quasi vnum in ciuitate fecit: ergo ratio neget. Antecedens probatur, quia natura nec meum nec tuum genuit, res quidem dedit, sed res in meas & tuas non distinxit, ex quo sequitur beatam esse ciuitatem quæ in communitate rerum maxime vna redditur, quæq; istam distinctionem non audit, hoc meum est, hoc tuum est.* Ab efficiente. Vide ca. 2.

Resp. *Natura omnia quasi vnum in ciuitate fecit quoad vsum rationis, quam etiam homini tandem concessit. Quod ergò rationis (quæ à naturâ est) lumine & imperio fiat, id contra naturam fieri non putamus. Res ergò natura dedit, res etiam meas & tuas dedit: nam quamuis communis natura res non diuisit, hominis tamen natura, quæ est ratio, sic distinxit, idq; recta ratio ex illa nata lege approbauit.*

Opp. *Bonum vnius hominis & ciuitatis est idem: sed bonum vnius hominis est vt sit maximè vnus: ergo bonum ciuitatis est vt sit maximè vna. Maior est Arist. 1. lib. Ethicorum. Minor est in lib. de historia animalium. Ratio additur, quia bonum cuiusq; rei naturalis est vnitas formæ, quæ rem ipsam perficit.* A fine. Cap. 2.

Resp. *Bonum vnius hominis & ciuitatis idem est in essentiâ boni, non autem in existentiâ eiusdem. Vbi verò dici-*

*tur quod hominis bonum sit vt maximè vnus existat in habitu naturæ. Respondeo non indè sequi vt ciuitas sit maximè vna in ratione existentiæ suæ, nam perfectio hominis ab vnitate, perfectio ciuitatis à distinctione & varietate pendet.*

Ab adiuncto. Lib.5.Cap.4. Plat.polit 6.

Opp. *Plato in vnitate quæreb vt æqualitatem (vt patet in textu) sed æqualitas ciuitates tuetur & conseruat, vt in Ethicis docuit: ergò vnitas potiùs conseruat quam dissoluit ciuitates.*

Æqualitas Arithmetica, Geometrica.

Resp. *Æqualitas accipitur bifariam, vel arithmeticè, vt omnes ciues sint fortunâ & dignitate pares, & sic dominus à seruo non differt: vel geometricè, vt sit mutua & reciproca rerũ ac dignitatum distributio, prout iustitia singulis præscribit, & hæc æqualitas conseruat (vt docet philosophus) ciuitates. Cæterùm non hanc sed illam æqualitatem diuinus Plato docuit.*

Distinctio 2. quæstionis, *An magistratus esse debeat perpetuus?*

Magistratus distinguitur in
- Regium, qui simpliciter perpetuus esse debet.
- Senatorium, qui comparatè perpetuus esse solet.
- Communem, qui mutari quidẽ debet, bonus etiamsi sit qui illum teneat; Rationes antè apertæ sunt: illas igitur libentiùs prætermitto.

Opp. *Omnis mutatio in repub. est periculosa: ergò magistratus mutari non debet. Antecedens est Arist. huius secundi sexto.*

Resp. *Mutatio est duplex, rerum & personarum: illa periculosa est, quia innouationẽ arguit: hæc verò salutaris quia seditionẽ tollit.*

Opp *Iniustum est virtuti præmium negare: ergò iniquum est homini virtute prædito magistratum, qui est virtutis quasi præmium, detrahere.*

Resp. *Prudẽtia quæ mens est ciuitatis, in hac alterna magistratuũ successione, bonũ nõ priuatũ respicit sed publicũ. Fieri enim nõ potest sine ciuiũ iniuria, vnus vt sæpe sedeat ad gubernacula, cui pares subindè sententiã exhauriãt. Sed vt illi de vigilibus in bello, sic mihi de magistratibus in pace profari liceat,* Succedãt, seruentq; vices. Virg. Æneid 9.

## Dubium capitis.

*An vnitas ordinis conseruet ciuitatem?*

Omnia vnum. MYsterium illud philosophiæ admiror, quòd omnia sint vnum. Præclarè philosophus, ens (inquit) vnũ & bonũ cõuertuntur. Per ens rerũ multitudo, per vnũ ordo, per bonũ perfectio,



perfectio, à quibusdam rectè intelligitur. In vnum multitudo, in vnum ordo, in vnum rerum perfectio tendit; in vnum dico, quia omnia sunt vnum; omnia sunt vnum dico, quia omnes rerum omnium essentiæ in prima causâ vt infinitæ lineæ in vno puncto vniuntur: hoc vnum bonum est ensque perpetuum & incommutabile, à quo omnia & esse & bene esse habent. Hæc tria, multitudo, ordo, perfectio, ciuitatem absoluunt, nam in multitudine materia, in ordine forma, in perfectione finis ciuitatis cernitur. Est ergò ciuitas plurimorum hominum beata vnitas. Sed attende, hæc vnitas est ordinis non confusionis, est virtutis non communitatis, hæc vnitas principium & finis est multitudinis, causa & perfectio ciuitatis. Qui igitur in ciuitate hanc vnitatem violat, ense feriendus est, ne vel alios exemplo lædat, vel totam ciuitatem in discrimen trahat. Ciues enim vnum locum, vnum forum, vnam vocem, vnamq; mentem habentes, vna multitudo multorumq; vnitas dici possunt; hoc autem tum fiet, cum in media ciuitate templum pacis & vnitatis extruatur, vt omnes in vnum conspirantes ex multis quasi vnus fiat. Studendum est ergò vnitati, studendum ordini, non vt omnes omnia, sed vt singuli dextrâ iustitiæ sibi data & concessa teneãt.

Vnitas multiplex.

Ciuitas vt vna sit.

Apostrophe ad iustam querelam. Cic. ad Att. li. 7. epist. 14. Macch. princ. cap. 20.

At proh dolor, vbi est in istâ decrepitâ ætate & canitie mundi hoc templum pacis? vbi hoc studium vnitatis? arma, arma delirans mundus clamat, templum pacis diruitur, templum Martis colitur; sancta hęc vox olim fuit, Iniquissima pax iustissimo bello est anteferenda. Nunc illa placet alenda est factio vt cautiùs ab hoste viuas. O monstrum hominũ Machiauelle, qui ex ouis à Nerone, Caligulâ, Commodo & Seuero partis tot sis enixus scorpiones, tot Basiliscos, qui ita mordẽt, ita pungunt, ita inficiunt, vulnerantq; animos multorũ hodie vt ab omni vnitate, ordine, pace, religione distracti sine fide, sine Christo, sine Deo viuant: vides in tartaro sepultus, vides nunc miser, quæ euenta execrãda tua pseudopolitia habeat, quas tragędias moueat, quos luctus vbiq; fecerit. Vtinã sanè aut natus non fuisses, aut ista tua politica in multarum ciuitatum ruinã non edidisses. Cauete reges, cauete ciues, ciuitas

non sit vnitas, politia non est si nõ sit veritas, zelotypia principum inter subditos vnitatem, subditorum timor in principes omnem fidem & veritatem dirimit. Vetus est illud, Qui vadit planè vadit sanè. Cõcordia & perfidia, vnitas & dissentio, ordo & seditio, fides & dissimulatio vnà cohabitare nequeunt. Concordia enim, vnitas, ordo, fides ciuitatem ponunt. Perfidia, dissensio, seditio, dissimulatio tollunt.

## Distinctio dubij.

Vnitas ordinis est, vel ex
- Præscripto naturæ, vt id solum agas alteri quod tibi fieri velis.
- Præcepto iustitiæ, vt obedias
  - Magistratibus,
  - Legibus,
  - Institutis maiorum,

  } In quibus tutela ciuitatis consistit.

A testimonio. Opp. *Probatum est anteà quòd vnitas magis dissoluat quàm cõseruet ciuitatem: ergò malè hîc defenditur quòd conseruet.*

Resp. *Illic vnitas Platonica in communitate rerum, hîc vnitas verè politica in ordine personarũ circa obiecta ciuitatis intelligitur: illa conuellit & labefactat, hæc defendit & conseruat ciuitatem.*

Abeffecto. Opp. *Vnitas ordinis in ciuitate est, vt omnes ciues quasi vnus fiant; sed hoc fieri non potest: ergo vnitas ordinis non est optãda. Maior constat, quia vnitas ordinis nihil aliud est quàm connexio ciuium in studio pacis. Minor probatur, quia ex multis vnũ fieri est effectus veræ amicitiæ, quæ non inter multos, sed inter paucos tantùm consistit.*

Amicitia
Habitus charitatis,
Affectus voluntatis.

Resp. *Vera amicitia sumitur bifariam, vel pro habitu charitatis inter paucos, vel pro affectu voluntatis inter multos: hæc in ciuitate plurimos quasi vnum consensu facit, illa morum studiorúmque similitudinem inter paucos gignit; hæc nempè in affectu voluntatis consistens debito ordine ciues coniungit, eosdemq; legibus institutisq; seniorum obtemperare docet, in hac vnitas illa est, sine quâ non posse conseruari ciuitatem demonstrauimus.*

A disparatis. Opp. *Viuere ex voto maximèq; ex sententia animi non est semper viuere in vnitate ordinis: sed in optima ciuitate homines deberent viuere ex voto maximèque ex sententia animi: ergo non semper in vnitate ordinis. Quo dato, sequitur quòd vnitas ordinis non semper conseruet ciuitatẽ. Maior probatur, quia ex voto animi viuere non*



*non est legibus astringi, non est dominis mancipari, non est institutis maiorum subijci, sed liberè pro arbitrio viuere. Minor est Arist. in fronte huius capitis.*

Resp. *Viuere ex voto bonis est secundum legem ordinémque viuere. Nam lex & magistratus libertatem non tollunt, solùm licentiam negant. Cùm ergo ciuitas ex bonis constaret, nihil impedit quo minus ex voto ciues in illa viuant. Ratio est, quia legibus ac institutis maiorum sponte, scienter ac constanter obtemperant, eademque studiosè agunt, vt ciuitatem in ordinis vnitate, & vnitatem ordinis in ciuitate habeant.*

## CAP. II.

*An vxores & liberi debeant esse communes?*
*An nuptialis coniunctio viri & fœminæ, adeoq; distincta cura habendæ sobolis sit ex iure naturali?*

PAMPHILI istorum temporum aureum illud proculdubio putarent seculum, in quo prout fax veneris accendit, sibi Baccho plenis & distentis cum quauis Glycerio volutare liceret. Dulcis profectò malorum esca est ista rerum vxorumque communitas, sub qua hamus venenatus latet; corrupta hæc ætas est, vitaq; humana hac leprâ infecta nimis. Nã quæ virgo intacta? Quæ vxor intentata? Quæ Vesta intemerata viuit? Quis votum vnitatis? Quis castitatis thorum? quis gradum sanguinis aut affinitatis respicit? Licet quod libet; trahit sua quemque voluptas. Alij vxores non ducunt, sed libidine lapsi in quamlibet sine modo feruntur: alij ducũt, sed tædio vnitatis veluti læsi, communitati Platonis student. Attamen si fides, quâ nos imbuti vnam vni dedisse & coniunxisse deum credimus, non persuadeat; audiamus rationẽ quâ impulsi fateamur, nec non faciamus illud quod prima ac vera philosophia docuit.

Communio dulce malum?

Communionis pestes.

Virg. Æglog. 2.

Postquã philosophus vnitatem Platonis non prodesse sed plurimùm

Summa capitis. 2.

plurimùm obesse ciuitati ostendit; nunc communitatem eiusdem, vt pernicioſam radicem multorum malorum, euellere & extirpare cõtendit. Cæterùm in principio huius capitis paralogiſmum Platonis ab æquiuoco ductum de maxima vnitate ciuitatis refellit, antequã ad cõmunitatẽ vxorum refutandã venit. Dicebat enim Plato redactà ciuitate ad vnitatẽ in cõmunitate omniũ omnes cõtentiones, lites, ſeditioniſq; flãmulas euaneſcere. Rationẽ addit, quia tum (vt ait) omnes dicere quidẽ poſſunt, hoc eſt meũ, nemo reſpõderet, hoc nõ eſt tuũ. Fallacẽ hanc ratiocinationẽ eſſe narrat Ariſt. in hac voce (Omnes.) quæ aut diuiſim ſeu ſigillatim, aut collectim ſeu vniuerſim ſumi poteſt: ſi diuiſim vt omnes id eſt ſinguli dicerẽt, hoc eſt meũ, tum quidẽ fælicitèr ſuccederet Platonis ſententia: ſed hoc fieri nequaquã poteſt, vt vnuſquiſq; dicat de re cõmuni, hoc eſt meũ, cum potius diceret hoc eſt noſtrũ. Quippè quod publicum eſt, multitudinẽ ac cõmunitatẽ, non diſtinctionẽ ac proprietatem reſpicit. Hoc quidẽ demõſtrat exemplo trium vnitatũ hinc, triũ illinc poſitarum, de quibus collectim ſũptis licet dicere hæ ſunt pares, de quibus diuiſim ſumptis ſic dicere nõ licet. Concludit ergo bonũ eſſe ciuitati ſi omnes id eſt ſinguli dicerent, hoc eſt meum: ſed vt iam docuit hoc nullo modo nullaué ratione fieri quidẽ poteſt. Nam communitas, quã Plato voluit, has voces (meũ & tuũ) in portas ciuitatis admitti nõ patietur. Refutatis itaq; tãdem litigioſo hoc argumento, vires & arma in arcem Platonis cõuertit philoſophus, ipſũq; crebris veluti rationis ictibus vel potius fulminibus concutit & demolitur. Sed ne inanior videatur hæc de cõmunitate vxorum diſceptatio: videamus quid demum id ſit, quod Plato de hac re ſuaſerit. Libro 5. de repub. cuſtodibus ciuitatis hoc eſt militibus & magiſtratibus cõmunes vxores eſſe ſtatuit, virgines ad xx. annum in numerũ ſpõſarũ, viros circa xxx ad liberũ fęminę amplexum admitti iuſſit. Grauidas publico loco ſeruari, publico ſumptu ali, earũ filios pro liberis reipu. haberi, ſuis matribus ereptos publicè educari voluit, ſe inuicẽ pro fratribus, maiores natu pro parẽtibus agnoſcere ſine vllo diſcrimine ac diſtinctione præcepit.

Plat. 5. Polit. & in initio Timæi.

Vid. cap. 3. ad finem.

Et in Timæo. Platonis inſtituta de communitate.



pit. Deus bone, quæ iſta eſt politia? Quę conſtitutio ciuitatis? Quę cõfuſio omniũ? Quò tendit cerebroſa curioſitas humana? Quò vadit curioſa mortalium ſapientia luce diuinâ deſtituta? In hoc errauit Socrates quamuis Apollinis oraculo iudicatus ſapiens, in hoc ſomniauit Plato quamuis nomine diuinus fuerit. Sed videamus malleos quibus hanc hęreſim contundit philoſophus. Prima ratio quâ vtitur ſic habet. Lex illa pernicioſa haberi debet quæ curam vxorum & liberorum tollit: ſed lex Platonis id facit: ergò lex Platonis eſt pernicioſa. Negas maiorem? Si ex animo neges, omni profectò belluâ immanior & truculentior mihi eſſe videris. Nam lex naturæ omni animanti hoc primum indidit & mandauit, vt curam ſingularem ex ſe natorum gereret, quam certè non ſine periculo vitæ ſępè (docente experientiâ) habet: vt in Pelicano conſtat, qui ſuo ipſius roſtro effoſſo pectore pullos ſuo ipſius effuſo ſanguine nutrire dicitur: at ſi exiſtant communes vxores communeſque liberi, vbi erit tenera & ſingularis hæc cura? Vbi mollis ardenſque parentum in filios affectio? Vbi lachrymæ? Vbi oſcula? Vbi amplexus? Vbi præcordia? Quis non videt communia negligi, ſolumque curari propria? Communitas negligentiam, proprietas diligentiam & amorem gignit. Vera ergò eſt aſſumptio huius rationis, nempè quòd lex Platonis omnem curã liberorum tollat. Hoc etiam probat exemplo multorum ſeruorum, qui negligentiùs ſępè negotia tractant, & ex incertitudine eorum qui procreantur. vt in textu dilucidè apparet. Altera ratio ſic ſe habet. Lex illa eſt deteſtanda, quæ gradus ſanguinis & propinquitatis tollit: ſed idipſum lex Platonis facit: ergò lex Platonis eſt deteſtanda. Propoſitio firma eſt, nam à natura ipſa fundamenta petit, natura enim ad maiorem efficiendam charitatem diſtincta conſanguinitatis vincula, lineas, graduſque dedit. Quippè, conſanguinitas eſt naturalis quædam ab eadem ſtirpe multorum connexio. Stirps eſt naturalis radix affinitatis. Linea eſt naturalis collatio perſonarum ſanguinis vinculo coniunctarum. Gradus eſt naturalis diſtantia, quâ tandem quota ſit propinquorum generatio certiſſimè

Tollit curam liberorum, ergo mala.

Pelicanus ſuo ſanguine pullos alit.

Communia negliguntur, ergo cura tollitur.

Tollit gradus propinquitatis, ergo mala.

Quid conſanguinitas, ſtirps linea, gradus.

mè intelligatur. In omnibus his definitionibus hãc vocẽ Natura ingeminari vides. Cõsanguinitas à natura, stirps à natura, linea à natura, gradus omnisq; affinitatis distinctio à natura ducitur. Quàm ingratus ergò & iniustus naturæ filius habendus est Plato, qui lege cõmunitatis suæ naturæ certitudinẽ in cõfusionẽ, sanguinis distinctas lineas in vanitatis gyros commutauit; quibus huc & illuc quasi vertiginis procellâ agitati ciues nescirent an eundẽ fratrẽ aut filium, an eundẽ patruelẽ aut cõsobrinũ nominent? quę est cõfusio si hęc non sit? Atplaceret (credo) hęc cõfusio, illa modò obtineat cõmunio: nec refert cuius sit, modò sit: nec interest an patruelis, an nepos, an filius ametur, modò pro filio, nepote, patruele amẽtur omnes. Siccine eludis Plato? At sic non euades. Tertium est quo confodiare telũ Quid? An quisq; vt suos amabit omnes? quî quęso ex omnibus agnorit suos? at vt ille prudentem filium qui in suis cuiusq; nuptijs suũ & certũ sibi patrem legerit, sic patrẽ existimes sapientem qui in ista vxorum cõmunione suũ sibi vendicarit filiũ. At & apud Garamantas & apud Lybas superiores vxorum est (tu quam cupis) cõmunio, & liberorum ex forma (nos quam obijcimus) electio: Hinc Andromacha, *---hos vultus meus Habebat Hector, talis incessu fuit, Habituq; talis; sic tulit fortes manus, Sic celsus humeris fronte sic toruâ minax.* Taceo Antiochi nepotes & filios anchoram in fęmore gestantes, taceo Thibios qui geminam pupillam vno habuerunt oculo equi effigiem altero. Equa illa Pharsalica quæ filios patribus edendo persimiles cognomen iustę meruit, quid docet, nisi id quòd poeta canit;

*Redit ad authores genus, Generosa in ortus semina exurgunt suos?*

Vna fortè post multa (si placet) secula Persina Aethiops albam peperit Caricliam. At opus erat, vt ne quid dicã grauius, ad opus illud imaginatione fortiore quàm quæ in fæminæ constantiam (non dico, potest, id dico) solet cadere. Quòd si liberi parentum sint anima, vt Euripides; non modò imagines aut vita quasi altera, vt alij senserunt; tu Plato argue: Communes sunt, vt ergò proprij? Nos contrà, ex vultu cognoscentur proprij. Dic ergò quomodo

Pomponius Mela.

Seneca in Troad. Iustin. Plin.

Senec. in Hip. Senec. in Troad. Heliodorus.



modo sunt communes liberi? Quarta ratio ab euentis hoc modo ducitur. Lex illa est periculosa cuius occasione contentiones, vulnera & cedes inter consanguineos & affines nascuntur, sed occasione legis Platonicæ talia oriuntur: ergò lex Platonis est periculosa. De maiore nemo dubitare debet, nam leges ad pacem & quietem ciuitatis, non ad seditionem & motum tenderent. Minor probatur in textu, quia frequentiùs hęc mala euenire solent vbi ignorantur, quàm vbi sciuntur & distinguuntur liberi. Cęterùm in ista communitate & confusione nemo pro certo cognosceret suum, sequetur ergò contentio, exardescet inuidia. Quinta ratio hęc est. Lex illa est omnium iniustissima quę patres cum filiabus, filios cum matribus, fratres cum sororibus coire permittit: sed lex Platonis hęc permittit: ergò lex Platonis est iniustissima. At dices, Plato horribilem hunc incestum & immane piaculum prohibere videtur: opportunè mones. Sed quare id faciat, ostende causam, quia ex tali coitu vehementissima voluptas existit, turpissima diceres, non ergò idcircò duntaxat amplexus cognatorum euitandos esse docebat, quòd nefas esset patrem cum filia, fratrem cum sorore, filium cum matre volutare: sed quòd ex tali venere in effræna libido & concupiscentia fluat. Libidinosum enim amorem (qui nihil honestatis habet) illis concedit, concubitum tamen nimis frigidè & diffidenter negat. O quàm indigna Philosopho sunt hęc phantasmata, quàm vana humanę curiositatis deliramenta? Sexta ratio est quòd lex illa sit abolenda quę omnem metum & reuerentiam magistratus tollit: sed id efficit lex Platonis: ergò lex Platonis est abolenda. Maior constat quia vinculũ pacis est ordo & subiectio multitudinis. Assumptio probatur, quia positâ communitate vxorum & liberorum fęx populi intumescet, languescet authoritas, tota maiestas ciuitatis cadet: quippè agricolæ, artifices, omnesq; infimæ conditionis homines hac datâ licentiâ morum iugum authoritatis non ferent, debitã reuerentiam magistratibus non soluent: omnẽ amicitiam ciuitatis quæ in officiosa obedientia constat omninò conscindent & extermina bunt.

Hinc propinquorum sæpe cædes, ergo mala.

Amor propinquorum turpis, non solùm cõcubitus, ergo malè admittitur.

Pietas geminato crescit amore, Myrrha apud Ouid.

Tollit reuerentiam: ergo mala.

Sapi-

Sapientèr Seneca. Propensa erit multitudo ad seditionem, si voluptatis laxentur habenæ. Ratio est, si plebi plus liceat quàm par est, plus vult quàm licet. Interest ergò prudentis ac iusti magistratus coercere libidinem populi; ne occasione mali rebus nouis studeat, authoritatem contemnat, aliquid sinistri in rempub. concipiat & moliatur. Septima ratio probat quòd longè alitèr contingat ciuitati ex positione istius legis quàm Plato optabat, is enim sanctâ hac lege communitatis concordiam mutuamque animorum consensionem quærebat, vt perspicuum est vbi Aristophanem introducit docentem maximè in ciuitate optandam esse amicitiam, quæ ex multis veluti vnum facit. Sed si accuratiùs rem tecum consideres, planè contrarium euenit, causa est quoniam in turpi ista sentinâ communitatis vera amicitia suffocatur, quò enim in plures dispergitur amor, eò magis diminuitur amicitiæ ardor: at secundum legem Platonis, nemo potest certè dicere, hic meus est pater, hic meus filius, ille meus amicus. Vetus est illud, Qui vbique est, nusquam est. Similitèr hoc verum, Qui omnes habet amicos, nullos habet. Pulchrè igitur Arist. hanc amicitiam Socratis & Platonis aquosam nominat: aquosam, aut quia fluit nimis, aut quia frigida cum sit, citò extinguitur. Nam vt parum mellis in multum aquæ infusum, mellis gustum non habet: ita vnius amor in infinitos dispersus, amicitiæ nomen non meretur. Vnita vis fortis semper, dispersa languet. Postrema ratio huius cap. est de mutua genitorum in repub. tutelâ ac educatione. Statuit enim Plato vt custodum filij agricolis, & agricolarum liberi custodibus ciuitatis traderentur. Hoc iussit ille quidèm, sed viam quâ hoc ipsum fieret, omninò non inuenit. Per custodes ciuitatis, magistratum & militem; per agricolam, plebem & turbam populi intellexit; magistratus sceptro & consilio, militis ferro & auxilio, opificis manu & negotio conseruari ciuitatem voluit: & in hoc rectè ac prudentèr fortassè quidèm fecit, sed quomodò imperium cum æqualitate rerum, senatus cum vxorum ac liberorum communitate cohæreat, nec describit Plato, nec intelligit Arist.

Communio tollit amicitiam, ergo mala.

Plato in sympos. & 3. de legibus.

Amor diffunditur, ergo minuitur.

A simili.

Amoris duo vincula, Proprium, Amabile.

Plato polit. 3. ad finem. & 4.

Educandi ratio Platonica refellitur.

Sed



Sed his omissis id maximè in calce huius cap. vrget philosophus, quòd ignotos filios ignotis parentibus tradi & cõmitti debere senserit; sic (inquit) rustici educabunt proceres, sic nobiles ad rastrum, sic Coridones ad regnum venient; sed quæ ista confusio? Quæ perturbatio omnium? Miror equidem quid te (ô Plato) ad istam ponendam sententiam impulerit? Tibi verò Socrates ignoscendũ esse puto, quia tonitru ac tẽpestate Xantippæ tuæ sæpè vulneratus, optaras fortasse omnem communem, aut nullam potius habere, quàm apud te rixosam retinere tuam. Date veniam sapientes viri si cum Philosopho ex scriptis vestris hanc mendam eximam; agnosco vos esse in Philosophia patriarchas, sed in hoc valdè periculosè somniasse puto. In duabus primis rationibus huius capitis probatum fuit legem Platonis esse incommodã, quoniam omnem curam liberorum tollit, omnemque gradum & nexum affinitatis soluit. Hinc secunda de qua nunc agimus, emergit quæstio. An nuptialis coniunctio viri & vxoris, adeoque priuata cura filiorum sit de iure naturali? Coniunctio maris & fœminæ est vt distinguunt philosophi duplex, vel communis, vel propria; illa animantis in genere, hęc hominis in specie dicitur; illa in primo libro à natura esse probatur, quippè appetitum acquirendi socium vitæ ac generandi sibi simile cuiuis animanti ingenerauit natura. Hæc quoque nuptialis inter virum & vxorem consociatio (quæ vulgò connubium vocatur) eandem matrem, eandem nutricem habet; nam si in ratione ac mente hominis natura consistat, absurdum est vt homo non alitèr quàm bellua pro omni motu libidinis ad communitatem rapiatur. Duce ergò naturâ homo vnitati vxoris, non communitati studet. Duce naturâ distinctam vitæ & amoris sociam non confusam & incertam quærit. Duce naturâ firmiorem cum vna quàm cum multis fidem & amicitiam tenet; hunc nodum natura strinxit, distringit nihil nisi scelus. O quàm longè absunt hodiè permulti ab hoc studio vnitatis, qui cum ethnicis plurimas vxores simul amplecti volunt, qui post diuortium (leuissimis sæpè de causis factum) nouas nuptias cogitant,

Ad secundam quæstionem transitio.

Coniunctio maris & fœminæ, Communis Animalium, Propria hominum.

Cap. 1.

Vtraque à natura.

Matrimonium à natura.

Pia querela.

tant, qui nihil considerantes affinitatis gradus, impura & incestuosa connubia faciunt, qui nullâ sorte contenti omne fœdus ac fidem violant, qui omnem virginem, omnem matronam, omnem (quod dictu horrendum est) sexum spumâ libidinis suę defœdare conantur. Nonnè hæc tendunt ad Platonis rempub.? Nonnè ad perniciem & confusionem omnium? Author naturæ vnam vni finxit ac dedit, at infirmitas naturæ diuortium peperit. Sed hæc obiter, vt vehiculum (in quo heu nimis multi ad Platonis & Socratis solatium feruntur) aut tardiùs moueatur, aut reuocetur tandem.

Cura liberorum.

Altera pars huius quæstionis est, vt probemus distinctam curâ habendam esse liberorum idq; à natura. Sed hîc distinctionẽ philosophorum video, quòd genitorũ alij sibi sufficiunt, alij auxilio & curâ parentum egent: horum iterùm alij curam matris solùm desiderant, vt quadrupedes: alij curam tàm paternam quàm maternam postulant, vt columbæ & homines; homines dico, quia natura in homine rationis compos est, & non solùm productionem prolis, sed etiam conseruationem & perfectionem intendit, quæ duo fieri non possunt commodè, si duo desint id est pater qui prouidentiâ, mater quæ indulgentiâ suos filios iuuet. Rectè Aristoteles in Ethicis docuit nos tria à parentibus habere, essentiam, nutrimentum, disciplinam, quæ tria vt in nobis perficiantur, longum tempus, magnam curam, nec non singularem prudentiam flagitant. Est ergò distincta habenda cura nobis genitorum, si ducem sequamur naturam. Contra naturam ergò docuerunt Socrates & Plato, qui communitatem vxorum ac liberorum ponentes, omnem definitam curam parentum sustulerunt.

## Distinctio primæ quæstionis.

*An communitas Platonica sit toleranda?*

Com-



Communitas vxorum ac liberorũ nõ est toleranda, quia est contra

- Naturã, quia
  1. Gradus consanguinitatis confundit.
  2. Ordinem naturæ peruertit, nexũq; naturalem viri cum fœmina dissoluit.
  3. Fœcunditatem impedit.
  4. Certitudinem filiorum curamq; parentum tollit.
- Iusticiã, quia
  1. Bonum ciuitatis, id est, concordiam & amicitiam dirimit.
  2. Reuerentiam magistratus detrahit.
  4. Rabidam concupiscentiam ac voluptatem nutrit.
  4. Vulnera, sedes & seditiones mouet.
  5. Contemptum omnis ordinis, æquitatis & dignitatis infert.
  6. Fœlicitatem totius ciuitatis, id est, actionem virtutis delet.

## Argumenta in primam quæstionem.

Ab efficiente.

Opp. *Ad quodcunque nos flectit & inclinat natura, id licitum & tolerandum est: sed ad communitatem vxorum & liberorum nos flectit & inclinat natura: ergò communitas vxorum & liberorum est licita & toleranda. Maior patet, quia natura ab agente diuino, qui falli non potest, regitur ac mouetur. Minor constat, quia in omnibus brutis animantibus hanc communitatem teneri videamus.*

Naturæ confusa, distincta.

Resp. *Natura animantis duplex est, confusa in genere, & distincta in specie: natura hominis distincta est rationis imperio subijcienda, quæ ratio propter infinita mala, quæ inde fluunt, nefandam istam communitatem censuit. Quarè etsi natura à diuino agente regitur, etsi in belluis (quæ ratione carent) promiscuè agitur, in homine tamen eâdem causâ distinctius mouente idipsum non permittitur.*

Ab effecto.

Opp. *Quicquid magis conseruat & auget humanam speciem est licitum in ciuitate: sed communitas vxorum magis quàm vnitas conseruat augetq; humanam speciem: ergò communitas vxorum est licita in ciuitate. Maior nota est, quia humana species in numerosa generatione ac fœcunditate liberorum conseruatur. Minor constat, quia posità communitate quilibet potest ex-*

*ex pluribus segetem reipub. progignere, quod quidem vni alligatus non potest efficere.*

Resp. *Fallax, vel potiùs falsum est fundamentum istius rationis, nam ex ista licentia communitatis potiùs sterilitas quàm fœcunditas oritur fœminarum. Rarò meretrices cuilibet prostitutæ vterum tumentem gerunt; ratio est, quia natura contrarietate læditur, nimiaq; venere langueſcit & vulneratur.*

Aristot. in problem.

Ab adiuncto. Hoc ipso Cap. & Plat. 3. de legibus.

Opp. *Amicitia teste Philosopho est quiddam optimum in ciuitate: sed ex communitate vxorum sequetur maxima amicitia: ergò communitas vxorum est permittenda. Minor probatur, quia tum omnes fœminas quasi suam vxorem, omnemq; filium quasi suum quispiam diligeret.*

Resp. *In Epicureismo non est amicitia, dispersus amor sibi non constat. Omnes fœminas diligere est planè nullam amare, vera amicitia fixa est & definita, nulliſq; seditionis scopulis allisa; at ista fluit & refluit, omniq; tempestati subiecta est. Sed de hoc argumento satis in expositione textus dicitur.*

Ab aduersis. Opp. *Appetitus concupiscibilis à natura infinitus est: ergò est contra naturam eiusdem vni obstringi & mancipari. Quo dato sequitur quòd potiùs communitas quàm proprietas vxorum secundũ naturam sit appetenda.*

Appetitus, Ratio. Resp. *Natura humana non solùm sensu & appetitu, sed ratione & intellectu constat: etsi ergò appetitus in quo habitat concupiscentia in multa voluptatis feratur obiecta, habenis tamen rationis (quæ naturam humanam complet) ad ordinem ac modũ reuocatur.*

A definitione, Opp. *Ciuitas communis omnium societas definitur: ergò communitas potiùs quàm proprietas eiusdem naturæ conuenire videtur. Præterea hominis affectio libera est, electio libera: iniustum ergò videtur vt vnius vxoris tædio quilibet defatigetur, vnius vinculo coerceatur.*

Communia possessione, consensu. Resp. *Ciuitas communis omnium societas definitur, non quòd omnia in ea deberent esse communia, sed quòd communis consensus rerum gerundarum secundùm leges in ea insit. Nam vt singulæ corporis humani partes suas proprias vires habent, quæ tamen omnes in vno homine putà Socrate consentiunt: ita singuli ciues de suo iure propria quædam in possessione tenent, qui tamen omnes in communi*



*muni bono ciuitatis inter se conspirant.*

Ab exemplo. Opp. *In Lybia superiore, vt est in textu, cõmunes sunt fœminæ: in Ægypto, vt narrat Sabel. sunt Adamitæ, qui religionem in communitate vxorum ponunt: apud Indos, vt historici nunc scribunt, nuptiæ non celebrantur: exempla ergò arguunt non naturam sed legem hanc proprietatem inuexisse.*

Resp. *Belluæ & barbari nihil contra quæstionem probant, eorum exempla non vrgent. Ad rationem ergo respondeo sexcenta barbarorum exempla non arguere communitatem vxorum inuectam esse à natura, sed potiùs illos penitus contra naturam viuere, qui rationem, ordinem, iustitiam deserentes immanitati & feritati student.*

## Distinctio secundæ quæstionis.

Nuptialis coniunctio viri & fœminæ, curaque filiorum singularis probari potest esse à natura, aut

- Præscripto insitę rationis, quæ hũc nexũ parit propter
  - Conseruationem hominis in specie.
  - Distinctionem prolis.
  - Obseruationem ordinis.
  - Augmentationem rei familiaris.
  - Perfectionem amoris & charitatis.
  - Propagationẽ sanguinis certæque posteritatis.
- Exemplo aliorum animantium, quæ impetum & instinctum solius naturæ sequuntur, vt turtures, columbæ, cygni, pelicani.

Causæ coniugij sex.

Ab adiuncto. Opp. *Natura per se libera est, ergò astringi & mancipari vni nõ est naturæ consentaneum. Antecedens probatur, quia natura est in re qualibet agens liberum & immune. His datis, sequitur quòd nuptialis coniunctio viri cum fœminâ non sit naturalis.*

Resp. *Natura per se in re qualibet libera & immunis dicitur, nõ quòd nulli omnino necessitati alligetur (agit enim necessariò) sed quòd in suis causis & effectis minimè impediatur. Cum ergò doceat Philosophus nuptiale fœdus esse à natura, naturam humanã intelligit, quæ ordinem in societate, rationem in ipso ordine & amore respicit.*

Ab efficiente, Opp. *Coniunctio nuptialis satietatem, satietas tædium, tædium discordiam & odium inter virum & vxorem gignit: ergò non videtur esse naturalis. Antecedens probatur, quia vt sensus*

*varietate obiectorum: ita animus multitudine delectabilium capitur: vnum ergò obiectum idemq; immutabile molestum est & tædiosum. Argumentum tenet, quia natura nunquàm in sui perniciem tendit.*

Natura hominis Sensibilis, Ratiocinatrix.

Resp. *In homine non solum naturam sensitricem sed ratiocinatricem considerandam esse docemus: illam enim belluis communem, hanc ex suo ipsius iure tenet. Insuper sensus varietate obiectorum sic delectari dicimus, vt vnusquisq; suum proprium obiectum habeat: ita ferri quidem possunt homines vi sensus in multa voluptatis obiecta, modo vnusquisq; suam ipsius vxorem teneat.*

A pari.

Opp. *Aristoteles in septimo Politicorum multis gradibus publicam curam & educationem puerorum priuatæ anteponit: ergò singularis & distincta cura non videtur esse naturalis. Ratio antecedentis est, quia in publica educatione ratio non affectio, intellectus non appetitus, virtus multorum in ciuitate non voluntas paucorum in familia regit & præscribit.*

Resp. *Fatendum est publicam educationem esse quidem laudatissimam, non tamen hinc sequitur quin priuata parentum in filios cura & affectio sit maximè naturalis: præsertim cum ipsa natura distenta vbera ad pascendum, singularem amoris instinctum ad amplectendum, priuatam multarum rerum possessionem ad locupletandum dederit.*

A fine.

Opp. *Natura ad optimum tendit: sed publica educatio est omnium optima, vt antea probatur: ergò ad publicam potius quàm ad priuatam educationem tendit natura.*

Resp. *Ad optima tendit natura sed per gradus, idq; eò tandem quòposset non vltra, priuatam ergò curam filiorum parentibus inseruit, publicam magistratibus ciuitatis reliquit; illa naturalis, hæc verò legalis & ciuilis dicitur.*

Ab effectis.

Opp. *Multæ olim extructæ academiæ, multa collegia, gymnasia, hospitia, publicæ non priuatæ educationis nobis tam monumenta quàm exempla relinquuntur: sed in his maiores nostri vestigia naturæ sequebantur: ergò publica etiam educatio est naturalis. Minor probatur, quia in his extruendis infinitæ posteritatis successioni (quod est naturæ proprium) studuerunt.*

Resp. *Studium maiorum nostrorum beatissimæ memoriæ laudibus*



*dibus satis celebrari non potest. O vtinam plures in hac decrepita ætate mundi, illorum exempla sequerentur. Sed rationi respondeo vt supra. Nam quamuis aliqua ex parte publica educatio concedatur esse naturalis, nõ inde tamen sequitur quin priuata magis naturalis ob causas à nobis superius recitatas habeatur.*

Educatio priuata, publica.

## Dubium.

*An multiplicatio vxorum politicè sit approbanda?*

Cum Socrate sermocinatio de bigamia

QVID? Nos rides Socrates? Cur alijs vxorum communitatem proponis, cum vna Xantippe tibi sufficerit? Dic sodès, non in votis tibi esset cycutam ter bibere, quàm primâ defunctâ aliam Xantippam ducere? Vetus est illud, Ictus piscator sapit, si non insaniat. Qui semel vmbram dentatam tetigit, verebitur vt opinor aliam sibi adiungere, ne vmbra in cacodæmonem transformetur: vtramque vmbram bigamia habet. Quid? Vnâ sepultâ aliam vxorem ducere minùs legitimum esse putas? Non sanè: licere hoc ipsum volo, laudare tamen non instituo. Verbis id negas Philosophe quod factis probas. Nam viduatam vxorem habes: at vnam. Quis tandèm bi-

Quis bigamus?

ganius? Qui simul aut duas tenet, aut aliam primâ extinctâ ducit. Primum id genus hominum pernicioſum quidem est, at cur alterum non laudas causas iam quero; referre te possum in hac re ad diuum Hieronymum, sed quoniam nimis seuerus pater in bigamiam extitit, illius authoritatem & argumenta taceo. At tua quæ sunt? Inter multa

Argumenta in secundas nuptias.

hæc tria, quorum primum à vinculo nuptialis tedæ, alterum à periculo noui fæderis, postremum ab exemplo libertatis vel potius licentiæ ducitur. Vinculum nuptiale non solùm corporis ad delectationem, quæ est momentanea, sed etiam mentis ad dilectionem, quæ perpetua, esse debet. Quare tametsi coniux in puluerem reuertatur, vinculum mutuæ dilectionis indissolubile manet: si ergò in hoc nexu

tuam turturem dilexeris, dissoluto corpore mentis fœdus retineres. De periculo noui fœderis ac societatis quid dicam? Nam quis nouercas iniustas ac malicioſas esse non agnoscet? Quis non fatebitur? Propago enim (vt ait Seneca) primæ vxoris tum tandem corrumpitur, cum secundæ nuptiæ celebrantur. Postremò exemplum effusæ voluptatis ista nuptiarum ingeminatio habet; nam quo termino humana tenetur voluptas, si tot nouas ducendi fœminas concedatur libertas? Præterea quæ pugna est rationis cum appetitu? Quę victoria cupiditatis si sitem & ardorem voluptatis nouis facibus nuptiarum accendas? Postremò cur à politicis virgines & viduæ præferuntur nuptis? Cur tantis præmijs à legumlatoribus cumulantur, si tot quot velis vxores ducere haberetur laudabile? Sunt ergò bigamia & Polygamia res quidem licitæ, minùs laudatæ tamen: nam affectum patrem; matrem infirmitatem habent.

Periculum noui fœderis.

Exemplum effusæ voluptatis.

Laus viduitatis.

## Distinctio dubij.

- Bigamia duarum simul, Secundæ post priorem.
  - Bigamia sumitur, aut pro coniunctione
    - Viri ad duas vxores simul, & sic est intolerabilis.
    - Viri cum vidua, quæ licèt sit vna numero, naturâ tamen ingeminati contractus duarum vxorum loco habetur, & hæc est legitima.
  - Bigamia sumitur, aut pro coniunctione
    - Viri ad duas vxores successiuè, & hæc est minùs laudabilis propter
      - Vinculũ vniræ dilectionis, quæ in mente perpetuò resideret.
      - Periculum contentionis, quia nouerca infesta & iniusta est prioris vxoris liberis.
      - Exemplum effusæ voluptatis, quia concupiscentia potiùs in vnâ quàm in pluribus reprimitur.
      - Præmium quo hic status viduarum nuptiali à quibusdam anteponitur.

Ab authoritate.

Opp. *Quicquid licitum est in bene instituta ciuitate, laudabile quoque est: sed licitum est plures vxores vicissim ducere: ergò est etiam laudabile. Maior probatur, quia quod licitum est fundamentum ipsam iustitiam habet, quæ est omnium virtutum laudatissima.*

Resp.



Resp. *Omnia licita semper non conueniunt. Respondeo ergò quòd licita aut æquitatem per se, aut infirmitatẽ humanam vt sui causam spectent; primo modo accepta verè laudabilia sunt, quia vi sua pro fundamento iustitiam habent: secundo verò modo accepta, sunt minus laudabilia, quia potiùs permitti quàm præscribi, tolerari quàm laudari videntur, & sic vsura, sic polygamia.*

Licita ex Æquitate, Infirmitate.

Opp. *Quicquid iustè ac legittimè magis auget & conseruat ciuitatem est magis laudabile quam quod minùs auget & conseruat: sed bigamia seu successiua multiplicatio vxorum iustè & legitimè magis auget & conseruat ciuitatem quàm vnius cum vnâ copulatio: ergo bigamia seu successiua multiplicatio vxorum est magis laudabilis. Minor probatur, quia legitima successio vxorum maiorem ciuium multitudinem reipub. pollicetur & præstat.*

Ab effecto.

Resp. *Id in hoc argumento pro concesso ponitur: quod non est semper & absolutè verum, nempè multiplicationem vxorum fœcundiorem ciuitatem reddere: imò multiplicatio vxorum potius sterilitatem, quàm fœcunditatem, vt anteà probatum est contra Platonem, parit; non ergò magis auget & conseruat rempub. bigamia quàm vnius viri cum vna vxore perpetua copulatio, & per consequens non est magis laudabilis, vt procedens ratio à falso fundamento orta, videtur probasse.*

## CAP. III.

*An rerum ac possessionum communitas sit legitima?*

MVLTI hodiè vxorum, sed pauci rerum cõmunitati studeant; illos luxuria, hos siticuloſa auaritia fascinasse videtur. Quot istis temporibus (pròh dolor) sunt passim, & vbique vultures, quorum vnguibus nulla præda (quantumuis sit illa ampla & opima) sufficit? O stulti dum aureos mõtes ac mũdos somniatis, mortis spiculis confossi relinquetis omnia. Voluerunt Socrates & Plato omnia omnibus esse communia, hoc vobis displicet; vo-

Plato. polit. 3. & 7 de leg. 5. & in Timæo.

Fũdorum possessio propria, fructus communis.

luit Pythagoras onera laboresque ciuitatis humeris paucorum exantlari, vos verò diuites fructibus illorum laboribus partis saginari, hæc vobis (vt opinor) arridet sententia. Sed audite, vult hîc Aristoteles fundos vestros & agros seorsim possideri, fructus autem in vsum publicum efferri; dura est hæc opinio fortasse dicitis, nam insatiabilis est vestra venandi & aucupandi cupiditas. Cæterùm hoc loco non quid ambitio, sed quid ratio & Philosophia suadeat quærimus.

Possessionum natura, vsus.

In rebus possessis, de quibus hoc loco agimus, duo considerari debent, natura & vsus: natura, & sic diuinæ subijciuntur potestati, cui ad nutum obsequuntur omnia: vsus, & sic homo rerum externarum naturale dominium ac possessionem habet. Hinc aliud est res considerare, vt agros, vineas, pecudes; aliud vsum ac fructum rerum, vtputa granum, vinum, oleum, & similia; vnde si sit communitas talium, aut res ipsæ (vt ait) erunt communes & fructus diuidentur; aut possessiones erunt propriæ, fructus autem in communi ciuitatis vsu: vel denique vtrumque commune tam res quàm fructus, vt Socrates & Plato voluerunt. Dicebant enim illi, si nihil esset in ciuitate proprium, nullam omninò inter ciues orituram discordiam; sed vt de communitate vxorum turpitèr errarunt, ita de communitate rerum ac possessionum vehementius hallucinantur. Nam communitas ista rerum potiùs barbaras contentiones & tragędias, quàm vllam vitæ quietem in ciuitate alit. Hoc probat Philosophus duobus in textu signis, nempè peregrinantium & famulantium simul; nam si inter peregrinantes & famulantes (qui pauca admodum communia habent) acerrima nonnunquàm de rebus paruis oriatur contentio, vt sæpissimè contingit; quanto capitalior inter ciues de rebus maximis dimicantes nascetur offensio? Quanto atrocior discordia & criminatio? Nam pone exempli causâ res omnes esse communes, hic magis ille minus fortassè laborauit, alius plura alius pauciora percipit, alter gemmas format alter sentinam ciuitatis purgat, euehitur orator ad tribunal, ad stercus & vectigal arator co-

Plato 9. de legib.

Argumenta Aristotelis in bonorum communitate.

Lis maior ex communione.

Inæqualitas in opere rixas parit.



cogitur, quantas offensiones ac inimicitias inæqualitas ista laborum, fructuum, artium & conditionum nutriet, infans & inexpertus rerum est qui non videat. Sapienter ergò hanc communitatis legem Socrates non inuexit, cum in lege sancienda singulares mores actionesque hominum (quæ lege communitatis regi non possunt) parùm diligentèr considerauit. Hac communitate rerum ac fructuum refutatâ, proximè ostendit Aristoteles, formam illam res possidendi esse præstantissimam, quæ ex proprietate possessionis & communitate vsus componitur: hoc in textu probat multis rationibus, quæ ordine sequuntur. Prima est à necessario, quippè necessarium est vt homo proprio iure aliqua possideat; ratio est, quia magis solicitè vnusquisque sua ipsius quàm quæ aliorum sunt curat & conseruat: iuxta illud Isocratis, Propria crescunt, communia neglecta iacent. Videre hoc licet in familia, in qua pauciores serui meliùs quàm turba opera & negotia suorum dominorum faciunt. Confusa enim multitudo ac turba distrahitur, in paucitate vnita consensio inest. Altera ratio à iucundo petitur, nam vt verbis Philosophi in textu vtar, Nemo dicendo consequi possit, quantum referat ad voluptatem existimare aliquid esse propriè suum: non enim frustrà ipse ergà se amicitiam vnusquisq; gerit, sed hoc à natura habet vt seipsum diligat: esse sui amantem non reprehenditur, at plusquam decet indulgere habetur vitiosum. Tertia ratio ab honesto ducitur, quia ex proprietate possessionis liberalitas & beneficentia ergà inopes, socios & amicos per manus nostras fluunt, sublatâ verò tolluntur. Nam si omnia sint communia, quæ liberalitas? Quæ magnificentia? Quæ charitas & amicitia exerceri possint? Iustè ergò Socratem & Platonem hîc carpit Philosophus, quòd positâ vxorum communitate, temperantia; rerum verò communitate constitutâ, omnis munificentia pereat. Quarta ratio est à decoro & ordine, quoniam rectius & ordinatius res propriæ tractantur quàm communes, priuata enim solicitudo non tam possessionem quàm ordinem & decorum

Fundi proprij, fructus communes approbantur.

Propria curantur, negliguntur communia.

Vid. cap. 2.

Omnes se amant, ergo iucunda propria.

Vid. Platon. 5. de legib. & Arist. Eth. 9. cap. 8.

Ex proprijs liberalitas & amicitia.

Communione tollitur temperãtia, liberalitas.

Factum in Spartana rep. ergo potest in cæteris.
Sic Cimon Athenienſis ſuos agros fecit vſu publicos. Plut.
Bona diuiſa: ergo mala querela.
Propter contentiones res ad diuiſionem plerumque peruenit. L. in re Communi. De ſeruit. vrb. præd.

decorum in rebus procurandis & diſponendis ſeruat. Quinta ab exemplo Lacedæmonum hauſta, hunc ſtatum rerum ex proprietate poſſeſſionis & communitate vſus, præclarè docet: nam illi tenentes propria, ſeruis tamen, equis, canibus, & viatico ex præſcripto Lycurgi in communi vtebantur. Poſtrema ratio à bono totius ciuitatis ducitur, quod maximè in pace & concordia cernitur; at deſtinatis vnicuique ſuis, quæ cauſa motus? quæ cauſa litis erit? Quarè vt fratres luctantur ſi hæreditatem (quam communem inter ſe habent) diuiſam non relinquas; ita ciues facilè diſtrahentur certè, ſi poſſeſſiones rerum ſecundùm legem æquitatis non diſtinguas. Et vt illi diuiſione factâ in pace fraterna ſine inuidia: ita hi poſſeſſione cognitâ quaſi in portu quietis ſine vlla diſcordia viuunt. Concludam ergò verbis Ariſtotelis, quòd multò magis inter ſe diſſideant qui res communiter tenent, quàm qui ſeorſum facultates in ciuitate habent: nam communitas litem, proprietas, ſi iuſta ſit, ſummam quietem alit. Sed dices, litigioſa eſt proprietas poſſeſſionum, vt ipſa experientia docet. Reſpondeo hoc non ex proprietate poſſeſſionis, ſed ex malitiâ & improbitate hominis euenire. Nam etſi grata & ſpecioſa lex illa communitatis quibuſdam videri poſſit, ſeruatâ tamen proportione plura inter communitèr viuentes quàm priuatim & ſeorſim poſſidentes inuidiæ & contentionis ſemina nutriuntur. Alia pars Cap. nunc ſequitur, in qua Philoſophus ſex argumentis oſtendit debiles & infirmas fuiſſe cauſas, quibus Plato perſuaſus eſt ad hanc ſententiam communitatis. Prima eſt, quòd Plato ab Hypotheſi falſa originem fraudis & erroris traxerit, nempè in eo quòd hoc modo maximè vnam fieri ciuitatem exiſtimauerit: ſed hoc alitèr contingit, vt anteà probatum eſt. Nam ſic longius progreſſa ciuitas, ne ciuitas quidem erit: quippè vt concentus in vnius vocis ſonum redactus non diutiùs ſymphonia, vt numeroſus ſermo ad vnum pedem contractus diutiùs oratio non dicitur: ita ciuitas ad maximam vnitatem reuocata, diutiùs ciuitas appellari non debet. Ciuitas ergò, quòd parum impenſè

Litigia non ex proprietate ſed ex improbitate.

Secunda pars cap.
Contra leges Platonis de cõmunione.
Quod nimis eſt vnum, interit.
Nec vniſonus eſt ſymphonia, nec vna ciuitas.



impenſè animaduertebat Plato, non communitate ſed diſciplina, non publica poſſeſſione rerum ſed morum honeſtate, non Lacedæmoniorum conuiuijs & delicijs, ſed bonarum artium ſtudijs, maximè vna fiet. Secundum argumentum, quo arguit claudicaſſe Socratem in hac lege communitatis ſtatuenda, demonſtrat nihil abſurdius eſſe, quàm repub. in magiſtratus, opifices, & agricolas à Platone diuiſâ, nullam omninò adminiſtrationis formam præſcribi, nullum communicationis modum explicari. Nam cum omnia ſint inter cuſtodes, agricolas & artifices communia, quomodo (inquit) illi ab iſtis differãt, certè non video niſi callidè magiſtratus id machinentur tandem, quod olim Cretes, qui cætera omnia vt communia ſuis ſeruis permittebant, duntaxat exercitatione, vſu, armorumq; poſſeſſione interdixerunt. Tertiò reprehendit, quòd Plato agricolis poſſeſſionem fructuum diuiſionemq; permiſerit. Quid aliud (inquit) hoc eſt quàm fæcem populi magiſtratibus præferre, ſeditioniſque ſcintillas accendere ac diſſipare? Sic olim Elotæ, montani & agreſtes illi Satyri Lacedæmonijs, ſic Peneſtæ rudes & ſordidi Corydones Theſſalis infeſtiſſimi extiterunt. Quartò ineptam ſimilitudinem Platonis deridet Philoſophus, quâ à pari in cæteris animantibus probare contendit eadem ſtudia ſequi, eademq; munera obire fæminas atque viros oportere. Quæ hæc eſt comparatio inquit inter belluas & fæminas, cum illæ nullam vim rationis habeant, hæ verò ſtudio & adminiſtratione rei domeſticæ delectentur? Quintò proprietatem magiſtratuum quam voluit Plato, non eſſe cauſam quietis narrat; nam ſi apud contemptiſſimos abiectiſſimoſq; intercludi aditum ad dignitatem ſeditionis cauſa exiſtat, quanto magis apud animoſos & bellicoſos viros, qui acceſſum quotidiè ad rempub. ſuis factis quærunt & demerentur? Neque fabuloſa comparatio illa iuuat Platonem, qua docet in ipſo ortu Deum quibuſdam aurum, quo magiſtratus; quibuſdam æs & argentum, quibus agricolas & artifices deſignat, infudiſſe. Nam etſi Deus ordines & conditiones hominum diſtinxit, in libera tamen ciuitate præmium virtutis

Mores & leges vnam faciunt non communio.

Agricolæ poſſident, ſed vectigal penſitant: ergo elati fiunt. Plut. in vita Demetrij. Plat. 5. de legib. Ariſt. pol. 2. cap. 7.
Mulieres œconomicæ, beſtiæ non item, ergo iniqua comparatio. Plat. polit. 5. Ariſt œcon. cap 2. Xenoph. œcon. cap. 12. Plat. pol. 3. ad finem.

quasi in stadio palmam omnibus proposuit, cuius spe sublatâ, quis curret? quis laborabit? Nam vt honos artes: ita spes dignitatis ciues studiosos alit. Postremò licentiam datam agricolis in distribuendis fructibus reipub. & habẽdis non aliter ac suis custodum vxoribus, omnem à fundamentis (vt aiunt) labefactare beatitudinẽ ciuitatis docet. Nam quæ est beatitudo reipub. in qua magistratus ab agricolis quodãmodo mendicare coguntur, in qua sordidi & illiberales Vulcani. i. opifices liberè licitèq; cum principum vxoribus volutare possunt?

## Distinctio.

*An rerum ac possessionum communitas sit legitima?*

In rebus datis hominibus ad vitam victumque duo considerari debent:

- Possessio, & sic non debent esse communes, vt à Philosopho probatũ est locis in textu,
  - à Necessario, quia communia plerumq; negliguntur.
  - à Iucundo, quia proprietate rerum homines delectantur.
  - ab Honesto, quia vsu propriarum rerum beneficia exercentur.
  - à Decoro, quia res proprię melius quàm communes disponuntur.
  - ab Exemplo, quia Lacedæmonij eadem lege proprietatis vsi, fælices habebantur.
  - A bono ciuitatis, quia pax, virtus, & quies, hoc modo conseruantur.
- Vsus, & sic communes esse debent, modò obseruentur
  - Ordo ex præscripto rationis.
  - Proportio ex præscripto æquitatis, id est vt quisq; id solum teneat quod meretur, non vt quisque sibi pro arbitrio, sed vt cuique legalis iustitia pro merito concedat.

Ab efficiente. Opp. *Hæc nomina possessionis & proprietatis, hæc duo pronomina meum & tuum natura non dedit: sed vt omnibus mater, nemini noverca extitit, ita omnibus sua dona æqualiter distribuit: ergò potius communitas rerum vt omnes, quàm proprietas vt pauci euadãt beati, est admittenda. Antecedens probatur authoritate Senecæ & Isidori, qui aiunt, quòd communis omnium possessio sit, omniumq; una libertas.*

Seneca in moralibus. Isidorus in lib. etimol.

Resp. *De nominibus non contendimus cùm de rebus constet, dedit natura stellis, plantis, lapidibus, proprias vires, & quare hominibus pernegaret? Probatum est antea dominos & seruos procreasse, nec*



*nec non alijs aurum, alijs æs & argentum secundùm Platonem naturam infudisse: quod certè meo iudicio non fecisset, si nullam in rebus externis distinctionem pro meritis hominũ insinuasset. Isidorus & Seneca intelliguntur in illis solùm rebus in quas homo habere dominium non potest, quales sunt cœlum, aer, ignis, & aqua, quæ iure naturali ab omnibus quodammodo possidentur.*

Ab effecto. Plato 9. de legibus. Opp. *Lites sæpè ex proprietate possessionum oriuntur in ciuitate: ergò communitas est præferenda. Antecedens experientiâ probatur, quia nihil magis inuidiam conflat, quàm rerum auctarum propria possessio.*

Resp. *Soluitur hoc argumentum antea, nempe non ex proprietate possessionis, sed ex prauitate hominis has lites concitari.*

A disparatis. Opp. *Propria possessio omnium solius dei est: ergò homini eandem concedere est contra ius naturæ. Antecedens probatur duobus modis, & quia deus est author omnium, & quia ius diuinum huic consentiens communitatem potius quàm proprietatem laudat. Argumentum tenet; quia à diuino agente ipsa natura regitur.*

Resp. *Deus vt author, homo vt dispensator rerum possessionem habet: ille fecit non sibi sed homini, proprietatem dedit possessionis, communitatem verò vsus, vt homo non sibi ad auaritiam, sed alijs ad beneficentiam viueret.*

Ab adiuncto. Opp. *Quo cõmunius bonum est, eo melius, vt patet 1. Ethicorũ: ergò in bonis ciuitatis communitas esset anteponenda proprietati.*

Resp. *Verum est si vsum; non autem si possessionem spectes. In vsu enim & existentiâ, quo communius eo melius habetur, bonum; in essentia tamen idem & incommutabile manet.*

A fine. Opp. *Omnes naturali iure ad humanitatem & amicitiam nati sumus, cuius lex prima est vt omnia amicorum sint communia: ergo cõmunitas potius quàm proprietas rerũ in ciuitate est cõmendanda.*

Resp. *Non solùm qui debemus esse, sed etiam qui sumus, politicum considerare decet, fieri certè non potest vt omnes & singuli amicitiam colant. Nam diuersis moribus, varijs affectibus hìc & illic mancipamur. Præterea illa amicorum communitas non de iure possessionis, sed de reciprocatione vsus intelligitur.*

A fine. Cap. 5. Opp. *Res possessæ ac possessiones dantur ad vitæ victusq; necessaria, vt habetur 1. Polit. sed iure naturali necessaria ad vitam victumq;*

*Etumq; non magis hic quàm ille, vnus quàm alter vendicare potest: ergò iure naturali res propriæ esse non debent.*

Resp. *Natura & dominum & dominium rerum ad vsum domini nobis concessit, non enim dominum sine imperio, non imperium sine instrumentis imperandi (quæ sunt naturæ & fortunæ bona) finxit. Quare ad vitæ victusq; necessitatem plura & ampliora dominis quàm seruis dedit, vt in illis magnificentiam, in his obedientiam retineret: vendicare ergo potest vnus quàm alter plura, idq; vt vides iure naturali.*

A pari. Opp. *Expedit bona animi esse communia, quæ sunt nobilissima: ergo etiam expedit bona naturæ & fortunæ esse communia, quæ sunt illorum tantùm instrumenta. Antecedens probatur, quia expedit ea esse communia, quorum communitas omnibus prodest, obest verò nemini: sed ita est in bonis animi: ergò expedit illa esse communia.*

Resp. *Non est par ratio omnium bonorum, quia similis non est cõditio omnium hominum: nam alij ad sceptrum, alij ad rastrum nati sunt. Quare etsi optandum est vt bona animi in omnium ciuium præcordia à suis fontibus veluti per riuos fluant, non tamen sequitur quin instrumenta virtutis .i. bona naturæ & fortunæ aliter atque aliter disponantur.*

Ab adiuncto. Opp. *Tempore necessitatis, putà cum hostis inuadit patriam, expedit bona externa esse communia, vt ab interitu conseruetur ciuitas: ergo necessitas (vt antea docetur) proprietatem non docuit. Antecedens probatur, quia indignus est vocari ciuis qui languente patriâ suos thesauros claudit.*

Resp. *Sophisticum & fallax est hoc argumentum, à secundùm quid (vt aiunt) ad simpliciter. Nam non sequitur, quia tempore imminentis periculi expediat bona esse communia; ergò simpliciter & omninò. Neque hoc loco ciuitatem bello concussam sed pace beatam intelligimus.*

## Dubium capitis.

*An armorum possessio seruis interdicenda sit, ne communitati studeant?*

Seneca in Hyppol. CVI plus licet quàm par est, plus vult quã licet, vt est in prouerbio. Da gladium seruo, leuissimè offensus iugulum domini vulnerabit. In armis enim non timor sed furor inest:



inest: Elotę Lacedęmonas, Penestę Thessalos, niger ille Vulcanus stramineusq; carnifex armorum datâ licentiâ Anglos funestis olim bellis concusserunt. Sapienter ergò Cretes (vt est in textu) multa suis seruis permittentes, armorum possessionem pernegarunt: Sic Galli Rusticis. Sed quos seruos nominas? non ciues, non liberè naros, non lege astrictos regi: mancipia intelligo, sceleriśq; instrumenta, qui sine metu, sine fide, sine Deo viuunt: istos si armes teipsum perdis. Melius est Scythas ac barbaros saltationibus & delicijs effæminari quàm hastis & gladijs in dominos rebelles ac contumaces factos acuere. Asperius misero nihil est cum surgit in altum. Armata malitiâ nihil periculosius ducitur. At quæ fides in seruis inest, qui se opprimi, qui se contemni putant? Si nudi sint, timebunt verba, at armis muniti tentabunt imperia.

Arist. pol. 2. cap. 7. Sub Rich. 2. Iuuenal. Arist. pol. 1. cap. 2. Cic. de nat. deorum. lib. 3. Plaut. in captiuis. Serui si nudi sint timent, si armati tentant imperia.

### Distinctio.

Armorum vsus seruis est interdicendus,
- Ne fiant insolentes & superbi.
- Ne fiant negligentes & otiosi.
- Ne fiãt inuidi, ac in suos dominos maliciosi.
- Ne cum alijs conspirantes in rempub. rebelles & perniciośi fiant.

Cur arma seruis abiudicanda.

Opp. *Iniustum est negare illud quod natura dedit: sed natura seruis arma dedit: ergò est iniustum seruis negare arma. Minor probatur, quia dentes, manus & vngues seruis natura dedit, quæ arma à Plutarcho hominis appellantur.* A simili.

Resp. *Metaphoricè arma, verè naturalia organa & instrumenta vocantur. Arma belluis dedit quidem natura, vt leoni dentes, serpenti aculeum, at hominibus arma industria finxit, eoq; finxit, vt pro imperio rationis (quæ seruis vsum armorum negat) armis vterentur.*

Opp. *Ignorantia armorum sæpè dominis magnum periculum creat: ergò vsus armorum est seruis permittendus.* Ab effectis.

Resp. *Non omninò vsum vt discant Martem, sed possessionẽ armorum, nè inuadant patriam, mancipijs nego. Præterea hoc argumentum simpliciter & absolutè non probat arma esse permittenda seruis, cum maiora pericula ex seruili armorum possessione quàm ex depriuatione ciuitati contingant.*

Opp.

A minori Plato. 7. de leg. & in Critia.

Opp. *Plato & Socrates (vt est in textu) voluerunt vt fœminæ non minus quàm viri vterentur armis: sed magis decorum est vt serui vterentur quàm fœminæ: ergo arma etiam seruis sunt permittenda. Præterea quid aliud sunt gregarij milites quàm serui, qui ad fossas & ad mœnia ciuitatem defendunt?*

Resp. *Vt absurdam communitatem defenderet Plato, fœminas marti rebusq; publicis non minus quàm viros præposuit, at non testimonium quod refellitur, sed argumentum & rationem quærò. Si obijcias Amazonas, respondeo exemplum vnum legem non facere. Præterea ratio non tenet fœminis liberis ac solutis licere: ergo seruis & mancipijs vitæ. Instantia gregariorum militum non vrget, quia illi aut nati sunt ciues, qui pro aris & focis dimicant; aut tempore necessitatis coacti serui, qui metu perculsi non offendunt.*

## CAP. IIII.

*An definitus numerus ciuium præscribi debeat?*
*An æquatio bonorum sit toleranda?*

Platonis 2. Politia, 5. de legibus descripta probatur insufficiens.

PLATO præter opus de repub. libros de legibus conscripsit, in quorum 5. nouam ciuitatis formam (in quam nunc inuehitur Aristoteles) tradit. In libris de repub. vxorum ac bonorum communionem, in libris de legibus rerum ac bonorũ æquationem esse voluit; illam primam suam rempub. hanc secundã nominat. In illam satis, in hanc nunc paucis loquitur Philosophus. Sed ne molesta minusq; grata sit hæc nostra in refutatione disputatio, pro numero in textu conclusionum, distinctæ à nobis eximentur quæstiones, quæ legentibus studioſè haud mediocrem vtilitatẽ nec non delectationẽ pollicentur. Primùm ergo quæritur, An definitus numerus ciuium prescribi debeat. 2. An æquatio bonorum sit toleranda. Fateor equidem secundã hanc quæstionem de æquatione bonorũ vberius



rius multo in 5. cap. contra Phaleam, quàm in hoc 4. contra Platonem demonstrari: hoc tamen loco eandem lubens discutio, partim quia ipse Plato mouet quem Phaleas sequitur, partim ne illic aucto quæstionum numero, verbis molestior videatur oratio. Lectorem ergo precor vt istos aduersarios Arist. nempè Platonem & Phaleam vnâ quasi catenâ vinctos, vnâ etiam operâ victos & superatos videat, duoque hęc capita (in quibus vterque eiusdem damnantur errati) coniungat, iunctaq; diligenter legat. Sed ad rem venio. Reprehendit Arist. in hoc cap. numerum ciuium, patrimoniorum æquationem, magistratus perpetuitatem, diuisionem ædificiorum, nouam reip. quam Plato cõstituit, formam. In prima sua repub. mille homines esse qui arma tenerent, in 2. de qua nunc agitur, quinquies mille & quadraginta requirit Plato. Hanc turbam & multitudinẽ cum suis liberis, vxoribus, seruis, ex publico ciuitatis ærario alendam censuit. Hinc quæstio prima nascitur, An certus numerus ciuium prescribi ac definiri debeat? Præscribi nõ debere putat Philosophus, idq; probat tribus argumentis, ab absurdo, ab incommodo, à difficili. Ab absurdo, quia immensa ciuitas illa esse deberet, quæ tantam in otio viuentium præter ipsos ciues multitudinem comprehẽderet. Vix enim Babylon confusa gens illa potius quàm ciuitas tanto militum ciuiumq; numero sufficeret, cui si addas vxorum, liberorum, seruorumq; turbam, Oceanum diuitiarum in vna parte ciuitatis alenda siccum (vt aiunt) aridumque reddes. Ab incommodo, quia onus nimis graue & molestum ciuitati imponeretur, tantum gregem cibo, veste, armis sustentare, pręsertim cum tam exilis bonorũ proportio ad frugalitatẽ tantùm, non ad liberalitatẽ ciuibus à Platone destinetur. A difficili, quia arduũ est legibus tantam hominũ multitudinẽ coercere: nam non solùm à legũ latoribus locus habitationis, moresq; multitudinis, sed etiam vicinitas hostis, quam Plato neglexit, in constituenda ciuitate considerari debent: huc addi possunt incertitudo generationis, senectus ciuium, furor martis, instabilitas fortunæ, aliaque sexcenta euenta mutationesq; rerum, quę numerum ciuium prescribi ac

Ciuium numerus, Bonorum æquatio, Magistratus perpetuitas, Ædium diuisio, Forma reipub. Reprehenduntur. Plato. 5. de legib.

Argumenta in primum.

Vix alat Babylon otiosorum 5040. minor ergo ciuitas non potest. Vid. Arist. pol. 3. cap. 2. Diod. Sic. lib. 3. cap. 4. Plin. lib. 6. cap. 26.

Lex vicinos debet respicere.

Alia certi numeri impedimenta.

ac definiri vetant. Incertitudo generationis, quia alij fœcundiores, alij steriliores inter ciues manent, illorum liberis negare ciuitatem, ne augeatur numerus; horum accusare infirmitatem, vanum & absurdum esse videtur. Senectus ciuium, furor Martis, instabilitas fortunæ quotidiè varios casus in ciuitate gignunt. Quid? Si cadant morte aut armis centum, si augeantur decem, estnè necesse vt ruat ciuitas, quia definitum numerum suum non habet? Naturâ ergò non numero, lege non multitudine, ciuium virtute non hominum turbâ definiri debet rectè instituta ciuitas. Proximè in textu de bonorum æquatione agitur. Ait enim Plato tantùm cuiuis ciui cõcedi debere, quantùm homini temperanti sufficit. At non ad temperantiam solùm quâ tenuiter, sed etiam ad liberalitatem quâ honorificè viuitur aliquid concedi debere existimauit Philosophus: quippè frugalitas vnum, liberalitas amicum iuuat. Sed quid Platoni in mentem venit, vt patrimoniorum æqualitatem introduceret, nihilq; de multitudine liberorum omninò definiret? Quorsùm æquationem bonorum docuit, cum rationem æqualitatis faciendæ non describat? Hanc vanam opinionem refellit Philosophus tribus potissimùm rationibus: Prima à proprietate, Secunda ab effectu, Tertia à testimonio ducitur. A proportione possessionis & multitudinis, quæ duo nunquam adæquari possunt. Nam quis naturæ modum, fæcunditati fæminarum definitum numerum, instabili & inconstanti fortunæ scopum potest præscribere? Fieri certè non potest, vt certa omnium, qui nascuntur & cadunt in ciuitate, habeatur ratio, vt omnium bonorum, quę cum Euripo fluunt ac refluunt, habeatur eadem semper proportio, vt similis cunctis nascentibus rerum ac patrimoniorum fiat diuisio, nisi fortasse hoc Plato voluerit, vt quisque certum numerum filiorum gigneret, quod quàm ridiculum sit, nemo est qui non videat. Ab effectu, quia aucto numero filiorum, fames, paupertas, seditio vrgent: nam datâ proportione omnium, quî fieri potest vt hic viginti filios exiguo patrimonio alat, cum pari hæreditate alius vix decem nutriat? Multò melius nos Angli maioribus

Plato 7. de legib.



ribus natu ius hæreditarium, minoribus verò aliud pro facultatibus nostris beneficium, putà artem aut pecuniam, concedimus. A testimonio Phidonis legumlatoris antiquissimi, qui à Platone & Socrate in adæquatione bonorum plurimũ (vt in textu patet) dissensit. Interpretes alias rationes & argumenta in hanc sententiam ferunt, nempè quòd æqualis hic bonorum sensus, & naturâ iustitiæ distribuentis, quæ cuique pro merito virtutis tribuit; & naturâ ciuitatis, quę ex dispari gradu dignitatis constat, impediatur. Quare vt communitas vxorum ac rerum magnam confusionem: ita æqualitas possessionum incredibilem in miseriam ciuitati incutit ac minitatur. Attendendum hîc est, Platonem in 5. de legibus, non sic æquasse patrimonia, vt nullus ciuis plus altero possideat, sed pro classium multitudine, ordine, ac dignitate pares sortes omnibus tribui & assignari iussit, quam partitionem bonorum æquationẽ hîc vocat Arist. eandemq; vt vides refutauit. Tertium quod hîc agitur, est discrimen inter magistratum & illos qui imperio subijciũtur. Dixit Plato 5. de leg. magistratũ differre quidẽ à ciuibus sicut stamen differt à trama: vt scilicet ciues sint instar staminis, illi autẽ qui imperiũ tenent instar tramę (quæ ex meliori fit lanâ) habeantur. Hæc vt opinor dixit Plato, vt inter magistratum & subditũ haberetur distinctio, at modũ rationemq; istius distinctionis omnino non edocuit. Quartum de quo in hoc cap. differitur est amplificatio diuitiarum ad quintuplum vsq; & non vltra, idque eò vt quisque binas distinctas teneret ædes. Sed quorsũ inquit Philosophus duas ædes habere iussit, cũ quisq; vix vnã possit rectè administrare familiã? Postremum quod tractatur est forma reipub. quam Socrates & Plato excudere voluerunt, mediam illam quidem (vt ait Arist) inter monarchiam & democratiam, vt sexto de legibus dilucidè habetur. Hanc constitutionem & statum refellit, duabus rationibus, vna ab exemplo, altera à gradu comparationis. Ab exemplo nimirum Lacedęmoniorum, qui rempub prętantissimã ex omnibus politiæ formis temperatam & permixtã habuerũt: verbi causâ, ex monarchia in regibus (quos binos perpetuos

Æquatio Platonica qualis.

3. De Magistratibus.

4. De ædificijs. Plat. respub. in nullo est certo reip. genere: ergo aliud cupit, aliud agit.

5. De forma reip. Vid. pol 2 cap. 7. Plat. 3. & 4. de legib. Plut. in Lycurg. Xenoph. de rep. Spartana. Vid. pol. 3. cap. 10.

Vide pol. 4. ca. 9.

habuerunt) ex oligarchia in senatoribus, ex democratia in Ephoris quos singulis annis quinos ex populo eligebant: sed Platonica respub. ex omnibus his formis non coalescit: ergò non est optima. A gradu comparationis hoc modo. Si Platonis politia haberet aliquid ex monarchia, esset fortasse optima: at nihil habet ex monarchia: ergo non est optima. Assumptio probatur, quia inclinare videtur in oligarchiam & paucorum potentiam: quod quidem apparet tum ex magistratuum creatione, tum etiam ex electione senatus, quæ duo ad sortem & lancem optimatum à Platone reuocantur. Sed quoniam de distinctione administrationis ciuilis posteà plurimis dicendum est, huic longiori refutationi Platonicæ reipub. colophonem addam, & ad alia quæ iam sequuntur festinabo.

Oligarchiam Plato legibus statuit nec sentit.

## Distinctio primę quæstionis.

*An definitus numerus ciuium præscribi debeat?*

Numerus ciuium considerari potest duobus modis,

- Simpliciter, & sic ciues numerari possunt, nec non sæpè, vrgente necessitate, debent.
- Comparatè, vt illis æqualis proportio bonorum in communitate rerum destinetur, & sic nec definiri potest, nec præscribi debet, vt apertè antcà probatur.

A pari. Opp. *Rerum proportio & ciuium multitudo æquiualere debent: sed certa est proportio rerum, non infinita: ergò certa ac definita debet esse multitudo ciuiũ. Maior probatur, quia aliter aut defectione rerum languescet, aut infinitâ multitudine hominum oppressa succumbet ciuitas.*

Resp. *Nec certa, nec infinita debet esse multitudo ciuium, indefinita tamen. Nam definita multitudo nec augmentum, nec decretionem patitur, quod est absurdum, cum ancipites ac variæ sint mutationes casusq; rerum: non infinita, ne dum multitudo ciuium excedat multitudinem rerum, fame, peste, bello, deuastetur ciuitas.*

Ab exemplo. Opp. *Absurdum videtur illud paradoxum, nempè quòd diuturna pax ciuitatem consumat: sed praxi optimarum rerumpub. confirmatam*



*matam veritatem habet. Nam Romani quolibet biennio, Lacedæmonij quolibet quinquennio cũ exteris (ne in infinitũ ciuium multitudo cresceret) gerebant bellum. Quo dato, videtur consultissimum fore vt in qualibet rectè institutæ repub. definitæ multitudinis habeatur ratio.*

Resp. *Nescio an plus laudem vel reprehendam illam in bello gerendo sancitam consuetudinem Romanorum aliarumq; gentium, vt Marte consumpto populo, metus oppressionis, famis aut pestis tolleretur. Cæterùm hoc non probat certam præscribendã esse multitudinem: pax quidem longa exedit ciuitatem, si ingratus deo aut ignauus sit ciuis patriæ; aliter (cùm non minor turba naturali iure extinguatur, quàm de nouo generetur quotidie) causam non video quin in perpetua quiete floreat respub. interim multitudine non suffocetur. Exempli causâ. Anglia per viginti iam nouem annos pace tranquillâ quam deus nobis conseruet) freta, adhuc succretione ciuium non contabuit, at vicinæ nationes Martis fulminibus concussæ elumbes fiunt.*

A pari.

Opp. *Distribui debet ciuitas in certas classes ordinésque ciuium, vt in magistratus, qui in imperio; milites, qui in subsidio; agricolas & opifices, qui in opere versantur: sed hij ordines sunt certi: ergo eisdem destinata multitudo incerta esse non debet.*

Resp. *Multitudo ciuium considerari potest bifariam, aut in genere, & sic certa debet esse quoad officia & ordines in ciuitate: vel in specie, aut singulari potius distinctione ciuium, & sic maneret semper indefinita.*

A simili.

Opp. *In Academijs collegia sunt expressæ rerumpub. imagines & simulachra, nam præsides instar principum, seniores instar senatorum, alumnos musarum instar ciuium, seruos instar artificum, optima statuta instar legum habent: sed in illis est certa & definita multitudo: ergo vt paruæ cum magnis comparentur, in ciuitate etiam certa debet esse multitudo.*

Resp. *In præclaris & sacratis Deo ædibus, quas simul cum Academijs Christus noster in perpetuum defendat, similitudo non in multitudine sed in administratione cernitur. Nam in collegijs copiæ vnius aut paucorum, in ciuitate autem omnes omnium opes vniuntur; illis pauci, his penè infiniti sustentantur.*

## Distinctio secundę quæstionis.

*An æquatio bonorum sit toleranda?*

Æquatio bonorum considerari potest duobus modis, aut secundum
- Quantitatem possessionis, & sic est absurda, quia hoc modo
  - Nulla esset distinctio ciuium.
  - Magna rerum oriretur cõfusio.
  - Perpetua ciuium haberetur contentio.
- Proportionem æquitatis, & sic est approbanda, quia æquitas cuique pro merito bona & dignitates reipub. concedit.

Ab aduerso.

Opp. *Inæqualis distributio rerum ac dignitatum magnas (vt experientia docet) in omni repub. tragœdias mouet: ergò æquatio bonorum, quæ cuiq; parem concedit sortem, est approbanda.*

Resp. *Dispar proportio rerum ac dignitatum non semper inæqualem distributionem arguit, nisi iniqua iniustaq; sit distributio; quippè omnes vi naturæ nonsumus pares, nam alij domini, alij serui à natura sumus: tum ergò in possessione est æqualitas, cùm in partitione rerum pro merito obseruetur æquitas. Respondeo ergò inæqualem distributionem rerum ac dignitatum magnas sæpè mouere procellas, at inæqualem illam distributionem esse nego, quæ ab æquitate pendet; imò Platonicam æquationem bonorum iniustam esse affirmo, cùm non virtutis sed pondus ac momentum facultatis respicit.*

A fine.

Opp. *Platonica æquatio bonorum meritum virtutis respicit, ergò iniustè Philosophus illam reprehendit. Antecedens probatur, quia Libro quinto de legibus in diuersos gradus classesque ciuitatem partitus est, neque summis, medijs, infimis ita bona reipublicæ distribuit, vt infimi cum summis in pari rerum proportione contenderent, sed vt singulis secundum ordinem & gradum æquali censu fructuq; rerum potitis, omnis seditionis tolleretur occasio.*

Resp. *Vt in tota multitudine ciuium, ita etiam in senatorum ordine alter alteri prælucere potest, indignum ergò est, si æquitatem spectes, vt omnes qui clauum reipublicæ tenent pari rerum ac dignitatum censu donentur, neque hæc distincta summorum virorum patiuntur officia, quorum vt alia aliis sunt ampliora: ita ampliora rerum subsidia & splendidiora virtutis ornamenta postulant. Verùm vt ingenuè fatear, quod de Platone censeo,*



*censeo, puto equidem diuini philosophi verba in corruptum aliquantulum flecti & detorqueri sensum: & vt hæc melius intelligantur, in medium nunc opportunè adferam, quæ à Platone didici. Summa hæc est. Plato sic suam rempub. institui voluit, vt quàm maximè vna existens in vnitate consensus perpetuò conquiesceret: hoc autem vt commodius fieret, ciuitatem custodibus ad præsidium & imperium, artificibus ad commutationis negotium, agricolis ad opus præstandum sapienter tradidit. Custodes cum pastoribus comparauit; nam vt pastores gregem ab infectis animalibus: ita custodes rempub. ab immanitate hostium liberarent. Ex his quosdam magistratum gerere, quosdam excubias perpetuò agere in defensionem ciuitatis voluit: eodem pacto ex ciuibus quosdam (quibus Deus quasi æs aut ferrum infudit) agricolas, quosdam (quibus aurum impresit) magistratus, aut custodes quasi virgulâ diuinâ assignatos nominauit. Mendicos, miseros, ac infortunatos nullos in repub. passus est: hinc lege suasit, vt rerum in singulis classibus ciuitatis haberetur proportio, & veluti bonorum adæquatio, non vt quisque haberet æqualia, sed vt nemo ciuium confoderetur miseriâ. Si recta hæc sint, cur accusas? Si falsa, cur postea vt vera defendis Aristoteles? Suspectum te habeo in multis Philosophe, cum te in paucis idque contra Platonem nimis dentatum videam. Sed nihil hic adfers (de communitate vxorum ais) habes certè aliquid in quo triumphes Aristoteles, laruatus non sum, Platonem in hac re non excuso, etsi sunt qui dicant illum hîc communes vxores voluisse, non vt se inuicem turpiter commiscerent, sed vt omnes ardenter veróque pietatis affectu diligerẽt, quippe credibile non est tantum & tam castum Philosophum hoc tandem suasisse, vt omnes in sua repub. se fœdissimis voluptatibus obstringerent & manciparent, præsertim cum in Phædro disertis verbis turpem amorem ex animo detestetur.*

Mendici in Platonica repub. non permittuntur.

## Dubium capitis.

*An fœminæ bellum vnà cum viris gerere debeant?*

Dicis paulò post initium huius cap. Arist. Platonem præceptorẽ tuum absurdè docuisse, quòd fœminæ vnà cum viris bellum gererent, omniaque munera ciuitatis non minùs quàm viri exercerent; si dixerit, cur indignum refutatione

ne putas? Si non dixerit,cur tam acerbè reprehendis? Sed esto, vtcunque res est,opportunè mouetur dubium. Non est certè quòd in te vera latum(vt aiunt)vnguem à te discedam: hoc quòd vis sensit quidem Socrates,suasitq; Plato,sed quibus id medijs probent ab illis quæro. Natura fœminis martis vexillum,Minerua autem mentis triumphum negat;mars enim lacertos corporis, bellum impauidos actus fortitudinis in suis tragœdijs peragendis postulat:at fœminæ carne molles,toto corpore graciles & infirmæ,animo instabiles,actione minùs cautæ, pugnâ feroces & temerariæ, ingenio pauidæ,ancipites consilio, rei militaris penitùs indoctæ & inexpertæ habentur. Quid ergo fœminæ cum marte? Quid cum belli tormentis agerent? Noua res esset videre fœminas prosilientes in aciem, ensibus, hastis, scorpionibus armatas fugare hostem, per terram, per mare cum viris cõferre pedem. Hoc potiùs ad illas spectat, vt domi telam ex penso trahant, dum viri in bello sua tela tractent.

7. De legib. Fœminis nihil cum marte.

Distinctio.

Fœminæ vnà cum viris bellum non gererent,propter

- Imperfectionem naturæ, sunt enim infirmæ & imbecilles corpore.
- Defectum experientię,sunt enim rei militaris penitus imperitæ.
- Priuationem constantiæ, sunt enim plerumq; instabiles & temerariæ.
- Terrorem militiæ, sunt enim ingenio penè omnes pauidæ & meticulosæ.
- Institutionem iustitiæ,quæ præscripsit vt solùm domestica tractarent negotia.

Cur fœminis negentur arma.

A minori. Opp. *Fœminis antea concessum est imperium, vt rectè remp. administrent: sed minus est bellũ gerere quã remp. rectè administrare: ergò fœminis vnà cum viris res bellicas tractare licet. Minor probatur, quia bellũ gerere est solùm pars vna rectè administrandæ reipub.*

Resp. *Fœminis non omnibus absolutè sed paucis comparatè conceditur imperium, at Martis furor cohortes exercitusque requirit, qui sæpè inter viros, inter fœminas nũquam cogi ac inueniri possunt.*

A materia. Opp. *Natura minorem fœminis quàm viris non dedit bilem. ergo videtur quòd non minus ad bellum admitterentur. Ratio tenet, quia vi irascibili(quæ à bile nascitur) ad propulsandam & vindicãdam*



*dam iniuriam non minus iustè ac viri inflammantur. Præterea,inter belluas animantes fœmellas multò fortiores masculis esse experientia docet. De Amazonum aliarumq; fœminarum rebus præclarè gestis nihil hic dico, quæ omnia probant hunc sexum à laude militari penitus non secludi.* Iustin.lib.2.

Resp. *Bilis ardor ægritudinem animi non fortitudinem, infirmitatem non vim & robur arguit:imò qui vehementiùs bili exarserint bello minus apti esse existimantur:nam bilem temeritas plerumq; sequitur,at bellum non solùm vim corporis, sed etiam mentis consiliũ postulat. Comparatio illa inter belluas animantes & fœminas nulla est,nam belluæ nec ratione,nec ordine,nec lege vlla ciuitatis(ad quã natæ sunt fœminæ) diriguntur: satis illis perspectũ est si viuant,seseq; naturæ armis a periculis defendant:at fœminarum interest(vt ait in textu Philosophus)liberos parere,partos nutrire,nutritos bonis moribus imbuere,rebusq; domesticis consulere ac prouidere. De exemplo Amazonum, aliarumq; fœminarũ rebus præclarè gestis, vt ais, dico quòd neq; sexus,neq; decorum, neq; ordo ciuitatis, neq; lex iustitiæ ista ab illis exigant: & vt vno verbo concludam omnia, sicut vna hirundo ver non efficit,ita vnum vel alterum exemplum nec in natura,nec in ciuitate legem constituit.*

## CAP. V.

*An in rectè administrata ciuitate cuiq; liceat prout vult ac potest diuitias accumulare?*

*An liceat auitas hæreditates vendere?*

*An res militaris pacis tempore exerceri debeat?*

Refutatur Phalcæ & Chalced.ref. pub.de bonorum adæquatione.

Tomachabundè nimium Socrati & Platoni in frõte illius cap. valedicere Arist. videtur,ait enim ab indoctis resp. descriptas magis ad rectæ administrationis formã accedere, quã quę ab illis inuentæ ac institutę fuerint;quippè nullus (inquit) neq; nouum illud de communitate vxorũ ac liberorũ, neq; alterũ de sodalitijs & cõuiuijs mulierũ cõmentũ reperit. Hoc facto ingressu in alũ ruit aduersariũ,Phaleã nomine, quem ita crebris pugnorum

ictibus diuerberat ac contundit, vt deiectâ quasi hastâ totus inermis se in pedes præcipitet. Nã quid Phaleas Chalcedonius ille potest, cum Socrates & Plato Athenienses illi nihil potuerunt? Leo lupos non mures, aquila magnas prædas non muscas capit. Sed ne verbis molestior fiam, decretũ est breuiusculã analysin istius cap. retexere, antequã ad discutiẽdas quæstiones propositas limatiùs, veniã. Postquam Socrati & Platoni ita, vt modò edocui, valedixerit, Phaleam in theatrũ veluti armatum hostem protrudit, eumq; primùm inuadit, quòd ciuiũ bona ac patrimonia ęqualia esse voluerit, cũ tamen de generatione ac multitudine ciuium dicere prætermiserit. Nam vt præclarum est de ęquatione bonorum lege cauere ne cuiq; liceat quantùm velit ditescere: ita absurdum est nullam multitudinis, nullam dignitatis rationem habere, vt cuique pro merito virtutis ex prędscripto iustitię tribuatur. Aliter inquit Solon, aliter Locrenses fecerũt, qui approbantes hanc legem ęqualitatis, ad eandem conseruandam, ne quis auita patrimonia venderet lege pręcauerunt. Non est ergo penitus antiquanda lex illa ęqualitatis, modò certa ac definita habeatur ratio multitudinis. Prętera haud sapienter bonorum ęqualitatem inuexit Phaleas, cum nihil ciuibus prędscripserit, vt neque abundarent in delicijs, neq; deficerent in necessarijs. Huc & illud accedit quòd parùm omnino proficiat rei familiaris prędfinire facultates, si cupiditates rationis fręno coercere non coneris: at hoc Phaleas in descriptione suę reipublicę penitus neglexit. Porrò de honoribus distribuẽdis legem non sanxit, at vt fortunarũ ęquatio sępe confusionem: ita honorum æqualitas seditionẽ gignit. Cum enim alij alijs virtute prędlucent, maiori hij quã illi laude ac dignitate ornarentur. Aliter absurdum illud audiet Respub. *Fortis & ignauus pari li afficiuntur honore.*

Soloni & Locris sancta æqualitas, nec firma tamen resp.

Ciuibus nec nimis multa vt profusè, nec nimis pauca debent esse vt sordidè viuant.

Æquitas Possessionis legelata Institutionis omissa.

Achilles Iliad 9

His addit philosophus causas quas adfert Phaleas contingentium iniuriarũ in ciuitate, earumq; remedia. Causæ tres sunt, infinita rerum possessio, cui bonorum ęquationem; odiosa voluptatum appetitio, cui temperantiam; magna dolorũ oppressio, cui philosophiã tanquã medicinas opposuit. In hac diuisione

Iniuriarum causæ & earundem remedia.



diuisione errasse Phaleam ait Arist. quia aliæ maiores sunt iniuriarum causæ in ciuitate, alia contumeliarum semina ac fundamenta. Adhuc id in repub. Phaleæ maximè reprehendit, quòd nullam belli aut hostis mentionem fecerit, quippè satis inquit non est legibus ciues domi gubernare, nisi etiam mędnibus hostes propulsare contendas. Postremò ęquationem patrimoniorum nec ad quietem ciuitatis, nec ad dignitatem quicquam prodesse probat, quippè cum alij alijs digniores naturâ ac virtute sint, illos in pari sorte ac conditione cum fæce populi viuere, vt ab omni ratione iustitię est alienum: ita capitale necesse est conflet ingeneretque odium; quo flagrans ciuitas citò veluti magno incendio deuastetur. Ridiculum quoque id est quòd Phaleas æqualitatem hæreditatis tantum non supellectilis induxerit, quodq; opifices seruos non ciues, instrumenta non partes aut membra suę nimis paruæ ciuitatis fecerit. Quid multis moror? Omnium in hoc Cap. summa in his quatuor consistit: in rerum æquatione, quam vt absurdam; in disciplina, quam vt inconsideratam; in re militari, quam vt neglectam; in quantitate vrbis, quam vt nimis paruam & exiguam reprehendit Philosophus. Ex his quasdam non inutiles quæstiones decerpsi, quarum prima est an in rectè administrata ciuitate cuique liceat prout vult ac potest diuitias accumulare. Plato vt ait Aristoteles cum leges scriberet, ad quintuplum augere fortunas cuilibet in ciuitate permisit. Solon vt in textu est voluit tantum agri comparare, quantum quisque velit. Vterque patrimonia vendere resque auitas nundinari sacris legibus prohibuerunt: prędclarè quidem Plato, sapienter Solon. Nã vt in immensum corradere diuitias est cupiditatis: ita nobis relicta patrimonia consumere & obligurire magnæ profusionis habetur. Sed vt primùm de prima hypothesi disputem, multis argumentis probo istam ardentem sitim cumulandi diuitias nemini debere permitti, ne semel apertâ malæ cupiditati fęnestra sexcenta alia in ciuitatem irruant ac grassentur pericula. Cræsos multos aut Iros in rectè instituta repub. non constituo; nam vt diuitiæ insolentes, ita

Phaleæ diuisio diminuta.

Belli & hostium ratio habenda.

Superiores dedignantur honores pares, ergo æqualitas non nisi inter æquales seditionem tollit.

Diuitiæ in Seruis Pecoribus Nummis Supellectile: ergo in solis agris non ponenda æqualitas.

Summa capitis.

Prima quæstio.

Cap. 4. Plat. 5. de leg.

Sic Romæ lex Agraria Liu. decad. 1. lib. 2. & 6.

Diuitiarum accumulatio improbata.

Lex bona vt boni nolint habere plusquam par est, mali non possint.

ita mendicitas desperantes efficit; refrenanda ergò est cupiditas hominum circa pecunias (vt hic docet Philosophus) quę aliter existens immoderata & effrænis ad diuitiarum flumen vt ad fontem renderet, id est ipsas diuitias vt finē & scopum, non vt medium ac instrumentum desideraret; sit igitur hæc prima ratio. Nullum medium fieri debet infinitum: sed rerum copia est tantùm medium: ergò rerum copia infinitè augeri non debet. Hoc posito, sequitur quòd nemini permitteretur pro cupiditate diuitias augere ac accumulare. Altera ratio ab euentis sit ista. Nihil quod est in præiudicium & perniciem ciuitatis permitti debet: sed libera diuitiarum amplificatio est in præiudicium ac perniciem ciuitatis: ergò permitti non debet. De maiore constat. Assumptio verò probatur, quia ex hac licentia honorum ambitio, ex ambitione ciuium seditio, ex seditione lues ciuitatis nascitur. Præterea in infinitum auctæ possessiones domi inuidiam, foris hostem, in fronte supercilioſam rugam, in mente labem odiosam gignunt; non ergò licet cuiuis prout vult ditescere, suasque gazas aliorum spolijs immodicè resarcire. Postremò modus & ordo conseruant ciuitatem: sed nullo termino diuitiarum ciuibus præfinito, nullus erit modus, nullus ordo: non ergò liceret cuiuis suam sitim & famem aureis diuitiarum imbribus epulisque extinguere. Quis enim ordo in ciuitate erit, si vnius aut alterius libido domos, villas, agros multorum conciuium deuoret & consumat? An soli diuites & epulones in ciuitate viuerent? At dicis nonnè bonis (qui ordine seruato in publicum bonum tendunt) à centro in circumferentiam, à minimo in maximum augere diuitias licet? Certè licet si à centro per rectas lineas virtutis ad circumferentiam veræ fælicitatis tendant. Cæterum ne febris ista in augendis diuitijs hectica facta totius corporis regiones partesque inuadat, tam bonis quàm malis præscribendum puto. Sed vt naturalis hominis complexio in æqualitate primarum qualitatum ad pondus (vt aiunt) non consistit, sed in ea proportione quam requirit sanitas: ita constitutio

Apposita similitudo.

ciuitatis



ciuitatis in æqualitate hominum aut diuitiarum non ponitur, sed in ea proportione quam æquitas & iustitia postulant. Nam sicut calor qui bilioso conuenit, melancholico nocet: ita diuitię aut honores qui vni debentur alteri sine dispendio ciuitatis accommodari non debent. Hanc quæstionem de Hydrope diuitiarum, alia de tabe & consumptione sequitur, quæ est, An liceat auitas hæreditates vendere? Non licet certè. O vtinam non liceret, tot enim tum cities minus frugi homines crapulâ suffocati auita patrimonia non enomerent, quid multis? Populus & villæ in paſtiones, maiorum nostrorum pagi in paucorum manus ac possessiones non venirent. Hoc malo, hoc inquam malo antiquæ familię in vmbram eccho & reflexum quasi vocis commutantur. Sed ratione hoc suadeo. Primùm quòd id non liceat, quo facto naturæ ingrati sumus, sed auitis patrimonijs venditis ingrati naturæ sumus: ergò auita patrimonia vendere ac nūdinari non licet. Si maiorem neges non te naturæ filium, sed spurium ostendis; nam si filius fores patrimonium, quod natura dedit, sanè non diuenderes. Præterea beneficium à parentibus acceptum contemnere ingratum arguit, sed qui auitum patrimonium vendit, beneficium à parentibus acceptum spernit, ergò qui patrimonium vendit se prorsus ingratum esse ostendit: Hęreditatē relictam beneficium esse negas homo omnium ingratissime? Symbolum tanti amoris contemnis pernicioſe? Nonnè antiquitatis, & futuræ dignitatis fundamentum, posteritati tollis? Pro tantillo voluptatis sensu tantum censum amittis, ipsumque quasi maiorum tuorum chirographum venereo digito expungis? Indignus es vitâ, indignus beneficio qui bene merentibus gratias non rependis. Hoc etiam addo ignauum & stultum esse, qui sibi non consulit: sed qui ius hęreditarium vendit sibi non consulit: ergò qui patrimonium vendit ignauus & stultus habeatur. At dices stultus non sum, nam maius emolumentum indè acquiro. Erras. Nam damnum est, si naturam deseras; monstrum est, qui solum natale pro turpi lucro vendit. Nam vt rex auro accepto prodit patriam

Secunda quæstio. Arist. 2. polit. cap. 7.

In hæreditatum venditiones argumenta.

triam si vendat, ita ciuis spernit patrem, qui patrimonium suum nundinatur. His quid adiungam præter illud quod damnum & iniuriam ciuitati faciat, qui ius hæreditarium vendit? Ergò permittendum esse non existimo. Quòd damnum toti ciuitati hinc fiat sic probo, quia minor inde dilectio ciuitatis nascitur, malumque exemplum alijs proponitur. Quanta enim est defectio ciuitatis, quanta ordinis peruersio, cum antiquitatis monumenta delentur, cum maiorum nomina posterorum ingratitudine obliterantur, cùm passim Tusculana, Pompeiana, aliaque vetustissimarum familiarum vexilla & quasi insignia ruunt ac deijciuntur? Concludo igitur nec regem imperium sine scelere, nec ciuem auitum patrimoniũ sine impietate posse diuendere; hoc vnũ tamẽ cõcedo, magnâ vrgente necessitate ex consensu domini, cum extremâ fortunâ conflictantibus debere concedi vt hæreditatem in subsidium vitæ ad hastam figant. Nam melius est perdi patrimonium quàm perire hominem, maximè verò si suâ ipsius sceleratâ vitâ in miseriam nõ inciderit. Legant hanc legem Solonis nostrorum temporum sortilegi, legant aulici & aleatores; manus à tabulis, manus à tesseris, imò mentes à vitijs detrahant. Sequitur nunc tandèm postrema quæ est in hoc capite dubitatio, nimirum, An pacis tempore res militaris exerceri debeat? Quanquam pax quidem magnum Dei beneficium est quo ciuitas beata floret, quo destituta languet: tamen vt Athenienses suam Palladem armatam pinxerunt: ita nos pacem non vt nudam Dianam sed vt bellicosam deam munire & tueri oportet. Improuidi est solùm in diem viuere, eaque tantùm videre quæ ante pedem iacent. Cum valeas cauendum est ne in morbum, cum in pace viuas, præuidendum est ne in hostem incidas, quippè tum maximè insidiatur hostis cum supinus in otio dormis, & securus in pace viuis. Iure igitur ab Aristotele Phaleas hîc reprehenditur, quòd in descripta sua ciuitate nullam martis imaginem delineauerit. Sed vt rem solam quæ agitur rationibus confirmem, primum argumentum à temporis opportunitate ad hunc modũ duco. Nulla ciuitas est

Lege cautum Poloni. 1375. Hungar. 1221. Anglica. 1298. Hispani. 1560. Gallica. 1566. Sic lege Locrensi.

Quæstio. 3.

Necessitas in pace de bello cogitandi.



est tam fortunata, cuius paci ab aliquibus nõ inuidetur: ergò pacis tempore de hoste & Marte cogitare oportet, vt in pace securiores simus. Si antecedens neges, insta & ostende vnam ciuitatem, vnam nationem aut imperium, quod semper in pace, quod vnquam sine hoste floruit: quod si non possis, necesse est fatearis opportunius res bellicas tractari non posse quàm cum in pace sumus. Altera ratio est à simili. Nam quemadmodum tutissimè præcauemus morbum cum sanitas & vires sint: ita consultissimè præuenimus hostem, cum tranquillitas & opes in ciuitate florent. Tertium ab incommodo bellicæ exercitationis neglectæ argumentum peto, idque hoc modo. Periculosum est illud in ciuitate negligere, cuius vsu ciues & ad iuuandam patriam experti, & ad propulsandum hostem parati fiunt: sed vsu militaris exercitationis in pace hæc discunt ciues: ergò periculosum est rei militaris vsum in pace deponere. Omnia in hoc syllogismo aperta sunt, quis enim experientiam in re qualiber, maximè verò in re militari, ex vsu oriri ac proficisci negat? Hoc etiam addo, quòd iacula non præuisa magis feriant, & mala non præcognita vehementius vrgeant. Quantò atrocius, quantò truculentius videbitur id bellum, quod ciues veluti in crepundijs pacis oscitantes de repentino opprimit? O patria dulcissima, ô beatissima insula, ab hoste per mare, per terram iam diu fuisti tuta, & sane hoc vno multùm laudanda es, quòd in tanta ac tam diuturna tranquillitate tua aliquot Scipiones contra Hannibales. i. duces contra hostes rei militaris vsu expertos effeceris. Lignea mænia habes, altas turres & muros ciuitatũ; at non in mænibus vrbium tuarum sed in animis tuorum ciuium, non in turribus sed in lacertis fortitudo & salus ciuitatis constat. Christus te diutissimè conseruet, Christumque, precor vt dum strepitus bellorum in vicinis nationibus quasi prologus tragediæ personet, nullum actum furentis Herculis in tua scenâ & theatro videas. Exempla & stratagemata ad hanc rem probandam non recenseo, illud tamen Syri tacitus præterire non possum: qui cum Lydam gentem maximè bellicosam animaduerteret, primũ armis

1. Ab opportuno. Militaris disciplinæ & in pace exercendæ argumenta.

2. A simili.

3. Ab Incommodo.

4. A simili.

Ad Angliam apostrophe.

Affectus auctoris in suam patriam.

5. Ab exemplo. Vide Iustinũ. Lib. 1.

armis,tum rei militaris exercitijs interdixit, hinc epulas & tibicines proposuit,postremò totam effœminatam & otiosam factam exili voce perterruit quam ante ferro & flammâ vix superauit. Quis ergò non videt tempore pacis summam & singularem curam habendam esse rei militaris,quâ ciues instructi, cum opus sit, non ab epulis in antrum, sed ab arce in campum, à muro in hostem ruant?

## Distinctio primæ quæstionis.

*An cuiuis liceat ditescere?*

Immoderatarum diuitiarum detrimenta.

Cuiuis non licet in immensum prout velit ac possit ditescere, quia vltra modũ auctæ diuitiæ plerumque gignunt
- Possessoris superbiam,vnde ambitio.
- Externi hostis inuidiam,vnde oppressio.
- Conciuis iniuriã, vnde intestina contẽtio.
- Ciuitatis damnum,vnde rerum magna deuastatio.
- Infinitæ cupiditatis exemplum, vnde confusio nascitur.

Ab effectis. Opp. *Illud prohibere in ciuitate, quod ciuitatem tutam & fortunatam reddit,est malum: sed auctæ diuitiæ ciuium, ciuitatem tutam & fortunatam reddunt: ergò eas dem augendi facultatem negare est malum. Maior vera est. Minor probatur, quia in bonis fortunæ amplificatis splendor ciuitatis consistit.*

Resp. *Moderata diuitiarum amplificatio ciuibus non negatur, sed amplificandi insatiabilis sitis non permittitur: Nam vt in illa externus ciuitatis honor: ita in hac seditionis timor inest. Non est ergò malum rebus augendis modum, non est inconsultum hominum cupiditatibus frænum injcere.*

A pari. Opp. *Bona externa (vt honor & diuitiæ) sunt distribuenda pro meritis hominum in rẽpublicam: sed sunt sæpe multi, qui infinitè de suis ciuitatibus merentur, vt Horatius Cocles, qui Romam liberauit, ergò illis infinitas augere fortunas permitteretur. Maior est Arist. quinto Ethicorum.*

Resp. *Merita virtutis non solùm opibus, sed laudibus, quæ magis virtutem spectant, remunerantur: Opes ergò eorum sunt augendæ, vt honorificentiùs viuant, laudes verò in immensum amplificandæ, vt clariùs posteritati luceant.*

Opp.



Ab vsu. Opp. *Ex optimorum ciuium thesauris opes in vsum ciuitatis perpetuò trahuntur; ergò optandum est, vt optimis liceret infinitas diuitias accumulare. Ratio sequitur, quia boni viri non ad priuatum sed ad publicum & commune bonum in accumulandis fortunis tendunt.*

Resp. *Optandum quidem hoc esset, si cum granis palea, hoc est cum bonis malorum turba non cresceret: at cum in ciuitate plures mali quàm studiosi ciues viuant, lex omnibus est præscribenda, ne bonorum exemplum in ciuitatis perniciem à malis pertrahatur.*

Ab effectis. Opp. *Diuitiæ in infinitum auctæ potentiam ciuibus, potentia verò terrorem hostibus parit: ergo liceret cuiuis diuitias accumulare. Antecedens probatur, quia diuites potentes apud suos, & formidolosi apud hostes, optimi suarum ciuitatum custodes æstimantur.*

Resp. *Fatẽdum est potentiam sæpe ex diuitijs nasci, sed sub iudicelis est; an ista potentia maiorem ciuibus domi, quàm hostibus externis terrorem injciat. Ne ergò hoc malum latiùs in ciuitate serpat, lege prohibendum est ne multi Crassi in ciuitate viuant.*

Ab impossibili. Opp. *Non solùm res ardua est, sed planè quæ fieri non potest, vt lege proportio diuitiarum cuiuis destinetur: ergo quisq; sibi est relinquendus.*

Resp. *Res quidem impossibilis est proportionem arithmeticam in vsum pertrahere, at res perfacilis cuiuis est proportionem geometricam in ciuitate præscribere & obseruare.*

## Distinctio secundæ quæstionis.

*An liceat auita patrimonia vendere?*

Auita patrimonia vendere non licet, quia
- Natura dedit,vt grati simus.
- Maiorum industria auxit, vt fortunati simus.
- Iustitiæ regula hoc prohibet, ne ciuitati molesti simus.
- Prouidentia idipsum requirit, ne ipsi mendici & posteris iniusti simus.

Ab adiuncto. Opp. *Quicquid est iure naturæ ac ciuitatis nostrum, à nobis iustè diuendi potest: Sed patrimonia sunt iure naturæ ac ciuitatis nostra: ergo iustè à nobis diuendi possunt.*

Resp.

Patrimonij vsus, possessio.

Resp. *In patrimonijs vt in alijs rebus duo spectantur, possessio & vsus: at vsus patrimoniorum non est vt venderentur, sed vt in illis non aliter quàm in chyrographis sanguinis veluti sigillis obsignatis auorum ac parentum nostrorum imagines seruarentur, nec non seruatæ posteritati in perpetuum religiosè traderentur. Negamus ergò hoc ipsum aut iure naturæ aut iure rectæ administratæ ciuitatis cuilibet licere.*

A testimonio.

Opp. *In multis rectè administratis ciuitatibus iura hæreditaria licet vendere: ergò licet. Antecedens experientia docet.*

Resp. *Credo equidem in multis rectè administratis ciuitatibus permitti & tolerari hoc malum, non autem præscribi & approbari: sic vsura sæpè permittitur sed non approbatur.*

A legitimo.

Opp. *Legibus istiusmodi pacta & contractus pro venditis patrimonijs confirmantur: ergo venditio ipsa videtur esse legitima.*

Resp. *Ineffranata libertas & profusio multorum has leges intulit non intentio ciuitatis: nam prospiciens iustitia inhibito hoc malo monstrum ingrassari, id est, vetitâ venditione patrimoniorum seditionem fore, lege permisit, non præscripsit; tolerauit vt malum, non definiuit vt iustum.*

## Distinctio tertiæ quæstionis.

*An tempore pacis res militaris exerceri debeat?*

Quòd pacis tempore res militaris exerceri debeat probatur multifariam, nimirum
- Temporis opportunitate.
- Similitudine.
- Ab incommodo.
- Ab exemplo vt legenti apertè in suppositione patet.

Ab aduersis.

Opp. *Res militaris perturbat pacem ciuitatis: ergò pacis tempore rem militarem exercere non licet. Antecedens probatur, quia nihil magis paci opponitur quàm bellum, nihil quieti ciuitatis quàm militum turba & contentio.*

Bellũ gerere, Rem bellicam exercere diuersa.

Resp. *Aliud est rem bellicam exercere, aliud est bellum gerere: tempore pacis exerceatur res bellica, non vt pax turbetur sed vt ciuitas ab hoste conseruetur: hæc ergò militum turba non debet esse molesta, cum non inuadit sed defendit ciuitatem.*

Opp.



Ab abusu.

Opp. *Vsu arteq; pugnandi audaces & contentiosi efficiuntur homines, verendum ergo est ne seditiosi fiant: quod si contingat, respub. maius periculum quàm commodum ex hoc exercitio caperet.*

Resp. *Quauis leuiuscula mala vmbra nos terrere non debet, nil boni acquiritur sine suspicione mali: at qui bonum negligit vt malum fugiat, male is agit vt honestè viuat. Respondeo ergò, licet vsu artéque pugnandi audaces & contentiosi plerumque efficiantur homines, non tamen in pace intermittendum esse hoc vtile opus, quia ex omissione maius periculum creatur ciuitati si hostis inuadat, quàm possit ex contentione paucorum militum, quos leges & duces moderantur.*

## Dubium.

*An opifices sint ciues?*

DIC mihi, Mars inuictissimè, cur claudicantem Vulcanum à ciuitate pellis? An quia faber fuit? An Venerem tibi sociam quæris impudice, & virum Veneris ciuem fuisse negas? Iniustè. Rectiùs tu Alexander qui Apellem pictorem inter nobiles, & Policletum sculptorẽ inter ciues locari iubes. Nescio sanè quid de te dicã, docte Phaleas, qui opifices seruos non ciues, fæces populi non partes hîc affirmas. Diophantus Athenis id olim sanxit sed stultè: Epidamnus ciuitas illa hanc legem tulit; sed infortunatè: nam ille explosus vt exul, hæc tyrannide oppressa vt vrbs infælix perijt. Vis vt probem hanc tuam iniustam esse sententiam? Sic ergò breuiter disputo. Opifices nati sunt liberi, ergò ciues esse debẽt. Iterum. Opificibus sublatis maxima pars ciuitatis cadit: ergò à libertate ciuitatis illos arcere non oportet. Adhuc, opifices onera reipub. maximè ferunt, ergò iniustum est si participes ciuitatis non fiant. Postremò, opifices non minus ad bonum ciuitatis tendunt quàm milites: sed milites sunt ciues: ergò etiam opifices. Concludo igitur contra te Phaleas, omnes opifices non seruos sed ciues esse: eos verò tecũ excludo, qui in sentinis & excremẽtis ciuitatis volutant, quiq; ex sordidulis & immũdis fęcibus tractandis ieiuna sua visce-

Cur opifices sint ciues.

ra ac intestina pascunt: hi enim ingenio minùs valentes aut serui à naturâ, aut seruis proximi habiti indigni luce & theatro ciuitatis sunt, officijsq; gerendis penitus inepti: qui verò in sua arte excellunt, rude libertatis carere non debent: nam Philosophus Zeuxim, Apellem, Polycletum artifices sapientes vocat. Imò Deus Beseleelem & Aoliam nobilissimos artifices ad tabernaculum fœderis, ad archam testimonij, ad propitiatorium, cunctaque vasa fingenda templi elegit. Exod. 35.

## Distinctio dubij.

Opifices ciues esse, probant
1 Authoritas maiorum, quæ sic instituit.
2 Æquitas rerum, quæ sic postulat.
3 Libertas naturæ, quæ sic requirit.
4 Paucitas ciuium, si ciues non fiant.
5 Calamitas ciuitatis, si lex prohibeat.

A definitione. Arist. pol. 3. cap. 1.

Opp. *Omnes ciues participes consilij & dignitatis in ciuitate sunt: sed indecorum est opifices, qui in sordidis artibus versantur, participes consilij & dignitatis fieri: ergò absurdum est vt opifices inter ciues annumerentur.*

Resp. *Etsi mechanicæ artes cum liberalibus comparatæ sordidæ dicantur, non tamen sic sunt simpliciter & omninò, neq; idcircò artifices sunt à consilio & dignitate pellendi, quia res viliores tractant; nam Cincinnatus, Curius, Fabritius ararunt, Cato opus in agris egit.*

A testimonio.

Opp. *Arist in cap. 3 lib. 3. negat opifices esse ciues: ergo non sunt.*

Resp. *Non negat simpliciter & absolutè, sed hoc solùm docet, quòd sordidi artifices ac mercenarij in omni reipub. constitutione, maximè in aristocratia non sint habendi ciues.*

Ab adiunctis.

Opp. *Consultatio acumen, dignitas experientiam postulat: sed opifices artibus suis intenti, neq; acumen ingenij neq; experientiam rerum habent: ergò opifices minùs apti sunt ad ciuitatem.*

Resp. *Non requiritur vt omnis ciuis qui particeps est imperandi & consultandi (vt ait Arist.) sit ille quidem per se philosophus, satis est si consilium audiat, & ad publicum bonum in suis actionibus pro facultate contendat.*

CAP.



## CAP. VI.

*An sacra deo offerentibus partem reipub. possidere liceat?*

*An iniuria, damnum, cædes, tantùm sub iudicium cadant?*

*An in benè administrata ciuitate summũ debeat esse tribunal ad quod appellatio fiat?*

*An filij in bello occumbentium pro patria publicis sumptibus alerentur?*

*An meliore lege inuentâ, prior sit abolenda?*

De Hippodamo Milesio, eiusque legibus, & earum refutatio.

NOVVS hic actus est nouaque scena, in qua primùm Hippodamus Milesius ille de ciuitate loquitur. Hic Hippodamus vt hoc loco docet Aristoteles, Euryphontis filius fuit, vir quidèm rerum exquisitarum studio vsque adeò deditus, vt nonnullis curiosiùs & delicatiùs viuere putaretur. Attendite quid dicat, nam aureis cicadis in capite, vestèque sumptuosa ornatus, iam in theatrum venit, octoque leges, quas ipse tulit, alta voce moreq; imperatorio profert. En ipse adest, silentio facto, ipsum loquentem audietis. Primùm ciuitatem ex decem millibus conflatam in agricolas, artifices, militesq; diuidi mandamus. Secundò agrum ciuitatis in tres partes, nempè sacram, publicam, priuatam, diuidimus; easdemque sacerdotibus, propugnatoribus, agricolis, distribui & partiri volumus. Tertiò solùm hæc tria iniuriam, damnum, & cædem, sub iudicium cadere existimamus. Quartò vnum supremum tribunal ad quod fiat appellatio in nostra ciuitate constituimus. Quintò, iudicibus priuatam consultationem negamus, ne fiat corruptio, illosque seorsim per tabulas ferre sententiam iubemus, ne vlla corruptionis habeatur suspicio. Sextò inuentores magnæ vtilitatis in ciuitate honore ac præmio afficiendos esse iudicamus. Septimò liberos illorum qui pro repub. in bello cadunt publicis sumptibus alendos esse censemus

Leges Hippodami 8.

semus. Postremò magistratibus per populum electis curam rerum publicarum, perigrinarum,& earum quæ ad pupillos pertinent committimus & commendamus.His ordine auditis, foribus quasi ruptis furentius in campum prosilit Arist. aduersarium non aliter quàm leo prædam quærit: at postquam metu tanti hostis eum fugisse didicit, in legum tabulas, quas fortè Hippodamus in fuga perdidit, non secùs quã Aiax furiosus in oues Vlyssis innocentes rapitur. Ac primùm in diuisione tradita hoc maximè reprehendit, quòd Hippodamus agricolis arma, artificibus & agros & arma dempserit. Si ità legem feras Hippodame(inquit)agricolas artificesque & armatorum seruos feciſſe, & participes ciuitatis eos negasse, & spe omnium honorum ac magistratuum spoliasse, & denique eos ad odium ciuitatis impulisse videris: quæ omnia quàm iniusta, quàm periculosa sunt in ciuitate, tu ipse (si tantum sit tibi otium à tonsore & vestiario) poteris cogitare. In secunda diuisione agri scilicet in tres partes,id vehementiùs carpit quòd Hippodamus sacerdotes & milites (quibus partes agrorum dedit) ab ipsis agricolis in colenda terra omninò non distinguat: quippè (vt ait) non docet quis sacerdotum ac militum agros coleret; quòd si ipsi hoc facere cogantur, tum inter hos & illos paruum discrimen ponitur: Sin verò alij id curę capessant, necesse est vt quarta pars ciuitatis ab his distincta tandem assiguetur. De contumeliâ, damno & cæde corumque tribunalibus nihil in textu videtur dicere Philosophus, neque de summo illo consensu seu prætorio, ad quod à cæteris fieret appellatio. Sed ab his dilapsus legem illam Hippodami de sententijs iudicum per tabulas ferendis penitùs tollendam censuit; nam perperam (inquit) sancitum est, vt causâ simpliciter intentatâ diuideretur sententia iudicum; hoc enim est iudicem arbitrum, & iudicium solùm arbitrium facere; nam in compromisso seu arbitrio hoc licet, at in iudicijs & tribunalibus non liceret, quippè hoc modò valdè anceps & confusa, imò potiùs turbulenta & seditiosa erit causarum in ciuitate iudicatio, vt exemplo

Refutatio.

Qui honorũ non sunt participes,serui sunt & seditiosi:artifices sine armis, sine agris,agricolæ inermes honores non assequuntur: ergo.

Vid Cic.pro Roscio Comædo.



emplo aperto debitoris & petitoris probat in textu. Legem de inuentoribus nouarum rerum in ciuitate ac de illorum præmio, plausibilem & speciosam appellat Philosophus, at si oppidò examinetur,plenam inquit periculis, plenam contumelijs esse inueniemus; præterquam quòd sine magna lite & negotio hoc fieri non possit, vt quisque rerum vtilium inuentor magnis honoribus remuneretur: ita periculosum est ne in remunerando aliqua demum innouatio vel saltèm rerum mutatio fiat. Legem de liberis eorum qui in bello ceciderunt publicè alendis, nec non illam de magistratibus per populum eligendis, aut approbare aut leuiùs refutare videtur. Verùm quoniam in sexta legę de inuentoribus rerum nouarũ suspecta fuit innouatio aut mutatio rerum, opportunè eam quæstionem vrget, An meliore lege inuentâ vetus sit antiquanda? In vtramq; partẽ primùm disputat,docetq; à similitudine artium & barbaricarum legum idipsum licere:at in calce huius Cap.concludit contrarium,scilicet non licere. Ratio est,quia mutatis sępè legibus ciues non assuescunt obedire præceptis ac institutis principum:frequens enim abrogatio legum obtemperandi eneruat consuetudinem, neq; est tantum commodi in mutatione legis,quantum damni in studio nouitatis: nam vt illa bonum ciuitatis intendit: ita hoc ouum scorpionis id est semen seditionis & inobedientiæ gignit. Quarè antiquis legibus nouas surrogare, est vim, robur, ac maiestatem legibus adimere. Sed hactenùs de summa eorum quæ in hoc Capite tractantur: nunc restat vt de quæstionibus propositis ordine disputemus. Prima est, An sacra facientibus pars aliqua reipub. debeatur? Religiosus & sanctus es Hippodame, qui vnam portionem terræ sacram, deiq; ministris consecratam esse volueris: in hoc Atheismum fugis, quòd Dei curam geras. Sed, proh dolor, in quam ætatem mundi? In quos mores incidimus? Vbi Numa Pompilius, qui tot Romæ augurum Collegia? Vbi Constantinus, qui tot sacra gymnasia struxit? Vbi Theodosius, qui tot vectigalia? Vbi Iustinianus, qui tot priuilegia dedit? Sed velum

Mutare remp. periculosum.

Quæstio 5.

Abrogatio legũ eneruat rempub.

Quęstio.1.

Eusebius in hist.Eccles.

velum coloribus obduco meis, ne se multi nigro carbone in his tabulis notatos videant: illos, illos inuo qui spolijs ecclesiæ & sacrilegijs ditati, sacerdotibus victum, ecclesiæ censum, pauperibus, viduis & orbatis cibum, ignorantibus veritatis lucem, desperantibus salutis anchoram sustulerunt. Sed quid miror? Religio diuitias peperit, & filia deuorauit matrem. Verùm quoniam hoc loco rationes & rerum causas quærimus, rem de qua agimus argumentis quibusdam probare conabimur. Primum ab antiqua consuetudine & exemplo maiorum ducitur, qui semper id curę habuerunt religionis, vt sacra facientibus omnia necessaria suppeditarint, imò certas easdemq; non minimas reipublicæ partes concesserint: sic olim Ægyptij, vt Trimigist. sic Lacedęmonij, vt Diogenes Laertius; sic Romani, vt Titus Liuius; sic omnes ac singulę penè gentes, vt vniuersi historici scribunt, fecisse dicuntur. Secundum argumentum à proprio & præmio virtutis petitur, nimirum quòd maximè studiosis virtutis amplissima bona fortunæ debeantur: sed sacra facientes maximè sunt studiosi virtutis, aut saltem esse debent: ergò sacra facientibus amplissima fortunæ bona debentur. Propositio est Aristotelis in Ethicorum primo, vbi probat opes, honores, cæteraque fortunæ bona bonis animi subijci & famulari, eademque solùm in signum virtutis ac pietatis attribui debere. Assumptio nota est. Nam sacerdotes à turba populi ideò selecti & segregati sunt, vt nullo rerum caducarum visco capti, nulla turpitudinis pice coinquinati, liberiùs sanctiusque Deo pro se & alijs subseruirent. Tertium argumentum quo vtar est à comparatione minoris ad maius, quippè si milites, artifices, agricolæ, qui gladio, malleo, ligone suum opus agunt, partem ciuitatis vendicent, quantò magis sacerdotes, qui tantùm res sacras tractant, externis rebus ad contemplationis quietem datis circumfluerent? Prætereà quoniam Deus est dator bonorum omnium, quæ homini in vsum vitæ conceduntur, esset quidem homo (vt ait Pythagoras) omnium animantium ingratissimus, si nihil Deo reddere

Religio diuitias peperit.

Pro agro sacro argumenta.

1. Ab exemplo.

2. A præmio.

Sacerdotes nullo rerum caducarum visco caperentur.

3. A comparatione.

4. Ab efficiēte.



reddere conaretur; at Deus his rebus per suos ministros ad augendam pietatem, ad inopiam subleuandam, aliaque sexcenta bona promouenda vtitur; consentaneum ergo est vt si Deo grati esse velimus, Dei ministris partem ciuitatis non negemus. Aliud hìc argumentum à diuino testimonio hauriri potest, vbi præcipit ac præscribit Deus vt filij Israel Leuitis de possessionibus suis multa concederent. Postremò à fine ciuitatis sic ratiocinari licet, quòd verè beata respublic. esse non possit, si tales in ea viri honorificè non tractentur, qui ciues à caducis ad æterna, ab humanis ad diuina, ab vndis lapsuræ voluptatis ad portum sempiternæ salutis perrahant. Sed video orationem hanc meam in immensum fluere, ad alteram ergò iam quæstionem venio, quæ est, An solùm iniuria, damnum & cædes sub iudicium cadant? Rem verbo peragam. Omnia flagitiosa ad iudicem delata, sunt aut voluntaria, aut non voluntaria; illa sunt vel simpliciter & omnino talia, vt furtum facere, adulterari; vel mixta, vt metu maioris mali conscientiam perstringere: hæc nempè non voluntaria iterum in violenta & inuita à Philosopho quinto Ethicorum partita sunt; quorum alia aperta, alia clandestina dicuntur, sed ista omnia sub his tribus continentur: ergò omnia quæ in iudicium cadunt, ad hæc tria capita reuocantur. Animaduertendum ergò est quòd hoc loco capita scelerum in genere, non ipsa scelera in specie demonstremus. Nam si voluntaria sint, iniuriam; si non voluntaria, damnum aut cædem denotant. Prætereà omnia scelera ciuitatis respiciunt aut contumeliam ciuium, quæ ad iniuriam; aut dispendium rerum, quæ ad damnum; aut nocumentum personarum, quæ ad cædem referuntur: Sapienter ergò Hippodamus tria in ciuitate tribunalia statuit in quibus distinctè omnes lites & controuersiæ ciuium definiantur. Sed ad tertiam festino quæstionem, quæ est, An summum debeat esse in ciuitate tribunal ad quod à cæteris fiat appellatio? Inter multa quæ præclarè ab Hippodamo hoc loco docentur, illud mihi quidem inprimis videtur vtile, quòd in rectè administrata ciuitate

5. à testimonio. Num. 35.

6. à fine.

Quæstio secunda.

Crimina voluntaria, non voluntaria, mixta.

Scelera ad Contumeliā, Dispendium, Nocumētum.

vnum summum erexerit tribunal, ad quod vt ad sacram anchoram & asylum à corruptis,indoctis,maleué affectis iudicibus confugiamus. In hoc tribunali grauissimos,iustissimos, prudentissimosque senes collocauit, qui ad sedem sine pompa, ad causam sine fraude, ad sententiam sine motu & ardore animi accederent. Nam quatuor (vt docent Philosophi) illustre iudicium reddunt, grauitas iudicis, authoritas legis, experientia litis, constantia mentis; grauitas iudicis, quia alitèr suspicio leuitatis nocet; authoritas legis, quia alitèr suspicio corruptionis nocet; experientia litis, ne ignorantia lædat; constantia mentis, vt non affectio sed sola iustitia in iudicio vincat. Cæterùm quid ago? De summo tribunali hoc loco agitur. Credo equidem neminem repugnaturum sententiæ Hippodami: at si repugnes,sic tecum à loco proportionis disputo. Sicut in regno est vna persona simpliciter superior reliquis, ita consentaneum est, vt sit vnum tribunal quod tantę authoritati adæquetur: sed est in regno vna persona simpliciter superior reliquis,itaq; consentaneum est vt sit vnum tribunal quod summam maiestatem habeat. Quid negas in hac demonstratione? Si maiorem,vide quid agas. Nam aureum sceptrum regibus, id est, summam potestatem negas: quippè dic mihi quomodo rex inter iudices summus dicatur, si amplissimum non habeat forum, in quo corruptas sententias aliorum iudicum aut reuocet, aut moderetur? Præterea ab incommodis, quæ sequuntur in ciuitate, deficiente hac curiâ, sic etiam arguo. Omnia damna omnesque iniuriæ à quocunque illatę resarciri debent in rectè administrata ciuitate, sed hoc fieri non potest sine summo tribunali: ergo necesse est vt summum tribunal in quauis rectè administrata ciuitate detur. Assumptionem probo, quia subditi damna & iniurias à principibus viris, imò sæpè ab ipsis regibus patiuntur; quæ quidem tolli non possunt, si summa curia non detur, in qua ciuitatis vocem reges sua sponte audiant, nec non legibus (quas ipsi tulerint) reuerenter obediant. Argumentum à lege diuina haustum hoc loco non vrgeo; quam-

Requiruntur in iudicijs, Iudicis grauitas,Legis authoritas,Litis experientia, Mentis constantia.

Pro appellatione rationes. 1. A proportione.

2. Ab incõmodo.

3. A testimonio.



quamuis expressis verbis id probat quod nunc defenditur, sic enim dominus ad Moysen loquitur. Prouideas de plebe viros prudentes & timentes dominum, in quibus est veritas,& qui oderunt auaritiam,& constitue ex eis tribunal & centuriones, quinquagenarios & decanos, qui iudicent populum omni tempore: quicquid autem maius fuerit,referent ad te,& minora iudicabunt. Huc etiam illud spectat, quòd Paulus à Festo iudice ad Cęsarem appellauerit. Porrò quid respondes ad illud argumentum, quod hoc modo à comparatis ducitur? In homine (qui parua est quasi ciuitas & minor mundus) aliud est forum mentis quod inferius, aliud conscientiæ quod superius dicitur: in illo ratio at cum affectu, in hoc sola iustitia moderatrix sedet; ab illo si affectus lędat fit appellatio, ab hoc verò nunquam. His positis & concessis sequitur quòd in magna ciuitate par tribunalium & iudiciorum ratio haberi debeat. Exempla optimarum rerumpublicarum hoc ipsum vsu & lege comprobantium non adfero; illud postremo in loco quasi in suppetijs habeo, nihil in florenti repub. desiderari debere, quod ciuitatem honorificam reddta: sed augustissimum principum tribunal ciuitatem honorificam reddit; ergò augustissimum principum tribunal desiderari non debet. Maior constat. Minor probatur, quia nihil augustius, nihil honorificentius in ciuitate habetur, quàm vt Cæsar maiestate summus, lex quasi loquens & ius animatum fiat. Quarta iam quæstio suo ordine & loco sequitur, quæ est, An in iusto bello morientium filij sint publicis alendi sumptibus? Hanc legem Hippodami, Athenienses olim, Macedones, Lacedæmonij, aliæq; antiquissimæ gentes religiosè coluerunt, quorum vestigia in hac re vtinam sequeremur: tunc sanè tot errones, tot mutilati, tot miseri & mendici à Marte in crucem non tollerentur: sed quod deplorandum est, consenuit hic vsus, tenerrimaq; hæc cura militum extincta iacet. Verùm cum hoc loco non quid fiat, sed quid fieri debeat perscrutemur, paucis hîc argumentis rem necessariam esse in beata ciuitate suademus, vt illorum filij, qui in prælio pro ciuitate cadunt, ciuita-

Exod. cap. 18.

Actor. 25.

4. A comparatis. In homine forum Mentis, Conscientiæ.

5. Ab adiuncto.

4. Quæstio. Lex Pisistrati.

Plut. in Solon.

Pro militum liberis publicè alendis argumenta.

1. Ab obiecto.

2. Ab effectis.

tis sumptibus alantur. Mors bellica (vt docet Arist.) est obiectum fortitudinis: quid ita? Non vt morientes in bello palmam amittant, sed vt perenne nomen in posteris retineant: at qui hoc fieri potest, si fortium liberi miseriam sentiant? Si Hectoris & Achillis filij mendici fiant? Prætereà cum patria morte suorum ciuium pro se bellantium viuat, ingrata profectò esset si occisorum filios inopiâ perire sinat. Quare si ciuitas grata esse aut videri velit, necesse est vt propugnatorum suorum liberos miseriâ premi non patiatur. Adhuc duplici animo & duplicatis (vt aiunt) viribus aggrediuntur hostem, qui hoc dilemmate in militiam veniunt. Esto, si viuamus, patria nos colet, si moriamur familiam alet, pugnemus ergò fortiter, alacriter irruamus in hostem: nam honor vitam, posterorum amor nostram mortem sequitur. Postremò hic vsus ciues fideles reddit, pacem conseruat, hostem pellit. Quis ergò hanc legem Hippodami non approbandam censet? Accedo nunc tandem ad vltimam thesin istius cap. quæ est, An lege meliori inuentâ prior sit abroganda? In aliud tempus magis proprium (vt in calce huius tractationis docet Philosophus) reseruari debet hæc quæstio; veruntamen quoniam vltrà citròque hîc adducuntur argumenta, abs re non erit sigillum tabulæ imprimere & sententiæ Aristotelis interpretationem adhibere. Lex secundùm Philosophos triplex est; diuina, humana, naturalis. Diuina est æterna & incommutabilis ratio, quâ Deus omnium author omnia & singula ad bona secundùm prouidentiam suam ac voluntatem dirigit, disponit, moderatur. Naturalis verò est quędam huius diuinæ legis participatio, quæ ordine ad bonum naturę tendit, quęque aliter ac est assuescere non potest. Humana denique est rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam ciuitatis habet edita & promulgata: huius conditiones sunt vt sit iusta, possibilis, secundùm naturam & consuetudinem patrię, loco ac tempori conueniens, necessaria, vtilis, aperta, non priuato commodo, sed totius ciuitatis vsu bonoque præscripta. De hac non de

3. A fine. Prosopopœia militantium.

4. Ab effectis.

5. Quæstio.

Lex Diuina, Humana, Naturalis.

Humanæ legis conditiones.



de illis hoc loco ab Aristotele disputatur, nam illę fixę, firmę & immutabiles manent, quippè Dei voluntas est causa prima; ancilla Dei nempè natura, vires secundę dedit, at Deus non mutatur, neque natura fallitur: homo verò qui tertiam finxit, errat sępè, cui mens cæca; ratio infirma, voluntas anceps & semper incerta fuit. Lex ergò humana quodammodò mutari & non mutari potest: mutari si magna mutandi vrgeat necessitas, non mutari si ex mutatione seditionis tempestas sequatur. Quòd mutari possit sic primùm à causa probo. Principium legis humanę est mutabile: ergò lex ipsa mutari potest. Antecedens constat, quia voluntas hominis est causa legis: at voluntas hominis anceps & infirma est. 2. à simili hoc ipsum probatur; quia vt fit in artibus: ita in legibus fieri potest: sed in artibus mutatio sępè est necessaria vtpote in medicina & gymnasticâ: ergò in legibus fieri potest mutatio. 3. ab absurdo sic ratiocinari possum. Si mutare leges non liceret, tum semper antiquę leges moresque viuerent: sed hoc est valdè absurdum: ergo mutare leges aliquando licet. Minor probatur in textu exemplo stultissimarum legum de gestandis gladijs & emendis vxoribus, quę à maioribus antiquitùs tradebantur. Stultum enim esset (vt hîc docetur) primorum hominum nunc leges admittere, cum illi quasi terrę filij nullum rerum vsum, nullam experientiam habentes easdem insulsè condiderint. His addo rationem vnam à necessario, quòd mutatio morum sit causa mutandi legum: sed sępe mores ciuitatis mutantur: ergo etiam & leges mutari possunt. At dicet hîc aliquis, quòd Arist. in calce istius cap. contrarium doceat, nec non aliquibus ex istis argumentis respondeat. Huic dico quòd Philosophus non omninò & absolutè leges immutabiles esse contēdat, sed hoc vult vt rarissimè & non nisi maximis iustissimisq; de causis legum mutatio fiat. Ratio est, quia leges humanę, causam à principe, & robur à consuetudine habent: at frequens mutatio legum & principem contemni & instituta ciuitatis violari facit: sequitur ergò quòd legum alteratio rarissima esse debeat.

Deus non mutatur, natura non fallitur.

Pro mutatione legum argmenta.

1. Ab efficiēte.

2. A simili. Vide Isocra. in Euagora.

3. Ab absurdo.

Plat. in Menone.

Vid. Thucidi. in proæmio historiæ.

Plat. 3. de legibus.

4. A necessario.

Contra mutationem legum.

Quare

Quare etsi præscribat ratio, vt melioribus inuentis antiquiores è tabulis ciuitatis dispungantur, si tamen consensus populi in hac re non sit, cicatricem potiùs ferendam esse docemus, quàm nouum & lethale vulnus faciendum. Nam quāuis posteriora cogitata hominum meliora sint prioribus, non tamen sunt illa statim ac temerè admittenda. Nam vt consuetudo veterum facilè non amittitur: ita vsus nouarum rerum haud facilè approbatur, imò plena periculis, plena procellis est omnis rerum in ciuitate commutatio. Si ergò meliore lege inuentâ veterem discupias abradere, cautè, sensim, ac prudenter te geras. Nam vt in corpore victus mutatio morbū, si sit subitanea: ita in ciuitate legis mutatio malum, si sit inconsiderata, gignit.

Distinctio primæ quæstionis.

*An sacra facientibus aliqua pars reipub. debeatur?*

Partem reipub. deberi sacra facientibus probant:
1 Antiquitas, quæ illis multa concessit.
2 Dignitas in illis virtutis, quæ eisdem fortunam subiectam fecit.
3 Excellentia officij, quæ idipsum requirit.
4 Prouidentia Dei, qui suos ministros non neglexit.
5 Authoritas verbi, quod hoc ipsum iubet.
6 Fælicitas ciuitatis, quæ summam sanctorum curam habere debet.

A coniugatis. Opp. *Sacerdotes non sunt partes ciuitatis: ergo partem ciuitatis possidere non debent. Antecedens probatur, quia illorum vita in sola contemplatione consistit, at ciuitas ex illis solùm constat qui in actione versantur, hinc ciues politici non theorici dicuntur. Argumentum tenet, quia possessiones ciuitatis solùm ciuibus debentur.*

Resp. *Quamuis apud Iudæos lege diuinâ quædam ciuitates ac possessiones destinatæ fuerint in vsum perpetuum Leuitarum, quas illorum filij iure hæreditario vendicarent: Mutatâ tamen nunc formâ ciuitatis non hæreditates & patrimonia, sed satis amplas faculitates & beneficia illis deberi existimamus, & sic deberi, vt iure ciuitatis tanquam sua sine vlla lite & molestia teneant. Nam quod semel est consecratum Deo, in humanum vsum conuerti non debet.*

Iure canonico. *Respondeo igitur, quamuis non sint in omni foro politico ciues, sunt tamen*



*tamen secundùm philosophiam meliores ciuibus, nec non partem ciuitatis merentur, quoniam in arce pietatis excubias pro ciuitate agunt.*

A contrarijs. Opp. *Vera rerum diuinarum contemplatio, rerumq; humanarum possessio inter se opponuntur: ergò sacerdotes rerum diuinarum contemplationi astricti rerum humanarum possessioni mancipari non debent. Antecedens probatur, quia contemplatio perpetuam quietem quærit, at res sollicita est rerum possessio, multùmq; animū humanum distrahit ac perturbat.*

Resp. *Possessio & contemplatio simpliciter non opponuntur, cura tamen possessionis quieti contemplationis opponitur. Alio ergò modo theorici, alio modo politici possessiones tenent: illi ne sint supra modum solliciti circa res quæ mūdi sunt, hij verò vt rerum aceruis collectis, suis posteris beneficij & gratiosi fiant; illi vt sine cura sibi debitis, hij vt sudore & industriâ comparatis gaudeant.*

Distinctio secundæ quæstionis.

*An iniuria, damnum, cædes, tantùm sub iudicium cadant?*

Omnia flagitia sunt vel contra
- Primam tabulam, quæ in Deum fiunt, de quibus hîc non agitur.
- Secundam tabulam, quæ respiciunt vel
  - Famam ciuis, vnde nominis detractio seu contumelia.
  - Rem ciuis, vnde damnum & possessionum iactura.
  - Vitam, vnde cædes & homicidium nascitur.

A distributione ab effectis. Opp. *Plurima sunt vitia morum quæ sub his non continentur: ergo inepta est hæc flagitiorum distributio. Antecedens probatur ab inductione timoris & audaciæ quæ fortitudini, prodigalitatis & auaritiæ quæ liberalitati, aliorumq; extremorum quæ alijs medijs opponuntur, quippe istorum nullum contumelia, damnum, aut homicidium dici potest.*

In morum vitijs spectantur duo, Habitus, Actus. Resp. *In vitijs morum considerantur duo, habitus & actus: habitus detrauationem voluntatis respicit, actus sentẽtiam iudicis requirit; quoad habitum sub hæc tria tribunalia vitia morum non cadunt, at quoad actum cadunt. Exempli causa. Actus auaritiæ cum iniuria, actus prodigalitatis cum dispendio coniungitur.*

Ab instantia. Opp. *Crassa ignorantia peccatum esse definitur: Sed crassa ignorantia*

*rantia, nec iniuria, nec damnum, nec cædes dicitur: ergo est aliquod ciuile peccatum quod sub his non continetur.*

Resp. *Crassa ignorantia consideratur bifariam, aut absolutè in se, & sic propriè sub his non comprehenditur; aut comparatè, respectu scelcris quod per ignorantiam committitur, & sic continetur.*

## Distinctio tertiæ quæstionis.

*An summum debeat esse tribunal ad quod fiat appellatio?*

Quòd summum debeat esse in ciuitate tribunal, ad quod fiat appellatio, probant

1 Maiestas regis, quæ sedem iudici sibi æquiualentem postulat.
2 Iusta administratio ciuitatis, quæ aliter summas lites non absoluit.
3 Testimonium diuinæ legis, quæ idipsum requirit.
4 Similitudo in alijs rebus, quæ in quouis cætu ac ordine vnum summum habent.
5 Exempla nationum, quæ hanc consuetudinem obseruant.
6 Beatitudo ciuium, qui hoc modo in pace viuunt.

Ab effecto. Opp. *Quicquid est causa cõtemptus non debet admitti in ciuitate: sed summũ tribunal est causa contemptus: ergò admitti non debet in ciuitate. Maior constat. Minor probatur, quia hoc cognito, quòd liceat appellare, inferiores iudices contemptui erunt.*

Resp. *Appellatio in quauis causâ licita non est, sed cum iniqua censura innocentem premat: non est ergò causa contemptus sed timoris, non contentionis sed quietis: nam hoc asylum his solùm patet, qui grauamine iudicum vulnerantur.*

Opp. *Contingit sæpè vt reges iniurias damnaq; inferant subditis, at constituto summo tribunali à regibus ad illud fieri non potest appellatio: ergo frustra in salutem ciuium istiusmodi constituitur. Maior patet. Minor confirmatur, quia reges sunt soluti legibus, neq; alium in regno iudicem aut moderatorem habent, sunt enim ipsi summi.*

Resp. *Si subditi furentiùs à rege iniurijs aut damnis vulnerentur, possunt ad hanc curiam appellare. Nam quamuis teneatur hoc*

*tate communitatis: Reges enim iurati sunt in salutem, non in perniciem suorum ciuium.*

## Distinctio quartæ quæstionis.

*An filij mortuorum in bello publicis sumptibus ciuitatis sint alendi?*

Filij occumbentium in bello pro patria sunt publico ærario alendi, ne
- Pereat mortis bellicæ memoria.
- Sequatur inde multorum miseria.
- Langueſcat militaris scientia.
- Augeatur hostis audacia.

Ab officio. Opp. *Est cuiusuis officium pugnare & mori pro patria: ergo ex merito nemo tantum beneficium vendicare debet. Antecedens patet, quia patria est communis parens omnium. Minor probatur, quia pugnare aut mori pro patria non meritum, sed debitum haberi debet.*

Resp. *Bifariam huic argumento respondetur, vel quòd patria non meritum pugnantis sed magnificentiam & honorem ciuitatis respiciat, vel quòd pereuntes in bello hoc ipsum mercantur. Nam si ciuitatis vitam, quæ est maximum beneficium naturæ, restituere non potest, æquitas postulat vt superstiti familiæ grata esse videatur. Præterea cum meritum non à facto quod finitur tempore, sed à voluntate dependet, cumq; voluntas vnius ciuis infinita sit in conseruandâ patriâ, curam posteritatis non tam ex fauore quàm ex merito exigi & requiri posse existimamus.*

Ab adiuncto. Opp. *Nihil fieri debet in ciuitate quod periculum & damnum ciuitati adfert: sed liberos occumbentium in bello alere, periculum & damnum ciuitati adfert: ergo fieri non debet. Minor probatur, quia spe tanti beneficij istorum filij otiosi erunt, nec non in ijs alendis (si illorum turba sit infinitior) opes ciuitatis exhaurientur.*

Opp. *Ciuitas nec ingrata est, nec improuida, sic ergò istis confert beneficium, vt omne fugiat & declinet periculum: non enim hoc præmium proponit vt sine omni studio ac cura viuatur, sed vt secundùm ordinem ac leges viuentes parentum vestigia imitemur.*

## Distinctio quintæ quæstionis.

*An meliore lege inuentâ prior sit abroganda?*

Legum aliæ
- Diuinæ, quæ Deum Naturales, quæ naturam } Suam causam habent, quæque mutari non possunt.
- Humanæ, quæ mutari quidé possunt ob causas superiùs allatas, sed in mutatione debent considerari quatuor,
  1. Diuturna consultatio,
  2. Morum consuetudo,
  3. Veterum legum obseruatio,
  4. Populi inclinatio, nec non si mutes eiusdé plena consensio.

Ad mutationem legum requisita.

Ab authoritate. Opp. *Aristoteles defendit leges non esse mutandas, ergò malè hîc defenditur contrarium.*

Resp. *Non defendit omninò leges non esse mutandas: sed rem admodum periculosam esse ostendit veteres leges antiquari, earumq; loco nouas substituere: si ergo mala quæ eueniunt ex antiqua lege, non sunt longè maxima, non statim tollenda est, ne innouatio tumultum concitet.*

Ab effectis. Opp. *Maiores olim multas leges admodum absurdas & barbaras condiderunt, quas mutare necessariò cogimur: ergò non est periculosum veteres leges abrogare. Antecedens est Arist. in textu.*

Vide Isocrat. in Euag. & Paneg. Resp. *Concedimus absurdas leges & barbaricas esse quidem extirpandas, sed paulatim idq; cum consensu populi. Nam aliter plus noceret mala plebis consuetudo, quàm bona legis recens commutatio.*

## Dubium capitis.

*An melius sit viuâ voce quàm scriptâ tabulâ iudicem in foro sententiam ferre?*

Pro viua voce. NImis suspicios us vel potiùs superstitios us es Hippodame, qui Soloni & Lycurgo vocem & linguam negas. Aristides in foro non corrumpitur, Scæuola in iudicio affectibus non vincitur; melius est ergò viuâ voce ad terrorem iudicis, quàm scriptâ tabulâ ob timorem corruptionis, sententiam in senatu aut tribunali ferri. Scrutinium hoc tuum suspicionem, calculis sententiam ferre seditionem alit; veritas



ritas nuda est, apertè iustitia loquitur; lex voce non caret, cur ergò legis interpretem silere in tribunali iubes? Sed punctis ago. Viua vox iudicis maiorem timorem incutit quàm tabula cõscripta: ergò in foro melius est viuâ voce sententiam ferre. Præterea veritas angulos non quærit, cur ergò æquitas (veritatis comes) incertos calculos postularet? Porrò iudex est publica persona ciuitatis, tribunal in quo sedet est oraculum iustitiæ, lex norma est & moderatrix curiæ: sed hęc omnia iudicis sanctam & solemnem requirunt vocem: non ergò sub pallio & silentio in senatu aut foro agerẽtur. Postremò tabula occulta incertum potiùs arbitrium quàm certum ac definitum iudicium facit, sequitur ergò celebrem vocem iudicis in definiẽdis litibus ciuitatis necessariò requiri. Omitto hîc vsum omnium rectè administratarum ciuitatum, quæ hãc laudabilem semper tenuerunt consuetudinem, vt palam non occultè iudices sententias loquerentur. 1. Ab effecto. 2. A Pari. 3. A persona iudicis. 4. A contrario. Ab exemplo.

Meliùs viua voce quàm scriptâ tabulâ sententia in iudicio fertur propter
- Maiorem timoré iudicis, Maioré reuerentiã legis, Honorem ciuitatis, Celebritaté tribunalis, } Quæ omnia nõ in tenebris sed in luce hominum iudicia tractari postulant.

Ab adiuncto. Opp. *Scriptis sententiam ferre ob duas causas videtur esse melius, & quia maiorem iniycit metum iudicibus, ne iniquè iudicantes ignominiâ apud posteros laborent, & quia scripta tabula maiorem deliberationem quàm vox viua habet: sequitur ergò quòd melius sit per scriptam tabulam quàm per vocem in iudicijs sententiam tradere.*

Resp. *Causæ hæ duæ pondus ac momentum rationum quæ modò adductæ sunt haud labefactant. Nam ad reuerentiam legis plus metus populi quàm iudicis requiritur. Præterea nescio an maius odium vox iniqua quàm tabula iniusta concitet. Postremò negamus maiorem deliberationem ad scriptam tabulam quàm ad viuam vocem requiri: cùm deliberatio sit multorum de rebus incertis consultãtium, quam Hippodamus iudicibus pernegauit.*

A pari. Opp. *Res maiores ciuitatis scrutinio & tabulis aguntur: vt electiones magistratuum in multis locis: ergò absurdum non est iudicium eodem modo ferri.*

Resp. *Iudicij & electionis non est par ratio. Nam in iudicio vo-*

*cem vnius iudicis, in electione vocem ciuitatis audire oportet. Cum ergò multitudo confusè loquitur, distinctè vnus; melius est vt electio scriptis ad euitandam confusionem fiat; iudicium verò quod ab vno aut saltem paucis dependet, multò melius apertè quam occultè, voce quàm scripto traditur.*

## CAP. VII.

*An serui indulgentiùs vel asperiùs, in ciuitate tractari debeant?*
*An tutiùs diuites quàm pauperes in magistratum eligantur?*
*An ad reddendam officij rationẽ impelli debeat magistratus?*
*An aliquis cogi possit ad magistratum?*

In Spartana rep. reprehenduntur multa.

VICTORIA in paucos animatus Philosophorũ Hector in turbam confidentiùs irruit. Non diutiùs in Socratem & Platonẽ, non ampliùs in Phaleam & Hippodamum, sed his deiectis in magnas ciuitates intonat. Lacedæmonem, Cretam, Carthaginem, aliasque gentes nonnullas à pace ad bellum, à mœnibus ad arma vrget. Et quoniam Lacedæmonij omnium & sapientiâ & fortitudine amplissimi habebantur, cum illis in prima acie confligere & concertare gestit. Illos ergò alta voce in Martem euocat, illorum ciuitatem multis maculis dedecorat & aspergit, illorum leges ineptas, ordines peruersos, magistratus iniustos, mores dissolutos, iniquas consuetudines, totam denique administrandi formã inconsideratam esse concludit; hæc omnia tam perspicua ac dilucida sunt in textu, vt radios soli videamur addere, si longiore verborũ gyro vteremur: ad certa ergò capita omnia in hoc certamine comprehensa deducemus, propositasque quæstiones (vt ordine occurrunt) fusiùs paulò pertractabimus. Summatim in hoc tractatu decem reprehendit Aristoteles, feruitium Lacedæmoniorum, licentiam vitæ, diuisionem rerum, magistratum, senatoriam dignitatem

10. in repub. Lacedæmoniorum redarguuntur.



nitatem, regnum, conuiuia, præfecturam nauium, syntaxim legum, ærarij inopiam. Postquam igitur in fronte istius refutationis duo proposuerit, alterum vt in examinanda administratione aliarum ciuitatum sedulò quæramus, quid sit optimè legibus constitutum, alterum quid moribus obseruatum: ad illud accedit quod nunc tractamus; An serui indulgentiùs an asperiùs in ciuitate tractari debeant; conclusio hæc prima sic se habet. Inutile est seruos in repub. constituere, & legem quâ ad obediendum instigentur negligere: sed sic suos seruos habuerunt Lacedæmonij: ergò iure in hoc reprehendi debent. Maior probatur, quia deficiente lege quâ coerceantur, procliues serui ad seditionem fiunt, nec non facilè aduersis casibus ciuitatis insidiantes imminent. Minor constat ab exemplis Elotarum, qui in ipsos Lacedæmonios; & Penestarum, qui in Thessalos sæpissimè conspirârunt. Nã si finitimi sint infesti (vt Lacedæmonijs Argiui, Messenij, Arcades; vt Thessalis Achiui, Perræbi, Magnesij fuerunt) facillimè alliciuntur serui in suos dominos perniciem machinari, suasque dextras in patriam hostibus porrigere. Nam vt liberale ingenium libertatem: ita seruile licentiam quærit. Epiphonema ergò illud verissimum est quo vtitur Philosophus, nempè quòd magni negotij sit legem quâ seruos in officio contineas inuenire; nam si cum eis clementiùs agas, petulanter & dissolutè viuunt; si verò asperiùs, in dominos crudeles insidias moliuntur: cæterùm grauiore iugo potius premi, quã rude (vt aiunt) donari (meâ quidem opinione) debent. Hoc autem probo à natura seruitutis, à simili, ab exemplo, ab vsu politicorum principum, ab inutili vel potius periculo si hoc non fiat. A natura seruitutis, quę requirit vt serui dominorum potestati ac imperio subijciantur, quod quidem commodè fieri non potest, si ferrum seueritatis aliquandò non sentiant, imò si Draconis legem sanguine conscriptam perpetuò non reformident. Verum certè est illud, Familiaritas contemptum, seueritas reuerentiam parit. A simili, quia vt feræ edomari non possunt, si verba non timeant: ita serui contumaces efficiuntur, si iugum non ferant. Ab exemplo nempè

Quæstio prima.

Helotæ Lacedæmonijs, Penestæ Thessalis, Periœci Cretensibus serui erant. illi duo sæpe defecerunt, isti seruarunt fidem.

Serui tractari debent seuerius.

1. A natura seruitutis.

2. A simili.

3. Ab exemplo.

Iustin.lib.2. pè Scytharum, qui diutiùs absentes reuersi tandem rebelles suos seruos inuenerunt, quos demùm non verbis sed verberibus, non gladijs sed virgis superasse dicuntur. Ab vsu politicorum principum, qui legibus olim statuerunt vt serui metu potiùs quàm lenitate ad officium cogerentur: sic olim Romani Cæsares barbaricas gentes, sic olim Britanni principes vicinas nationes, sic olim sapientes proceres dociles ad seditionem seruos diutissimè in officio tenuerunt. A periculo, quia sine frænis peruersa natura serui in audaciã, audacia in seditionem, seditio in interitũ ciuitatis tendet. Sapienter ille:

4. Ab vsu.

5. A periculo.

Iuuenal. *Asperius misero nihil est cum surgit in altum.*

Da vela furiosis fluctibus, mirum est si non subsidat nauis; ciuitas tuta non est in qua mancipia regnant: seruos ergò, vt seruos tractare oportet, non vt laxatis habenis insolescant, sed vt retractis officiosè & moderatè viuant. Secunda conclusio istius capitis est in qua legislator Lacedæmoniorum carpitur, quòd nullâ lege fæminas ad decorum vitæ ac castitatem in ea ciuitate astrinxerit. Fæminæ enim Lacedęmoniorum ad omne intemperantiæ ac libidinis genus solutæ ac effusæ fuerunt. Nam, vt refert Trogus Pompeius, cùm decem continuos annos in obsidione Messenæ (ob suas virgines in Messeniorum conuiuio stupratas) à suis laribus & focis abfuerunt Lacedæmonij, illorum fæminę tam turpiter, tam libidinosè vixerunt, vt mirum non sit si Lycurgus, quasi desperans de illarum candore & honestate, nullam omninò legem de illis tulerit; sed inconsideratè hoc factum fuisse probat Philosophus, idq; hac ratione. In qua ciuitate multitudo fæminarum malè se habet, ea pro dimidia parte est malè instituta: at Lacedæmone multitudo fæminarum malè se habet: Lacedæmon ergò pro dimidia parte est malè instituta. Propositionem experientia probat, quia apertâ hac fænestrâ Veneris Martes inermes & nudi fiunt, furentiùs enim armati ad concubitum cum Venere, quàm ad conflictum & certamen cum hoste rapiuntur. Præterea hinc auidiùs quæruntur diuitiæ, non vt meliùs viuatur, sed vt quisque Venere potiatur

Secunda reprehensio.

Plut.in Agid. & Cleomene.

Plat.polit.5.

Pelius Menelao apud Eurip.in Andromacha.

Iustin.lib.3.

Venus martem inermem reddit.

Homer. Ouid. & Lucret.

Vt de Celtis Arist. hoc loco & Athenæus lib.13.

suâ.



Sed quid hìc Lacedæmonem accuso? O vtinam aliæ vrbes ac ciuitates hoc dulci veneno non caperentur. Diana in siluis viuit, Minerua secessum quærit; at Laides in altis turribus Corinthi locatæ splendent. Demosthenes Athænas deserit vt istam Laidem, Antonius Romam vt Cleopatram cerneret; ille tanti emere pænitentiam noluit, hic misero amore desperauit. Quid dicam? Mollities huius sexus est refrænanda, nam aliter canities ciuitatis sequitur; at dices: tam mollis columba ceruicem iugo non submitteret: gratiosus eris qui fœminam bile carere doces, sed fabula hæc est. Ad tertiam nunc conclusionẽ venio, quæ est de inæquali ac dispari diuisione rerum; Nam inter Lacedęmonios alij rem familiarem amplissimam, alij angustissimam lege possederunt; vnde contigit vt ciuitas in paucorum redacta potestatem miseriùs viueret: nam etsi legislator patrimonia prohibuit vendere, errauit tamen in eo, quòd donare & testamento relinquere cuiq; in ciuitate legibus permiserit. Hinc inquit est agrorum & possessionum translatio, hinc pauperum oppressio, hinc fœminarum licentia & dissolutio morum; sed apertus est Arist. Ad quartum ergò quod redarguitur festinat oratio. Hoc loco de Ephoria, i. de imperio Ephororum disputat Philosophus, idemq; reprehendit quòd de plebe isti magistratus crearentur, ratio sic se habet. Id fieri non debet in ciuitate quod periculosum est reipublicæ: sed est periculosum Ephoros aut magistratus de plebe eligere: ergò fieri non debet. Assumptio bifariam in textu probatur, & quia pauperes quęstui habebunt ciuitatem, & quia verendum est ne ruentes ad gubernacula reipub. ex aristocratia, democratiam faciant. Sed attende hìc, studiose lector, nam in hac conclusione secunda continetur quæstio: An tutiùs diuites quàm pauperes in magistratum sint eligendi. Quid? An paupertas tibi causa videtur Arist. cur Fabritio, cur Aristidi negetur magistratus? An solùm deorum filios in regiam solis admittendos putas? an cæcam fortunam potiùs quàm virtutem authoritate prælucere velis? an verum honorem in diuitijs solùm nunc ponis? Sed quid ago? video quid

Ad nostra tempora apostrophe.

Tertia reprehensio.

Ex magnis mulierum dotibus & hæreditatibus bonorũ inæqualitas, ex illa paupertas & virorum penuria, ex his ruina reip. ergo malè instituta.

Epitades non Lycurgus.

Plut.in Agide.

Quarta reprehensio.

Secunda quæstio.

doceas:non vis vt opinor pauperes omninò à magistratu excludi,(nã alibi contrariũ doces)sed hoc velis(ni fallor)potiùs diuites quã pauperes in magistratũ assumendos.Si hoc dicas rationes quæro;hoc dico,idq; 4.argumentis probo. Primùm quia probabile est diuites pecunijs,aut affectibus minùs circumagi posse,quàm pauperes. 2.quia diuites plerũq; maiorẽ rerum experientiam habent.3.quia splendidiùs ac honorificentiùs in ciuitate se gerũt. Postremò quia opibus affluentes multò liberaliùs ac magnificentiùs viuunt ; hæc dico non quòd existimem omnem aditũ ad magistratũ honestæ paupertati intercludi debere, sed quòd ex præscripto prudentiæ in rectè instituta politia longè consultius sit globum ciuitatis diuitibus honestis quã pauperibus tametsi bonis cõmittere: non enim in contẽplatione solùm virtutis,sed etiã in actione quæ diuitias postulat,administratio ciuitatis constat.Quintũ quod reprehendit Arist. est senatus Lacedæmoniorũ,in quo quinque vitia & errata notat. Primum est quòd senatores apud illos perpetui sunt.Secundum quòd nulla ab eis muneris ratio reposcitur.Tertium quòd legislatori etiam suspecti habentur. Quartum quòd eorum electio delectu penè puerili exercetur. Quintũ quòd cuiuis liceret petere ac ambire magistratum.Ex his quædam natę motęq, sunt quęstiones,quæ nunc breuiter à nobis suo loco & ordine discutientur.Prima est, an à magistratibus ratio muneris exigi & postulari debeat.Exigi debere affirmo,idq; ab oppositis, à maiore,à simili, à proportione & fine probo. Ab oppositis quia hoc dato, q nunquã ad rationẽ officij reddendã impellãtur magistratus, metus erit,ne fontes ciuitatis,exhaustis ęrarij opibus,exarescãt,& ne ipsi magistratus muneribus acceptis ab officio,prudẽtiâ,rectoq; iudicio deflectãt.A maiore,quia si reges ac cõsulares viri leges,quas ipse tulerint ferre cogãtur,cũ dãnũ aut iniuriã suis ciuibus intulerint; quãto magis inferiores magistratus ad rationẽ officij reddẽdã in bene gubernata ciuitate cogerẽtur?à simili,quia vt minores potẽtię ac facultates animi iudicio rationis debẽt subscribere,eidẽq; rationẽ suorũ actuũ reddere,si nõ sint rebelles ac contumaces:ita inferiores magistratus,

Ditiores ad gubernacula admouendos, argumenta.

Quinta reprehensio.

Quæstio tertia.

Pro exigendis rationibus rationes. 4.

1.Ab oppositis.

2.A maiore.

3.A simili.



magistratus,qui sunt veluti potẽtiæ vnius animi,rationẽ suorũ munerũ sũmis in potestate viris reddere tenentur,si nõ sint corrupti & seditiosi ciues.A proportione quoniã hoc posito q ciuiles magistratus & honores, sint quædã veluti stellæ prælucẽtes alijs,cõsentaneũ est(si non luceant)vt radijs decisis in curiam vocentur Iouis.Accusentur incuriæ, & si immane etiam sit scelus condemnentur. Ratio est,quia priuilegiũ meretur amittere qui cõcessã sibi abutitur potestate.Cęterũ qui fieri hęc possunt, si ad rationẽ officij reddendã non impellãtur magistratus? Postremò à fine,quia sic obseruabitur ordo in ambiendo magistratu, nec non penitus tolletur ambitionis fomes & cõtentio.Nam cum hoc semel ciues intelligũt se rationẽ dignitatis reddituros, non tam amore amplitudinis inflãmãtur ad petendũ magistratũ,quàm timore reddendę rationis,ne malè se gerant in officio, deterrentur. Postremum,quod in senatu Lacedęmoniorũ reprehenditur, erratũ est,quòd illi magistratus suos quasi venales omnibus proposuerint, cùm potius(vt hîc docet) bonos viros sine omni ambitione ad magistratũ gerendũ cõpulissent:hinc vltima, quã in hoc cap.tractamus,enascitur dubitatio,nempe,An aliquis cogi possit ad magistratũ?Sapiẽter tu quidẽ Arist. bonis viris cõsulis,sapiẽtiùs ciuitati;nã quã beata erit illa tandẽ administratio reip. in quâ ad subsellia dignitatis trahantur boni viri? Nunc tẽporũ(deus bone)quot Clodij ad tribunal,quot Catilinę ad consulatũ,quot Sardanapali ad imperiũ vbiq; gentiũ rapiuntur?boni viri ad magistratum ais ? ad pistrinũ diceres.

4.A proportione.

5.A fine.

Quæstio quarta.

Ouid.Metam.

Nam *Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.*

Macch. Princ. cap.18.

Boni viri sunt simplices,imò pleriq; stulti,rudes & ignari rerũ:in arce ciuitatis politici esse debent, quibus(vt ait Machiauellus ) optãdũ est vt potius boni videãtur quã vt sint:sed in eo quod fieri oporteret,consiliũ rectè philosophãtiũ nõ malè viuẽtiũ sequar.Bonos ergo viros ad capessendũ magistratum cogi debere puto:hoc postulãt dignitas virtutis, vtilitas ciuitatis quæ beata tum est, cum viri boni regnent: salus ciuium, qui bonorum exemplo meliores facti,iustorum imperio facilè obsequũtur;cõstitutio legũ, quæ bonis sẽper virtutis insig-

Dignos ad magistratum cogendos argumenta 4.

nia concedi iubent: si dicas hęc rectè probare bonos quidem ad magistratum eligendos, non tamẽ impellendos esse: respondeo suadere non solùm vt eligantur, sed etiam, si nimis difficiles ac verecundi sint, vi legis acrius extimulentur. Nam, vt naturâ iubente pars vna discrimen subire cogitur potius quàm totum pereat: ita iustitia requirit vt boni, qui sunt partes ciuitatis, periculosum magistratum gerant, potius quàm respublica vllum naufragium sentiat. Reliqua quæ in reprehensionem cadunt, sunt regnum, conuiuia, præfectura nauium, syntaxis legum, ærarij inopia. Regnum, quia reges Lacedæmoniorum ex Heraclidarum genere iure hæreditario imperabant. Aristoteli autem consultius videtur regem ex rebus gestis animiqúe dotibus æstimari. Conuiuia reprehendit, quia symbolum in illis dare non minus pauperes quàm diuites cogebantur. Pręfecturam nauium arguit, quia nauarchus. i. præfectus classis non aliter quàm tyrannus perpetuus extitit. Syntaxin legũ in suspicionem trahit, quia Lacedæmon omnes suas leges ad bellicã laudem ac virtutem retulit, quasi aliæ virtutes pręter fortitudinem non floruissent. Inopiam deniq; ærarij vituperat, quia publicâ deficiente pecuniâ, necesse est vt ipsa respub. (tametsi agris sit opulenta) hostis inuasionibus conquassetur.

Sexta reprehensio. Arist. pol. 3. cap. 11.

Erant nauarchi reges. Vide Plat. de legib. 1. Arist. pol. 7. cap. 2. 3. 14. Polyb. hist. lib. 6. Archidamus apud Thucid.

### Distinctio primæ quæstionis.

*An serui indulgentiùs vel asperiùs tractari debeant?*

Serui legibus seuerioribus sunt coercendi propter

1 Illorum contumacem naturam, quæ aliter docilis est ad seditionem.
2 Illorum petulantiam, quæ semper procliuis est ad contemptum.
3 Illorum infimam conditionem & ordinem, quæ perpetuam requirunt disciplinam.
4 Bonum publicum ciuitatis, quia aliter opus nullum perageretur, nullum omninò perficeretur negotium.

Cur serui coercendi.

Opp. *Imperium illud infirmius est quod vi fit quàm quod amicitiâ iungitur: ergò imperium in seruos clementius ac leuius esse debet. Antecedens probatur, quia benignitate & clementiâ nobis deuinciuntur homines.*

Ab aduersis.

Resp.



Resp. *Disciplina in seruum non arguit sæuitia aut crudelitatis dominium; seueritas cum lenitate, disciplina cum clementiâ in herili imperio vnà coniungi & copulari possunt. Hoc tamen volumus, meliùs seueritatis ferro seruos quàm nimiâ indulgentiâ gubernari.*

Opp. *Homo ab humanitate dicitur: ergo magis ad humanitatem quàm seueritatem tenderet.*

A coniugatis.

Resp. *Ab humanitate non discedit si rationis imperium ac præscriptum sequatur, at ratio postulat vt serui asperiùs ad officium stimulentur, quia aliter illorum contumax natura non vincitur.*

### Distinctio secundæ quæstionis.

*An tutiùs diuites quàm pauperes in magistratum eligantur?*

Diuites potiùs q̃ pauperes sunt eligendi in magistratum, quia

1 Abundantes rerum copiâ rariùs pecuniâ & affectione mouentur.
2 Viuentes in luce hominum maiorem rerum experientiam habent.
3 Possidentes multa liberalitate & magnificentiâ pluribus prodesse possunt.
4 In tribunali sedentes splendidiùs ac honorificentiùs se gerunt.

Opp. *Omnis malorum occasio in repub. est fugienda: sed opulentia est multorum malorum occasio: ergo est fugienda. His datis sequitur quòd potiùs pauperes, qui minùs nocere possunt, quàm diuites in magistratum eligantur. Minor constat, quia diuitiæ superbos, seditiosos, tyrannos plerumq; faciunt, vsumq; virtutis magis quàm bona paupertas negant.*

Ab adiuncto.

Resp. *Opulentia non est occasio mali, sed concupiscentia hominis, neq; in gerendo magistratu tot malorum agmina opulentiam, quot paupertatem sequuntur: Nam diuites fortassè prodigi, at pauperes auari & tyranni fiunt. Præterea cum vita magistratus liberalis, splendida, & magnifica esse debeat, nihil absurdius est quàm inopem & indigentem rerum, qui neq; vsum liberalitatis nec magnificentiæ tenet in magistratum eligere, cum enim alijs aurum daret, sibi vix allium seruat.*

Opp. *Diuitiæ nullo modo sunt anteponendæ virtuti, sed hominem pauperem ac studiosum negligere, solumq; diuitem admittere, est diuitias virtuti anteponere: ergo nullo modo hoc fieri debet.*

A comparatis.

Resp. *Honesta paupertas non contemnitur, imò sæpè est ad gubernacula ciuitatis admittenda. Sed hoc loco quæritur, an cæteris paribus potius diues quàm pauper sit eligendus? Diuitem concludit Aristoteles, quia is melius præmia virtutis distribuere quàm egenus potest.*

Ab adiunctis. Opp. *Optandum est vt meliores in bene instituta repub. magistratum teneant; sed si bona animi spectes, pauperes plerumq; diuitibus sunt meliores: ergò optandum est vt potius pauperes quàm diuites ad magistratum peruehantur. Minor constat, quia pauperes rariùs quàm diuites otio ac voluptatum escâ capiuntur.*

Bonum Hominis, Ciuitatis. Virtus animi, officij. Resp. *Attendendum est quòd in electione non tam bonũ hominis quàm bonum ciuitatis considerari debeat, illi ergò qui sunt simpliciter minus boni, melioribus sæpè sunt præferendi: nã in electione non tam virtus animi, quàm virtus officij spectari solet. Diues ergò qui magis in vtilitatem reipub tendit, meliorem locum habere debet. Nam vt Deus aliquando gratias gratis datas minùs bonis concedit in vsum ecclesiæ: ita viris omni numero non perfectis clauus imperij traditur in vsum ciuitatis.*

## Distinctio tertiæ quæstionis.

*An ad reddendam officij rationem impelli debeat magistratus?*

Magistratus impelli debet ad rationem officij,
1. Quia hoc modo auaritiæ tollitur occasio.
2. Quia hinc iustior & tolerabilior est futura ciuitatis administratio.
3. Quia sic impeditur ac mitigatur hominum ambitio.
4. Quia hoc fieri iubent maiorum nostrorum leges ac consuetudo.

A disparatis. Opp. *Seruile est impelli, sed magistratus non est seruus: ergo impelli non debet. Maior probatur, quia impelli seruitutem arguit, & contemptum authoritatis parit.*

Resp. *Aliud est lege vt magistratum, aliud est vi vt seruum ad officium cogi. Magistratus est publica persona ciuitatis, qui ciuitati publicorum bonorum rationem reddere vocatus debet; nam bona publica non sunt magistratus, sed ciuitatis.*

Opp.



A definitione Opp. *Magistratus est moderator legis, ergo legi non subijcitur. Quo concesso magistratus lege non cogeretur.*

Opp. *Est moderator legis, sed ita vt nõ sine lege viuat, rectè ergò instituitur (ne langueſcat ciuitas) vt rationem officij reddat magistratus.*

## Distinctio quartæ quæstionis.

*An aliquis cogi possit ad magistratum?*

Cogi posse idoneum ad magistratũ suadent
- Dignitas virtutis, cui debetur honor.
- Vtilitas ciuitatis, quæ sic beata redditur.
- Salus ciuium, qui bonis facilè obtemperant.
- Constitutio legum, quæ sic requirunt.

Opp. *Voluntas humana cogi non potest, ergo nemo nisi volens ad magistratum cogitur.* Ab adiuncto.

Resp. *Quamuis voluntas cogi non potest simpliciter & absolutè, comparatè tamen potest, vt docet Philosophus quinto Ethicorum, & sic hoc loco impulsio intelligitur.*

Opp. *Boni viri semper parati sunt reipublicæ prodesse: ergò non opus est vt ad magistratũ, in quo prodesse possũt ciuitati, impellãtur.*

Resp. *Boni viri discupiunt semper prodesse reipub. sed mallent esse nimis timidi quàm parum prudentes in magistratu suscipiendo. Est enim res lubrica fortunæ scala, & magistratus comitẽ inuidiam habet; quare etsi boni viri parati sunt semper prodesse reipublicæ, timidè tamen & verecundè dignitates capiunt.*

## Dubium.

*An conuiuia publica celebrari debeant in ciuitate?*

ADESDVM Epulo, paucis te velim: quo te precipitas? Cõuiuia adsunt, Bacchus & Ceres te nunc inuitant. Irrides philosophe, dic vbi cibus? Consiste paululũ si ventrẽ arimes. De ventre loqueris: dapes non video. At siste vestigium. Ieiunus sũ, ad coquos volo. Multi sunt hodiè Epulones, multi q̃ bacchanalia viuũt, multi q̃ Sanioni iura hereditaria credũt.

Cæterùm

Lacedæmonijs Phiditia, Cretensibus Andria, Carthaginens. Sodalitia.

Pro conuiuijs rationes.4.

Phiditia quòd parcè expendant.

Philitia quòd amici conueniant.

Editia quòd ad edendum veniant.

Cæterùm vt epicureisinum ventris accuso: ita conuiuiorum vsum penitus non reprehendo. Imò Lacedęmonios, Cretẽses, Carthaginenses laudo, qui publica conuiuia habuerunt: sic voluit antiquitas, sic iussit authoritas ciuitatis, non negat vtilitas ciuium, commoditas, quæ indè sequitur, idipsum postulat. De antiquitate quid nunc commemorem, cum omnes iam olim gentes (vt historici scribũt) magnifica festa celebrarint? De authoritate ciuitatis nihil dicam, quæ multum splendoris & dignitatis perdit, si in eligendis magistratibus & triumphis conuiuia exquisita non habeat. Tędium est de vtilitate quæ hinc euenit molestè scribere, cum omnibus cõstet in conuiuijs publicis lites tolli, odia deponi, amicos fieri, magnificentiam & famam ciuitatis graphicè depingi & delineari. Alias commoditates taceo, quę sunt recreatio ciuium, sustentatio pauperum, confirmatio legum, consultatio rerum quæ fieri debent in ciuitate.

Distinctio.

Conuiuia publica fieri debent in omni ciuitate propter
- Recreationem ciuium.
- Sustentationem pauperum.
- Confirmationem legum.
- Consultationem rerum.
- Reconciliationem eorum qui inter se diu litigarunt.

Ab effectis. Opp. *Inter pocula Bacchus sæpiùs quàm Minerua loquitur, conuiuia ventrem non mentem pascunt; sequitur ergò quòd rectè & sapienter non sint in repub. instituta.*

Resp. *Inter pocula (prudentiâ moderatrice) sæpius Minerua quã Bacchus loquitur. Conuiuia authoritate publicâ, ordine rectè instituta, magis mentem quàm mensam ornant; Non enim ad crapulam & ebrietatem, sed ad concordiam & virtutem istiusmodi conuiuia celebrari solent.*

Opp. *Bona ciuitatis otiosè istiusmodi conuiuijs exhauriuntur: ergò instituti non debent. Antecedens probatur, quia non solùm ad satietatem, sed etiam ad delicias & voluptatem celebrantur.*

Resp. *Eò accumulantur bona ciuitatis, vt ciues ijsdem perfruantur, neq; otiosè illa consumi, sed iustè expendi hoc modo volumus.*

*Nam*



*Nam etsi in conuiuio sit delicatior mensa, hoc tamen non voluptatẽ hominis sed dignitatem ciuitatis respicit, ciuitas enim cum sit magnifica non tam necessarium quàm splendidum & decorum quærit.*

## CAP. VIII.

*An nullâ lege datâ contingat offendere?*
*An liceat sponte susceptum deserere magistratum?*

De Cretensium repub. eius comparatio cum Spartana.

PROXIME in aciem veniunt Cretenses cum Minoe legumlatore antiquissimo, qui littoribus suæ insulæ (quam incolunt) & centum vrbibus (quas habent) armati, Cadmęum certamen, in quo ipsi cadunt, aduersus Arist. moliuntur. Pugna breuis est sed vehemens, victoria atrox sed sine sanguine; est enim mira vis veritatis, quæ tot mendaces Cretenses vnius lanceâ superauit; & mirum certè non est: nam vt lux tenebras, ita veritas legiones fugat: sed rem tantùm agam. In limine huius certaminis Creta describitur, quæ insula fuit centum vrbibus habitata: in hac olim Minos rex omniũ iustissimus imperauit, legesq; salutares in ea condidit. Hæc insulâ veluti à natura ad imperium Græciæ facta, hinc Asiâ, illinc Peloponneso cingitur. In hâc Lycurgus relictâ Charilai regis tutelâ diutissimè cõmoratus, leges & mores loci secum in Spartã duxit; hinc olim contigit, vt in textu apertè docet Philosophus, quòd Lacedęmoniorum respub. plerisque in rebus Cretensem æmulata fuerit. Verùm vt Cretensis respub. non pauca habuit meliora Lacedæmonijs, ita plurima minùs splendida minusque expolita habuit. Ratio est, quia sicut posteriora cogitata hominum maximâ ex parte prioribus sunt anteferenda: ita res antiquæ minùs sunt suis partibus absolutæ & articulatæ quàm quæ de nouo inueniuntur. Descriptionem istam comparatio sequitur, eademque duplex, & in his quæ affines & similes

Vide Plin. lib. 4. cap. 12. Thucid. lib. 1. Virg. Geor. 2. Plat. in Minoe. Plut in Lycur. Strab. Geogr. lib. 10.

Docetur à priore posterior dies.

miles has duas respub. effecerunt, & in illis quibus vna ab altera discriminatur. Similes sunt primùm in cultoribus agrorum, nam vt Lacedæmonij Elotas, sic Cretenses Periœcos in opere rustico occupatos habuerunt. Secundò in conuiuijs, quæ antiquitùs Lacedęmonij à Cretẽsibus mutuati Andria, vt nunc Phiditia appellarunt. Tertiò in ordine politię, nã vt apud Lacedæmonios Ephori: ita apud Cretẽses Cosmi principes viri ac magistratus fuerunt. Hij ab illis non munere & officio sed solùm numero differebant: nam Lacedæmonem Ephori solùm quinq;, Cretam verò Cosmi decem gubernabant. Postremò in vtraq; ciuitate omnes & singuli participes concionis fuerunt; sed penes illã nullius rei gerendæ potestas est, præterquam earũ rerum, quæ à Senatoribus & Cosmis decretæ sunt. Hactenùs de similitudine ac proportione vtriusq;: nunc verò in quibus alia alteri præstat breuiter dicamus. Primum ergò consultiùs & sapientiùs Cretenses publica conuiuia instituerunt, quippè nõ oppressione ciuium vt Lacedæmonij, sed publico & communi sumptu (fructibus pecorum, vectigalium, & tributorum) adaucto eadem fieri & celebrari iubẽt: ac ne multitudo numerosæ generationis ciuitati officeret, tempora concubitus suis fœminis definiunt, quamuis (quod horrendum dictu est) masculis cum masculis coire, ac volutare plusquam barbaricè permitterent. Alterum in quo differunt est electio magistratuum, nam apud Lacedæmonios ex qualibet conditione hominum, sed apud Cretenses ex certis tantùm familijs eligebantur, qui ad puppim ac gubernacula ciuitatis sederent. Postremò vt summatim omnia & singula cõprehendam, quatuor in Cretensi republica reprehendit Philosophus. Primum quòd Cosmi nullo iudicio ad rationem reddendam officij teneantur: alterum quòd per totam vitã gerere magistratum permittantur. Tertium quòd ex arbitrio non ex prescripto legis rempublicam administrent. Postremum quòd liceret Cosmis cùm velint magistratu se abdicare. De ratione reddendâ officij & perpetuitate magistratus paulò antè dixi, ex duobus ergo postremis duas non inutiles decerpo quæstiones, quas enodatiùs

Reprehensa in Cretensi rep. 4.



datiùs iã verbo sum discussurus. Prima est, An nullâ lege datâ contingat offendere? Secunda, An liceat sponte susceptum deserere magistratum? Vanissima maximè q; in eo periculosa Cretensis reipub. constitutio fuit, quòd legibus sublatis se hominum affectibus & arbitratibus manciparint. Sapienter quidem hîc Aristoteles, Non ex præscripto legis imperare, « sed suo arbitratu magistratum gerere periculosum est. Nam « vt voluntas hominis est incerta, ita vox magistratus optimè administrandi regula nõ habetur. Imò hoc addo, quòd nullâ lege datâ, non sit offensa, nam lex definit peccatum, & definitum scueritate tollit. Hoc autem confirmo à potentia legis & ab obedientia hominis. A potentia legis, quæ est, vt sit vinculum, quo ciues ad hoc, vel illud præstandum aut fugiẽdum obstringuntur; sed nullâ lege datâ in ciuitate tale non est vinculum, ergò nullâ lege datâ, ciuile nõ est peccatum. Ab obedientiâ hominis, quia nullus offendit nisi agat prohibitum, sed nullâ lege sancitâ nemo agit prohibitum: ergò nulla lege sãcitâ nemo offẽdit. Est enim toties offensio quoties violatur obligatio: hæc dico, non quòd existimem peccatum à lege sic dependere, vt si lex non sit, non sit flagitiũ, cum vitium à mẽte nõ à lege fluat; sed hoc volo politicè à ciuibus non peccari, si lex negetur, quę quid sit hoc ipsum peccare, demonstraret. Scio equidem vereq; agnosco esse in homine legem naturæ, nempè insitam rationem, à qua quicunq; diuerterit, reus sceleris haberi debet, exempli causâ. Ratio iubet vt teipsum ames, furor vrget vt teipsum figas, si relictâ ratione furori cedas immane scelus perpetrasti; quare tametsi nullâ lege datâ non sit offensa in ciuitatem, quæ caret lege; in Deum tamen, qui menti loquitur, & in naturam quæ rationem moderatur, frequenter impij ac scelerati sumus. Rectiùs ergò multò illæ respublicæ administrantur, quæ à legum imperio, quàm quæ à regum ac imperatorum arbitrio pendent. Altera quæstio, An ante tempus liceat sponte susceptum deserere magistratum? Ab eius loci in textu occasione nascitur, vbi reprehendit Arist. rempublicam Cretensium quòd illorum Cosmis liceret se magistratu abdicare, at non

Prima quæstio.

Legum necessitas vt sit offensa.

Vitium à mẽte non à lege.

Ratio, lex naturæ.

Secunda quæstio.

Contra magistratus abdicationem.

non licet, idq; sic probo. Interregnum & vacuitas magistratus permitti non debet in ciuitate: sed susceptum deserere magistratum est interregnum permittere: ergo susceptum deserere magistratum non liceret. Maior probatur, quia vt homo est sine animâ, ita ciuitas sine magistratu. Minor constat, quia abdicato magistratu ciuitas sine sceptro, respub. sine voce manet. Porrò nulla perturbatio ordinis in repub. probè institutâ admitti debet: sed ex ista abdicatione magistratus sequitur perturbatio ordinis: ergò ista abdicatio esse non debet. Prætereà illud fugiendum est in ciuitate quod sceleris suspicionem arguit: sed abdicare se magistratu suspicionem sceleris arguit: ergò abdicare se magistratu non licebit. Postremò nihil fieri debet in ciuitate quod ad tumultum ac seditionem tendit: sed istiusmodi mutatio magistratus ad tumultum & seditionem tendit: ergò istiusmodi mutatio magistratus concedi non debet. Assumptio constat, quia relictâ ciuitate sine capite, ciues non aliter, quàm oues lupis voracibus relinquuntur. Concludo igitur infortunatam esse rempub. in qua magistratus sine lege, miseram verò ac infelicem in qua lex sine magistratu regnat. Quippè vt sublatâ lege, magistratus est Lesbia quasi regula: ita sublato magistratu lex muta & incerta dicitur.

## Distinctio primæ quæstionis.

*An nullâ lege datâ contingat offendere?*

Deum. Naturam. } His duobus modis peccatum committitur, tametsi lex nulla scripta adhibeatur.

Peccata in Deum, Naturam, Ciuitatem.

Peccare dicimur in Ciuitatẽ, & sic nullâ lege datâ non contingit offendere,
- Quia sine lege ad hoc vel illud non obstringimur.
- Quia sine lege nihil prohibetur.
- Quia sine lege quid sit peccare non cognoscitur.

Ab efficiente. Opp. *Naturæ instinctu prohibemur à scelere: ergò nullâ lege in ciuitate datâ contingit offendere. Antecedens probatur, quia naturæ instinctu prohibemur ne id agamus aliis, quod nobismet fieri non optamus.*

Resp. *Naturæ instinctu indefinitè, legis monitu distinctè ac nominatim*



*minatim à scelere prohibemur. Natura crimina non definit, lex verò & describit & in suas species accuratè distinguit. Quamobrem etsi nullâ lege datâ in ipsam naturam, discedentes à ratione peccamus, lege tamen non datâ ciuitatis tribunal non violamus.*

Ab effectis. Opp. *Ante leges conditas fuerunt ciuitates in quibus furtum, homicidium, aliáque flagitia committebantur: ergò nullâ lege datâ contingit offendere.*

Resp. *Non negamus ante leges conditas fuisse ciuitates, labefactâ humanæ vitæ, hoc tamen argumentum non probat in ciuitatem sed in ipsam naturam facinora committi, & perpetrari: nam ciuitas legibus definit, ciuitas legibus configit peccata.*

Ab instantia. Opp. *Prodere ciuitatem est in ciuitatem peccare, sed nullâ lege datâ potest aliquis prodere ciuitatem: ergo nullâ lege datâ potest aliquis peccare in ciuitatem.*

Resp. *Ciuitas consideratur vel inchoatè quoad naturam, vel absolutè quoad legem. Prodere ciuitatem est quidem in ciuitatem peccare, sed ita, vt nullâ lege datâ quæ definiret, potius contra naturam, quæ hoc vetat, quàm aduersus ciuitatem, quæ legem non sanxit, committi hoc facinus arbitremur.*

## Distinctio secundæ quæst.

*An liceat sponte susceptum deserere magistratum?*

Quòd non liceat susceptum magistratum pro arbitratu relinquere suadent
- Metus interregni, quo nihil est in republica periculosius.
- Perturbatio ordinis, quâ nihil est in quieto ciuitatis statu funestius.
- Suspicio sceleris, quæ magistratum in odium trahit.
- Timor seditionis, qui animos ciuium incertos ac tumultuantes reddit.

Opp. *Tyrannus tenens reipub. clauum opprimit ciuitatem, relinquens verò saluam & beatam reddit: ergò relinquere magistratum aliquando licet. Argumentum tenet quia quod est simpliciter bonum id facere licet: sed tyrannum deserere susceptum magistratum est simpliciter bonũ: ergò deserere susceptum magistratũ licet.*

Resp. *Si sic arguas, licet tyranno deserere magistratum: ergo licet deserere magistratum. Ratio tua infirma & elumbis est, nam est à secundum quid (vt aiunt) ad simpliciter; neq; dicimus tyranno hoc ipsum licere: verùm si hoc faciat tyrannus, ciuitas vt minus malum maioris boni spe & expectatione idipsum tolerat.*

Ab exemplo. Plu. in Lycur. Iustin, lib. 3. Magistratus abijciendi causæ, Ætas decrepita, Publica infamia, Consilij defectio.

Opp. *Lycurgus rex ille sapiens, iurato populo ad obseruationem suarum legum donec ab Apollinis oraculo reuerteretur, voluntariũ exilium passus, reliquit imperium: quo exemplo sapientis viri videtur licitum vltrò susceptum magistratum deserere. Præterea ætas decrepita, publica infamia, ingenij, consilijq; defectio, causæ sunt relinquendi magistratum: ergo videtur consultum aliquando honoris onus deponere, necnon magistratu nosmetipsos abdicare.*

Resp. *Vnius viri exemplum vim legis non habet. Argumentum ergo illud ab exemplo Lycurgi vniuersaliter non concludit. Aliæ adductæ rationes momentum ac pondus habent, modò cum consensu populi talis magistratus abdicatio fiat.*

## Dubium.

*An liceat populo impedire magistratum quo minùs in iudicio sententiam ferat?*

QVID mussitas furiose Tribune? an Cęsarem in iudicio sedentem impedire velis, quo minùs sententiam ferat? An rogationi intercedis? Quod vlcus? Quæ pestis hæc est in ciuitate? Clodiusné an Cæsar regnat? Miror certè sapiens Minos cur hanc legem tuleris; existimasné tutum si Cosmi in tribunali aduersus tyrannos aut potentes sedeant, vt vel magistratu ad tempus depriuentur iniustè, vel à sententiâ ferendâ impediantur suâ? Hoc facere profectò non liceret. Nam quemadmodum non sanatur morbus, si salutarem ægro propinare medicinam eruditus medicus prohibeatur: ita facinora ciuitatis non expiantur, si à magistratu aut sententiâ abigantur iudices. Ferunt annales nostri Henrici quarti regis filium furentius in senatum irruisse, seruumq; quem perditè dilexit omni conatu à tribunali abripere contendisse; hoc vidit populus & pertimuit; at iudex vir iusto

Magistratus non interpellandi.

De Henrico quinto quarti filio historia.



iusto & forti animo hęredem regni sic excepit, Accelera huc furiose iuuenis, gladio, quo cædem iam minitaris, senile pectus hoc meum (si placet) percute, percute (inquam) si velis, nam potiùs moriar quàm hoc exemplum patiar. Locus, quo nunc abuteris, tribunal tui patris est, iudex quẽ inuadis personam tui patris gerit, lex quam violas te reum sceleris, non filium principis accusat. Ego igitur tui patris nomine totiusq; regni authoritate te propter hoc facinus in carcerem abire iubeo. Hoc tonitru perculsus iuuenis gladium deiecit, seipsum sententiæ iudicis spontè submisit, in vincula se (admirãte populo) vltrò præcipitauit. Hac tragicâ comędiâ auditâ, rex senex ac sapiens effusus in lachrimas, O me beatum (inquit) qui tam iustum & sincerum iudicem, qui tam pium & obedientem filium ante sepulchrum video. Hanc narro historiam, vt quàm periculosum sit obstrepere sententiæ iudicis, quasi ob oculos intelligatur. Sed si hæc minùs vrgeant, sic argutiùs probo. Persona principis contemni non debet in ciuitate: sed iudex in tribunali personã gerit principis: ergo iudex in tribunali contemni non debet. Prætereà officiũ iudicis sanctum & venerandum est: ergo violari non oportet. Postremò causa seditionis vitari debet: sed impedire magistratum quo minùs sententiam ferat est causa seditionis: ergo vitari debet. Minor probatur quia hâc semel datâ licentiâ, populus nullum authoritatis iugum, nullum disciplinæ ictum patietur.

## Distinctio.

Impediri magistratus nõ debet quo minus sententiã ferat,

- Quia sententia iudicis est medicina scelerum.
- Quia mores ac leges optimarum ciuitatum hoc non permittunt.
- Quia in persona iudicis est maiestas principis.
- Quia in officio iudicis est imago religionis.
- Quia in contemptu magistratus est metus seditionis.

Iudicia ne interturbes, rationes quinque.

Opp. *Quod iniquum est licitè impediri debet: sed aliquandò iniqua est sententia iudicis, puta à Neronis: ergo impediri debet.*

Resp. *Negatur hoc argumentum, quia fallax & insidiosum est:*

*Nõ enim sequitur quod sit iudex impediẽdus, quia iniustus impediri debet. Præterea, quamuis iudex sit iniquus & facinorosus, tanta tamen est maiestas tribunalis, tanta religio huius nominis, vt in solio iustitiæ nullo modo perturbari debeat. Cæterùm si quis grauamen iudicis corrupti senserit, iusta appellatio ad summum tribunal patet.*

Opp. *Romani fecerunt olim tribunos plebis, quibus sententiam iudicis impedirè licuit: ergò antiquitas videtur hoc ipsum comprobare, nempè vt liceat populo impedire magistratum, quo minùs sententiam ferat.*

Resp. *Non legimus illis licuisse impedire magistratum, verùm post quam furor tribunitius hoc vendicauit, gloria Romani imperij cecidit. Tum enim euanuit Romanorum splendor, quando irrepsit tribunorum furor.*

## CAP. IX.

*An dissentientibus principibus viris ciuitatis, lis populo dijudicandæ plena potestas detur?*

*An liceat vni plures vnâ sustinere magistratus?*

Carthaginensis reip. cum prioribus comparatio eiusque errata. De Carthaginensi rep. Polibius histor.

OLIM Phaleam Calcedonium legũlatorem inuasit Philosophus, nunc verò ipsam Carthaginem demoliri contendit; nam quamuis hęc ciuitas altissimas arces & mœnia habuerit, leges tamen, quibus tutiùs quàm mœnibus conseruaretur, minùs salutares & inconsideratas habuisse ostendit. Verùm quoniam textus luce splendidior interprete non eget, breuitati studens verbositate molestior non ero. Omnium ergò summa hæc est. Carthago æmula olim si formam Laconicæ, postea si famam spectes Romanæ reipublicę præclarè se diu multumq; habuit. Huius rei argumento esse potest, quia neque seditio illam oppressit, neque tyrannis illam deuastauit. Comparatio Carthaginensium & Lacedæmoniorum in duobus ponitur, nempè in comessationibus & magistratibus. Nam comessationes seu publica conuiuia fuerunt in vtraq; ciuitate



ciuitate, sed modo diuerso. Nam apud Carthaginenses non totus populus vt apud Lacedæmonios, sed sodalitatum quædam veluti collegia, hæc publica conuiuia celebrarunt. Similiter Carthago centumuiratum, vt Lacedæmon Ephoriam habuit. Item in regibus & senatoribus hæ duæ ciuitates finitimæ extiterunt: cæterùm Carthagini meliùs consultum fuit, quòd non ex vno genere (vt olim apud Lacedæmonios ex Heraclidarum familia) sed ex tota ciuitate pro cuiusque meritis ac dignitate reges deligerentur: quippè non generi sed virtuti, non sanguini, sed animi dignitati præmia ciuitatis donari si non solent debent quidem. Hac factâ comparatione, in qua Carthaginem Lacedæmoni prætulisse videtur, pauca in Carthaginensi ciuitate vt vitiosa perstringit: ac in primis illud, quòd descriptio huius reipublicæ, partim ad statum popularem, partim ad paucorum factionem tendat. Ad statũ popularem, quia dissentientibus centumuiris, principibus ciuitatis, lis ad populum referebatur. Ad paucorũ factionem, quia quinqueuiri, (penes quos summa reipublicæ administratio fuit) à se ipsi deligebantur, nec non centumuiralem magistratum eligebant. Huc etiam & illud addit, quòd pluribus simul magistratibus quinqueuiri defungi possunt, quo nihil magis ad paucorum potentiam & oligarchiam tendit. Ex istis vt vides (studiose lector) duæ mouentur quæstiones: prima, An dissentientibus principibus viris ciuitatis, lites populo dijudicandi plena potestas detur? altera, An liceat vni plures eodem tempore subire magistratus? Optandum quidem est in omni ciuitate ciuium animos ita in studio conseruandæ pacis vigilare, vt neque hostem externum eminere, neque ciuile odium pullulare sinant. Nam vt nihil est ciuitati prætiosius quàm vnio, ita perniciosius nihil est quàm diuisio: quippè ciuile odium ad inimicorum perniciem præceps est, & ad vtilitatem suæ defensionis planè incautum. Cæterũ quoniam hoc malum ex lacuna inuidiæ in omnem penè ciuitatem fluit (nam quæ ciuitas discordiâ caret?) Medicina inuenienda est, ne tanquam lupus aut pestis præcordia petat. Rectè Ouidius,

Errata Carthaginensis reip.

Legislator aristocratiam proposuit, democratiam, aut oligarchiam produxit: ergo aberrauit.

Aut 1. ad populum, aut à regibus ad populum delata sunt omnia, ergo democratia fuit.

Prima quæstio.

Ciuile Odium est tanquam pestis aut lupus qui primũ præcordia inuadit.

1. De remedio amoris.

*Principijs obsta, serò medicina paratur,*
*Cum mala per longas inualuere moras.*

At quę medicina adhiberi potest, si Milo & Clodius, si Cæsar & Pompeius certent, hoc est, si magistratus viriqúe principes ciuitatis capitali odio flagrent ac distrahantur? Sera quidem propemodum est omnis medicina, cum ciuitatis præcordia seditionis facibus accenduntur. Verùm si vlla hæc est, vt è vestigio ad oraculum consilij volent, vt ad templum pacis in medio ciuitatis extructum veniant, hoc est vt totam ciuitatem de hac re consulant, quę in vnum quasi collecta, hoc monstrum seditionis penitùs extinguat. Quid ergo vis? Vt populus nobilium lites componat? Vt rudis multitudo res magnas ciuitatis tractet? Volo; inepta est tua opinio valdeq; quieti reipub. perniciosa. Temerè & inconsideratè iudicas; nam de populo distinguo, aliquando pro rudi multitudine ac plebe, aliquando pro voce ciuitatis sumi. Nolo Hydram multorum capitum furiosè in vnum cogi, vt procerum causas & controuersias audiat: sed hoc volo, vt ex qualibet ciuitate selecti viri ad consilium veniant, resq; in contentione positas; suffragiorum multitudine, sapientèr & expeditè definiant. Populus enim hoc modo acceptus in nulla reipub. descriptione est contemnendus, quippè vox populi hoc modo accepta (vt est in prouerbio) vox Dei dicitur, nam non solùm de fama hominis, sed etiam de norma veritatis hoc vetus dictum enunciatur. Quod si ita sit in ista procella, quem portum tutiorem? Quod melius asylum, quàm collectum vnà populum inuenire licet? Certè nullum. Porrò ad popularem statum hic casus aut euentus haud omnino tendit, quia non in omnibus sed in rarò contingentibus malis, quæ aliter curari non possunt, ad populum concurritur. Si vrgeas vt paucis concludam singula, sic argumẽtor. Principum odia alitèr pacatè componi aut extingui non possunt: ergò populo licet dissentientibus magistratibus lites dijudicare. Antecedens probatur, quia publica odia nobilium (si ciuitas taceat) non nisi sanguine terminantur. Prætercà populus ordine in vnum collectus vim eligendi habet:

Sermocinatio.

Vox populi, vox Dei.

Pro appellatione ad populum.



habet: ergo etiã (quod multò minus est) lites tollendi & iudicandi authoritatem haberet. Porrò ciuitas tumultuantibus summis viris non nisi per populum loquitur: ergò populo in tanta tempestate plena iudicandi datur potestas. Adhuc quod olim probè administratæ ciuitates in tali euentu fecerunt, facere quidem licet: sed probè administratæ ciuitates, vt Carthago, Roma, Athenæ, id olim fecerunt, sicut in historijs patet: ergo ab exemplis licet. Postremò quod quietam ciuitatem reddit fieri debet, sed talis potestas populi quietam rempublicam reddit: ergo talis potestas concedi debet: Minor probatur, quia sic magistratus metu nigræ (vt aiunt) conuocationis perculsi rectiùs se gerent, aut si pertinacius fomites & scintillas seditionis alant, salutare est reipublicæ, vt intelligãt penes populum esse, istis vulneribus mordacem medicinam adhibere. Præterea hoc modo populo alioquin nimis abiecto aliquid dignitatis conceditur, vt saltèm periclitante republica odijs nobiliũ conuulsâ, ei libertas non licentia, moderandi ad tempus arbitrium non imperium detur. Nam in hoc casu solùm, in hac veluti extasi & deliquio ciuitatis hunc clauum populo concedi volumus. Sequitur iam altera dubitatio, An vni liceat simul plures subire magistratus? Cui honos datur eidem & onus imponitur, mutabo versum.

Secunda quæstio.

*Res est solliciti plena timoris honor.*

Quid ais Cæsar? Peierabo propter regnum. In regno es, quid ais Cæsar? Heu mihi misero, nam in senatu pereo. Dic ergo Cæsar quid regnum putas? Est arx excelsa fortunæ, sed lues hominis. Vtinam sanè impensiùs hoc vnum cõsiderarent ambitiosi, qui hodiè in aucupãdis magistratibus mille scopulos & casus patiuntur; sed cęca est ambitio istorum temporum, multi sunt Cæsares, Catones pauci; multi sunt qui præcipitantiùs ad magistratus feruntur, sed qui in magistratu se viros quales decet ostendant, reperiuntur

quidem longè pauciſſimi. Miror igitur vel potius admiror illos qui ſimul plures magiſtratus arripiunt, cùm (ſi meliùs de hac re conſultent) vno defungi vt decet, laboris plus quàm honoris habeat. Argumenta quæ hoc verum eſſe demonſtrant ſunt multa, inter quæ primum à definitione magiſtratus ducitur. Nam ſi magiſtratus ſit publicum officium ciuitatis, quo quis ex priuata conditione ad commune procurandum bonum publica perſona fiat, nemo ſapiens exiſtimet ſe poſſe ſimul Aeneam & Hectorem, Catonem & Scipionem in theatro ciuitatis agere. Nam inter togam & haſtam, inter pacem & bellum, quæ vnquam communicatio fuit? Quoniam ergò omne publicum officium in repub. integrum & iuſtum requirit virum, iniquè comparatum eſt, ſi vnus (qui vix vno rectè & iuſtè fungitur) pluribus officijs oneretur. Alterum argumentum à differentiâ peti ac deriuari poteſt, nempè quòd diſtinctos magiſtratus diſtincta munera & officia habeant, vt ædilitas & prætura; ſequitur ergò quòd etiam diſtinctas perſonas iſtis officijs præfici par ſit, nam aliter periculoſa magiſtratuum in ciuitate confuſio erit. Tertiam addo rationem à difficili, quòd omnis functio publica eſt magnis & multis difficultatibus implicata, fieri ergò non poteſt ſine pernicie reipub. vt vnus idemque pluribus magiſtratibus vtatur. Nam ſi fiat, neceſſe eſt vt alterum omninò deſerat, ſi alteri (vti decet) pro viribus ſeriò ac diligenter attendat. Præterea à ſimili hoc ipſum probo, quia vt natura non vni omnia ſed ſingulis diſtincta officia dedit, exempli cauſâ, ſoli vt luceat, igni vt ardeat: ita ratio & ordo in ciuitate poſtulant, vt vnus vnum officium non plura ambiat aut vendicet. Porro huic inſtituto argumentum ab euentis ductum inſeruit, videlicèt quòd ambitũ poſſeſſionemq; plurium magiſtratuum ſequantur in ciuitate hęc mala, nempè murmur & grunnitus populi, negligentia officij, iudicij corruptio, dignitatis odium & cõtemptio. Poſtremò qui aduerſam huic opinionẽ tuentur, oſtẽdant mihi velim quam conſuetudinem, quod exemplum, quod deniq; veſtigium

Contra plures eiuſdem magiſtratus.

1. A definitione.

2. A differentia.

3. A difficili.

4. A ſimili.

5. Ab euentis.



veſtigium florentis reipub. ſequantur. Scio equidem in quibuſdã ciuitatibus hoc fieri: at quo iure, qua lege, quo exemplo maiorum fiat, certè neſcio. Romani, Macedones, Lacedæmonij hanc legem tulerũt, vt nemo duobus ſimul in ciuitate fũgatur officijs: Eſt enim plus oneris in vno, quàm vnus rectè ſubire ac ſuſtinere poteſt. Valeant ergo, qui (vt ita loquar) pluralitate & tot quot magiſtratuum pondere capiuntur: eſcam deuorant ſed virulentum hamum ſubeſſe non intelligunt. Hæc ſcripſi non quòd non exiſtimem eſſe quædam miracula ingenij, rationis & experientię, quibus fauor principum ac ciuitatum plures reipub. claues ac magiſtratus iure poteſt committere. Sed quoniam tales inter homines phœnices ſunt, vt illis qui pluribus defunguntur officijs inuidere non debeo, ita plures vni dignitates concedi poſſe deffinire non audeo. Nam vt in altero par eſt vt Sceuolæ & oracula ciuitatis multis & magnis reipub. luminibus illuſtrẽtur: ita in hoc ſemper tutum non eſt vt Aquilis & potentioribus viris claui & cartę multarum nauium committantur: aquilę enim pennis vltra nubes vecti ſæpe in ſolem volare nitentur.

## Diſtinctio primæ quæſtionis.

*An diſſentientibus magiſtratibus, lites iudicandi populo plena poteſtas detur?*

In ſeditione magiſtratuum lites iudicandi populo poteſtas danda, quia

- Aliter iudicari ac decerni non poſſunt.
- Maiora populo in ciuitate committuntur, vt electio principum, conſtitutio legum.
- Tum in populo eſt vox plena ciuitatis.
- In tali euentu optimæ ciuitates hoc ipſum fecerunt.
- Sic meliùs in officio ſe gerunt magiſtratus; ſed ſuperiùs dilucidè hæc declarantur.

Opp. *Si populo liceat nobilium motus liteſq; componere, verendum eſt ne ex monarchiâ aut ariſtocratiâ tandẽ democratia fiat: ſed talis mutatio in ciuitate eſt periculoſa: ergo populo hoc facere non licet. Maior probatur, quia hâc datâ licentiâ populus libertatis ſuæ imperium potiùs arripere, quàm ſeruitutis iugum diutiùs ſuſtinere quæret.* Ab abſurdo.

Reſp. *Non hoc volumus vt populus in diſcordantes principes vi-*

*ros irruat, sed vt ordine & lege illos (si fieri potest) reconciliet: quòd si odium flammas habeat, lege & authoritate ciuitatis coerceri debent.*

A disparatis. Opp. *Populus legem non potest condere, ergo ei non licet in optimates præscribere. Antecedens probatur, quia penes regem est leges constituere. Argumentum tenet, quia sublatâ potestate condendi legem, nullam legitimam authoritatem habet componendi lites.*

Resp. *Quamuis absolutè non conceditur populo legem condere, comparatè tamen conceditur. Præterea in omni bene instituta repub. hæc lex cum consensu virorum optimatum datur, vt si contingat procerum seditio, eiusdem per populum fiat sedatio. Postremò licet populo legem coacto senatu condere, quia licet principes eligere. Nam quid aliud est imperium quàm summa authoritas vni data per populum?*

## Distinctio secundæ quæstionis.

Quòd vnus plures simul non subiret magistratus probant
- Imbecillitas hominis, qui vix vnum potest sustinere.
- Dignitas magistratus, qui prudentem & expertum requirit virum.
- Ordo ciuitatis, qui vnum vni solùm tribuit, vt reliqui ciues etiam participes fiant.
- Conseruatio pacis, quia aliter populus tumultuabitur.

Ab instantia. Opp. *Rex omnes magistratus reipub. iure ciuitatis tenet: ergo vni licet plures subire ac sustinere magistratus. Argumentum tenet, quia si rex vnus omnes habeat, alter qui prudens & expertus est plures sibi vendicare potest.*

Rex vnus explicitè, omnes implicitè magistratus. Resp. *Rex (vt aiunt) explicitè vnum, implicitè verò omnes ciuitatis magistratus tenet. Hoc autem modo tenere, est nihil aliud quàm animam ciuitatis esse: nam vt mens vna singulis corporis partibus præscribit, quæ tamen ipsa proprium officium habet: ita rex aliis reipub. magistratibus præest, cum tamen ipse distinctam à reliquis maiestatem teneat.*

A merito. Opp *Ciuitas bona dignitates fortunæ distribuere debet, prout merentur ciues: sed multi sæpè merentur plures magistratus: ergo absurdum non est si plures vni concedantur. Maior est Arist. in Ethicis, vbi docet quòd bona fortunæ ancillantur virtuti. Minor probatur,*



*batur, quia sunt multi, vt Horatius Cocles Romanus ille, qui patriam liberando merentur plurima.*

Resp. *Meritum tum satis remuneratur, cum iustitiæ & ciuitatis obseruatur ordo. Quòd Horatius Cocles, Scipio, Cursius, aliqui multi liberarunt patriam, officium fuit: quantitas tamen meriti vnius dignitatis augmento, non plurium magistratuum dispendio compensatur.*

## Dubium.

*An liceat magistratum emere?*

INtrusio hæc est, nõ electio (Verres rapacissime) quâ propter quæstum honorem in ciuitate quæris, rempub. vænalem ac sordidam ciuitatem facis. Vox illa explosa est (seditiosè Antoni)

*O ciues ciues, quærenda pecunia primùm,* Horat. epist. lib. 1. epist. 1.
*Virtus post nummos.*

Explosa dixi? Imò recepta. Imò proh dolor probata nimiùm: nega si possis, nam hoc est verum,

*Si nihil attuleris stabis Homere foras.*

De Roma olim hoc dictum fuit, omnia vęnalia Romæ. Roma vrbs ampla est & spatiosa, sed non sola capax istius sentẽtiæ. Quid vis pecuniosè mercator? ambisné magistratum? dic quantum dabis? centum: heu nimis leue: ducentos dabo: ne id quidem placet: gradarium spadonem fortasse addam. Iungamus dextras; heus tu, iurabis deuotè, te nihil dedisse; politicũ hoc est modò subsit lucrum. Politicum ais (pessime) modò subsit lucrum? O Christe, quam vocem audio? sed digito cõpesco labellum. Politicum ais (scelerate) modò subsit lucrũ? O Christe, si latiùs hoc malum serpat, quem lapsum & luẽ ciuitatis video? sed conniuere oportet; nam dies mali sunt, corrupti ciues. Non licet, non (inquam) licet vendere magistratum; dignitas enim non pecuniâ sed virtute emitur: at magistratus est dignitas, ergo non pecunię, sed virtuti debetur. Nõ fero hanc vocem, modò subsit lucrũ: nam iustè rem acquirere est verè lucrum: sed pecuniâ emere magistratum nõ est iustè acquirere: ergò pecuniâ emere magistratũ nõ est verè lucrũ. Mantuan. Contra magistratuum nundinationes.

Pergis

*ros irruat, sed vt ordine & lege illos (si fieri potest) reconcilet: quòd si odium flammas habeat, lege & authoritate ciuitatis coerceri debent.*

A disparatis. Opp. *Populus legem non potest condere, ergo ei non licet in optimates præscribere. Antecedens probatur, quia penes regem est leges constituere. Argumentum tenet, quia sublatâ potestate condendi legem, nullam legitimam authoritatem habet componendi lites.*

Resp. *Quamuis absolutè non conceditur populo legem condere, comparatè tamen conceditur. Præterea in omni bene instituta repub. hæc lex cum consensu virorum optimatum datur, vt si contingat procerum seditio, eiusdem per populum fiat sedatio. Postremò licet populo legem coacto senatu condere, quia licet principes eligere. Nam quid aliud est imperium quàm summa authoritas vni data per populum?*

## Distinctio secundæ quæstionis.

Quòd vnus plures simul non subiret magistratus probant:
- Imbecillitas hominis, qui vix vnum potest sustinere.
- Dignitas magistratus, qui prudentem & expertum requirit virum.
- Ordo ciuitatis, qui vnum vni solùm tribuit, vt reliqui ciues etiam participes fiant.
- Conseruatio pacis, quia aliter populus tumultuabitur.

Ab instantia. Opp. *Rex omnes magistratus reipub. iure ciuitatis tenet: ergo vni licet plures subire ac sustinere magistratus. Argumentum tenet, quia si rex vnus omnes habeat, alter qui prudens & expertus est plures sibi vendicare potest.*

Rex vnus explicitè, omnes implicitè magistratus. Resp. *Rex (vt aiunt) explicitè vnum, implicitè verò omnes ciuitatis magistratus tenet. Hoc autem modo tenere, est nihil aliud quàm animam ciuitatis esse: nam vt mens vna singulis corporis partibus præscribit, qua tamen ipsa proprium officium habet: ita rex alijs reipub. magistratibus præest, cum tamen ipse distinctam à reliquis maiestatem teneat.*

A merito. Opp *Ciuitas bona dignitates fortunæ distribuere debet, prout merentur ciues: sed multi sæpè merentur plures magistratus: ergo absurdum non est si plures vni concedantur. Maior est Arist. in Ethicis, vbi docet quòd bona fortunæ ancillantur virtuti. Minor probatur,*



*batur, quia sunt multi, vt Horatius Cocles Romanus ille, qui patriam liberando merentur plurima.*

Resp. *Meritum tum satis remuneratur, cum iustitiæ & ciuitatis obseruatur ordo. Quòd Horatius Cocles, Scipio, Cursius, alijq; multi liberarunt patriam, officium fuit: quantitas tamen meriti vnius dignitatis augmento, non plurium magistratuum dispendio compensatur.*

## Dubium.

*An liceat magistratum emere?*

INtrusio hæc est, nõ electio (Verres rapacissime) quâ propter quæstum honorem in ciuitate quæris, rempub. vænalem ac sordidam ciuitatem facis. Vox illa explosa est (seditiosè Antoni)

*O ciues ciues, quærenda pecunia primùm,* Horat. epist. lib. 1. epist. 1.
*Virtus post nummos.*

Explosa dixi? Imò recepta. Imò proh dolor probata nimiùm: nega si possis, nam hoc est verum,

*Si nihil attuleris stabis Homere foras.*

De Roma olim hoc dictum fuit, omnia vęnalia Romæ. Roma vrbs ampla est & spatiosa, sed non sola capax istius sentẽtiæ. Quid vis pecuniose mercator? ambisné magistratum? dic quantum dabis? centum: heu nimis leue: ducentos dabo: ne id quidem placet: gradarium spadonem fortasse addam. Iungamus dextras; heus tu, iurabis deuotè, te nihil dedisse; politicũ hoc est modò subsit lucrum. Politicum ais (pessime) modò subsit lucrum? O Christe, quam vocem audio? sed digito cõpesco labellum. Politicum ais (scelerate) modò subsit lucrũ? O Christe, si latiùs hoc malum serpat, quem lapsum & luẽ ciuitatis video? sed conniuere oportet; nam dies mali sunt, corrupti ciues. Non licet, non (inquam) licet vendere magistratum; dignitas enim non pecuniâ sed virtute emitur: at magistratus est dignitas, ergo non pecunię, sed virtuti debetur. Nõ fero hanc vocem, modò subsit lucrũ: nam iustè rem acquirere est verè lucrum: sed pecuniâ emere magistratum nõ est iustè acquirere: ergò pecuniâ emere magistratũ nõ est verè lucrũ. Mantuan.

Contra magistratuum nundinationes.

Pergis

Pergis adhuc impie, modò subsit lucrum? Quod tuum non est, non debes vendere: sed magistratus est bonum ciuitatis non tuum: ergo magistratum non debes vendere. Impudens es si adhuc pergas, nam ciuitatem ad hastam figere est immane scelus: sed emere vendereq; magistratus est ciuitatem ad hastam figere: ergò emere aut vendere magistratus est immane scelus. Rationem quæris? Audi:

*Vendere iure potest, emerat ille priùs.*

Hinc fit vt pecunia non prudentia, quæstus non virtus, affectio hominis non moderatio æquitatis in ciuitate regnent.

Distinctio.

Non licet magistratum emere, quia

1 Magistratus est bonum publicum ciuitatis, quod solùm virtuti debetur.
2 Ambitio in omni rectè administrata ciuitate prohibetur.
3 Hoc modo honesta paupertas ab omni dignitate ciuitatis excluditur.
4 Sordidum est in ciuitate, si talis quæstus permittatur.
5 Periculosum est, si tribunal iustitiæ pecuniâ corrumpatur.

Ab adiuncto. Opp. *Quicquid ciuitatem potentem & opulentam reddit, tolerari vel potiùs approbari debet: sed emere magistratus ciuitatem potentem & opulentam reddit: ergo vendere magistratus tolerari vel potiùs approbari debet. Minor probatur, quia hoc statuto vt in thesaurum ciuitatis ementium pretia importentur, necessariò potens aduersus hostes & opulenta erit.*

Resp. *Maior suspecta est, nam quicquid potentem & opulentam ciuitatem reddit tolerari non debet, nisi iure fiat. Minorem autem nego, & ad confirmationem dico, quòd hoc statutum iniustum sit, quia sordidam & venalem ciuitatem reddit, imò iustitia & æquitatis imperium omnino tollit, nam valeat iustitia vbi regnat pecunia.*

A testimonio. Opp. *Laudabile & glorioſum fuit apud Carthaginenſes (vt eſt in textu) & emere magiſtratus & plures eodem tempore ſuſtinere: ſed Carthaginenſis reſpub. laudatur ab Ariſtotele, ergo videtur laudabile magiſtratus emere.*

Resp.



Resp. *Infirmum est argumentum ab vno exemplo Carthaginensium, qui tametsi in alijs laudantur quidem, in hoc tamen reprehensione dignissimi fuerunt, vt Philosophus in textu docuit.*

Opp. *Quicquid vim iuris hæreditarij habet emi quidem potest, sed multæ dignitates ac magistratus sic dantur multis, vt vim iuris hæreditarij habeant: ergo multæ dignitates ac magistratus emi quidem possunt.*

Resp. *Experientia docet principes quibusdam egregiè merentibus de repub. magistratus quosdam sic dedisse, vt non solùm ipsi superstites, sed etiam posteri perfruantur; non tamen hinc sequitur, aut iure hæreditario hos magistratus teneri, aut omninò diuendi posse: nam eos non dederunt principes vt venderentur, sed vt illorum virtutes, quibus dederunt, in posteris magis elucerent.*

## CAP. X.

*An innocens falsò accusatus iustè aliquando condemnari possit?*

QVEMADMODVM victores in bello de victis multos vnà cum suis spolijs per vrbes in triumpho ducunt: ita in fine huius certaminis Aristoteles triumphantium more multos ex suis aduersarijs deuinctos & quasi captiuos in signum victoriæ suæ nobis ostendit. Socratem, Platonẽ, Phaleam, Hippodamum vnâ catenâ: Lycurgum, Solonem, alioſq; permultos aliâ constrictos, non aliter quàm seruos lege, huc atque illuc impelli ac circumduci videas. Nam vt præter rem ipsam nihil dicam, Philosophus in hoc capite, solùm suos aduersarios modò superatos nominat, illorum leges ac instituta breuiter recensẽt, pauca assumit sibi, reliqua vt spolia suæ artis nobis proponit, sic enim ait. Eorum qui de repub. scripserunt quidam in otio & quiete semper vixerunt, vt Plato, Phaleas, Hippodamus: quidam

De legislatore Athenienſi, & alijs.

„ quidam in ciuitatis administratione sunt versati, at horum
„ alij legum authores fuerunt duntaxat, alij etiam reipublicæ
„ administrandæ rationem tradiderunt, vt Lycurgus & Solon.

De rep. Athen. Plut. in Solon.

Hîc Solonem vt industrium & sapientem legislatorẽ extollit Arist. quia Oligarchiam seu paucorum dominatum sustulit, quia populum seruitute liberauit, quia veterem Democratiã seu auitam potentiam restituit,& quia denique totam remp. Athenienſem rectè ac prudenter instituit. Senatum enim illum Ariopageticum ad paucorum principatum,magistratuũ electionẽ ad optimatum imperium,iudicia ad populi authoritatem retulit,sic ergò omnia in ciuitate permiscuit,sic temperauit, vt summi, medij, infimi, aliquâ parte ciuitatis freti omnium vixerint beatissimi.At accusarunt Solonem quidam quòd datâ populo tantâ iudiciorum libertate illustrem illum Ariopagi senatum in nihilum tandem redegerit. Sed respondet Philosophus hoc non in animo habuisse Solonem, sed id effecisse Ephialtem & Periclem, qui mercenaria iudicia in fauorem populi reddiderunt: imò potiùs hoc euenit ex victoriâ illâ celebri contra Xerxem imperatore Themistocle,cuius author populus Athenienſis fuit, quo insolentior factus spiritus solito maiores sumpsit, adeoque in Ariopagitas viros consulares intumuit,vt sorte suâ non contentus in tyrannidem conuersus triumpharet.His positis turbam legumlatorum introducit, ac illorum proprias leges & instituta narrat. Latores legũ nominatim hij sunt, Zaleucus, Charondas, Onamacritus, Philolaus, Draco, Pittacus, & Androdamas, quorum historiæ clarissimè in textu patent. Zaleucus, vt aliquid de singulis dicam, hanc legem Locrensibus tulit, vt in adulterio deprehensi ambobus oculis priuarentur:paulò post Zaleuci filius, reus istius sceleris inuentus, ad patris tribunal sistitur, pro illo deprecatur populus; at rex iustus, vt legi & populo satisfaceret, filio vnum & sibi alterum effodit oculũ.Rara certè ac mira est vis iustitię,quæ reges sibi in filijs non sinit parcere, quam enim peccandi licentiam speret populus si in regum filios ciuilis distringatur gladius?Charõdas, qui vrbibus Chalcidicis circa Italiã & Siciliam

Plut.in Pericle & Cimone.

De varijs legumlatoribus Cæl.Rhodigin.antiq.lect. lib.10.cap.10.

De Zaleuco Cic.ad Att.6. ep.1.

Val.Max.lib. 6.cap.5.



ciliam leges dedit, hoc vnum memoratu dignum mandauit, vt mendaces ac falsi testes exilio & morte plecterẽtur. Onamacritus,qui arte diuinandi excelluit,in Creta hanc legẽ tulit,vt religio in Deũ violata gladio puniretur. Philolaus Corinthius Thebanorum legislator constituit,vt bonorum(quę cuique sorte obtigissent) & hæreditatum numerus sub pæna exilij seruaretur. Draconis leges præter sanguinem, quo erant conscriptæ, nihil omninò sapuerunt,nam omnibus criminibus etiam leuissimis capitis pænam constituit. Pittacus Mytilenæus legem sanxit, vt ebrij, si quem læderent, maiorem pænam quàm sobrij luerent. Androdamas multas leges de cædibus & orbis puellis tradidit. Platonis leges hîc lubens taceo, quia antea easdem recensuit & refutauit Philosophus. Cæterùm ex his enumeratis legibus hanc vnam quæstionem decerpam, An falso testimonio oppressus & accusatus iustè condemnetur? Charondas (de quo modò diximus) multa de falso testimonio commemoratione digna scripsit, inter quæ hoc vnum est,quòd falsis testibus oppressus aliquando iustè condemnetur. Sciendum est testimonium olim introductum fuisse in fauorem agnoscendæ veritatis, vt quantum in nobis est ad primam veritatem, quæ falli non potest, tenderemus. Hinc liquidò constat, quàm immane & inhumanum facinus sit falsum testimonium perhibere, cùm sit quàm maximè à primâ veritate discedere ac declinare. Est enim in falso testimonio triplex deformitas, periurij, violatæ iustitiæ, occultæque malitiæ: periurij, quia nemo in iudicio vt testis nisi iuratus admittitur;violatæ iustitiæ, quia seueris legibus hoc prohibetur; malitiæ, quia innocens hoc modo in periculum ac vitæ discrimen contra intentionem ciuitatis trahitur. Cæterùm quamuis falsum testimonium sit monstrum contra conscientiam & veritatem, quo nihil crudelius esse aut fingi potest: qui tamen falsis testibus oppressus condemnatur, iniustam sententiam ferre semper non dicitur. Nam cum via discutiendi sceleris, cumq; humana veritatis indagandæ ratio sit admodum infirma ac imbecilla,

De Charonda Plat.poli. 10.de vtroq; Cic.de leg.2. & Diod.Sic. biblio.lib.12. Proœmia legum à Zaleuco & Charonda latarum habet Stobæ. ser.42.

Demades. Plut.in Solone.

De Pittaco Diog.Laert. de hac lege Rhet.2. Eth.3. Quæstio.

cilla,fieri non potest, quin iudex (sit ille sapiens) aliquando perditorum iuramentis cogatur credere:nam tam diu pernicioſi pro bonis habentur, donec probantur esse apertè mali. Cum ergo coram iudice sanguisugæ vitæq; insidiatores iusiurandum solemniùs contra Aristidem iustum de crimine lęsæ maiestatis sumant, si iudex secundùm allegata & probata (vt aiunt)procedat,iniustè Aristides non cõdemnatur: quippè melius est vt Aristides vnus quàm ordo iuris ac ciuitatis periat.At dices,bonus est:ergò iustè condemnari non debet. Illud quoque addo, nemo sine culpâ, nemo sine causa è vita tolli debet.Respondeo hoc fieri sine culpa Aristidis, at non sine causa ciuitatis, quæ est ordinatio seu constitutio iuris. Verùm si iudex hoc ipsum intellexerit, nempè Aristidem esse innocentem, quamuis vt iudex in seueritate legis punire potest;in moderatione tamen æquitatis, quæ iustitiæ aciem retundit, hoc ipsum omninò agere prohibetur; imò exquisitissima potiùs tormenta iudex subire non recusetˌquàm innocentis sanguinem contra suam ipsius conscientiam effundat.

Distinctio quæst.

Iniusta mente iustâ cur fiant.

Innocens falsò accusatus iustè aliquando condemnari potest,quia

- Iudicium secundùm allegata & probata procedit.
- Ordinatio communis iustitiæ post deponentium testimonium hoc ipsum postulat.
- Tribunal locus terroris non lenitatis, iustitiæ non clementiæ dicitur.

Ab aduerso. Opp. *Virtus laudem non pœnam meretur,ergò iustus ac innocens iure condemnari non potest.*

Resp. *Fatendum est præmium potiùs quàm pœnam iusto deberi, veruntamen si iustus secundum ordinem ciuitatis vt reus accusetur,idem ex præscripto legis (quæ ad publicum bonum conseruandum refertur)iustè condemnari potest.*

Ab effecto. Opp. *Crudele est sine culpa in aliquem animaduertere: sed à iusto non committitur culpa: ergò crudele est in iustum animaduertere.*

Iudex iustus innocentem

Resp. *Sine culpa est at non sine causa; nam cum testimonium refutari non potest,testimonio instructus iudex iustitiæ gladium ex officio*



*officio distringit, accusatumq; tanquam reum percutit ac condemnat. Hoc autem tum solùm fit,cum insidiæ falsorum testium deprehendi non possunt: aliter re cognitâ,iudex æquitatem ad clementiam potiùs quàm seueritatem ad offensionem & vult si bonus est,& solet si constans,& debet quia iudex,exercere. Nam si re cognitâ iustum condemnaret contra suam ipsius conscientiam ageret, quo mordacius,vel atrocius,nihil fingi aut cogitari potest: sunt tamen qui existimant,quòd iudex,vt iudex,non vt priuata persona,iustè innocentem sic accusatum condemnet.*

sine culpa, nõ tamen sine causa aliquando condemnet.

Dubium

*An ebrius flagitium committens grauiore pœnâ sit affligendus, quàm si sobrius commisisset?*

LOngiùs facesse hinc quæso(M.Antoni)nam hesterna cęna, quam hodie cum frustis Bacchum redolentibus euomueris, me adhuc ieiunum nimis offendit. Nonnè vides temulente tuum ipsius gremium totumq;tribunal incoctæ tuæ cœnæ fœcibus defœdatum? Salue Tiberi imperator bibacissime,vosq; Flacce & Piso florentissimarum palmarum bibuli, saluete plurimùm, an biduum hoc totum potando consumpsistis? Quî fit quòd oculos vestros tam somniculosos, linguas tam tremulas, pedes tam vacillantes videam? Appello Philippe Macedonum rex inclytissime.Appellas furcifer?Appello tamen.Ad quem tandem?à Philippo iam temulento ad Philippum sobrium. Sed quid ago? Demonstrando meliùs quàm perorando hæc causa peragetur. Rectè Seneca.Ebrietas nihil aliud est quàm voluntaria insania. Ebriosus ergo,qui scelus committit,tam est indignus veniâ,ac qui duplici pœnâ affligi ac vulnerari debeat; duplici dico, quia vnam subiret propter ignorantiam, quæ est crassa & supina; alteram verò propter culpam commissam, quæ est intoleranda. Præterea, qui plura mala agit, magis est castigandus: sed ebrius plura mala agit quàm sobrius: ergo grauiùs est castigandus. Minor probatur, quia naturam, seipsum & ciuitatem offendit;naturam, quæ ebrietate imbecilla redditur;seipsum,quia acies ingenij hoc modo tollitur; ciuitatem, quia ciuis furioso vini halitu ac flammâ lœditur. Postremò

Prosopopœia Machetæ & Philippi.

In ebrios cur pœna grauior sit irrogandâ. Arist.Eth.3. cap.5.

Ebrius in Naturam,Ciuitatem, Seipsum peccat.

Ebrietatem sequuntur libido animi, intemperantia populi. Vinum loquax.

ebrietatem maiora incommoda reipub. sequuntur, vt libido animi, intemperantia populi, quæ pestes tanquam vlcera latiùs serpunt, totamq; ciuitatem, si non sanentur, veluti leprâ & scabie incurabili tandem inficiunt. Quarè Pittacus rectè (vt est in textu) seueras in ebriosos leges constituit: parcè ergo sumatur vinum: nam vinum loquax est & tacere nescit, imò vinũ & venus homines cyclopas monstraq; naturę reddunt. Vinum pharmacum corporis, sed venenum mentis; illius vsum ad sobrietatem probo, at excessum ad ebrietatem acriter reprehendo.

Distinctio.

Ebriosus committens scelus grauiùs est puniendus propter
- Ignorantiam, quæ est voluntaria.
- Iniuriam, quæ facta est naturæ.
- Damnum, quod infertur reipub.
- Mala, quæ sequuntur intoleranda.

Ab efficiente. Opp. *Peccatum eo grauius est quo magis voluntarium: sed peccatum sobrij est magis voluntarium quàm peccatum ebriosi: ergo peccatum sobrij est grauius, & ex consequenti sobrius magis propter scelus commissum est puniendus quàm vino captus. Maior est Philosophi tertio Ethicorum. Minor experientiâ patet, quia musto ac mero pleni intentionem sceleris non habent.*

Resp. *Non minùs voluntarium est peccatum ebriosi quàm sobrij, quia ignorantia vinum ladere est voluntaria, quæ ignorantia est causa perniciosa ebrietatis. Praterea iudex non semper condemnat ex intentione hominis, sed ex læsione maiore aut minore ciuitatis; hinc iurisprudentes vulgò dicunt: homo aliquandò puniri potest sine culpa, si intentionem mentis, at non sine causa si læsionem ciuitatis spectes.*

A pari. Opp. *Ebriosi & insani solum tempore differunt, nam vtrique vsu rationis carent: sed insani propter scelera commissa non puniuntur grauiùs, ergo nec ebriosi.*

Resp. *Plus differunt quàm tempore ebriosi & insani, nam ebrietatis causa est voluntaria, at insaniæ causa vitium est naturæ. Quarè si vtrique, ijsdem legibus non coerceantur, benè consulitum est, nam magis ciuitatẽ monstrosa ebrietas, quàm furiosa insania ladit.*

Laus Deo.

LIBER



# LIBER TERTIVS.

## CAP. I.

*An ciuis & ciuitas rectè definiantur?*
*An mutato statu reipub. idem ciuis maneat?*

SPOLIIS multorum philosophorum nunc tandem rediens Arist. ad pacis castra & præcepta venit; nam vt in altero libro sollicitus erat Socratis, Platonis, Hippodami, Phaleę, aliorumque, vtputà Athenienſium, Lacedæmoniorum, Carthaginenſium ciuitates minùs cautè propugnatas dejcere: ita in hoc & in reliquis iam sequuturis Spartam aliquam nobilem ædificare conatur, quam neq; hostilis manus cõterat, neq; dentata temporis lima & vetustas vnquam conficiat. Hæc ciuitas non pulchris domibus vt Alexandria, non altis mœnibus vt Carthago, non varijs montibus vt Roma ornata est: insignem tamẽ in eo laudem habet, quòd optimis legibus munita, diuinam Philosophiam in solio regnantem, incorruptam iustitiam in foro iudicantem, æternam pacem in templo triumphantem videat. Huc enim omnis ciuitas hominumq; societas debet contendere, vt in consilijs prouida, in præmijs & pœnis incorrupta, in vsu pacis beata esse videatur: quæ certè omnia fieri non possunt, si Aristotelis Politicis contemptis, Politica Machiauelli ciuitatem regant. Sed rem aggredior. Tertius hic liber Politicorum in tres partes diuiditur, in quarum prima, quid ciuis & ciuitas, in secunda quotuplex, in tertia quæ optima est ciuitatis constitutio generatim ostenditur. Primum hoc caput iterum has duas partes continet, nempè definitionem & dubitationem.

Scopus.

Tertius liber in tres partes distribuitur. Primi cap. partes. 2.

tionem. Definitio duplex est, ciuis ac ciuitatis. Dubitatio multiplex, in qua res variæ proponuntur. In primo vestibulo istius capitis demonstrat Philosophus necessarium esse homini politico, quis ciuis, quid ciuitas sit definire: ratio est, quia aliter quid à ciuitate, quid à potentia optimatum, quid à tyranno factum sit, facilè iudicari non potest. Præterea cum ciuitas sit materia in quâ totum negotium & veluti sphæra reipublicę vertitur, necesse est vt accuratè politicus, quid sit ciuitas, perscrutetur: & quoniam totum haud rectè intelligitur sine parte, primùm quid ciuis sit (qui est pars ciuitatis) declaratur. Nam in omni statu ac conditione ciuilis administrationis idem ciuis non est: verbi causâ, qui est in populari statu ciuis, in paucorum potentiâ ciuis non erit: qui ergo imperitus est definiendi ciuem, fateatur se non solùm politicæ scientiæ ignarum esse, verumetiam minùs idoneum ad vllam in ciuitate administrationem, vllumque ordinem suscipiendum. Sed ne diutiùs lectorem suspensum teneam, primùm in textu quis non sit ciuis quàm quis sit, quid non sit ciuitas quã quid sit ostenditur. Distinguit ergo philosophus quòd alius sit ciuis analogicè & secundũ similitudinẽ, alius simpliciter & secundùm essentiã: sub primonomine peregrinos, seruos, senes decrepitos, & infantes comprehẽdit: nam hij lege, & luce ciuitatis non aliter quàm ciues vtuntur. Veruntamen quoniam peregrini & serui rerum ciuilium per se non sunt participes, quoniam decrepiti ab officijs & negotijs reipub. vacant, quoniam pueri ob defectum ętatis nondum in ciuium numerũ sunt ascripti, non absolutè & simpliciter, sed secundũ quid (vt aiunt) & ex parte inter ciues sunt nominandi. Ciuis autẽ simpliciter nullâ re aliâ definitur magis quã participatione ciuilis potestatis, quę in consultãdo, iudicãdo, & subeundo magistratu cernitur. Nã siuè sit natus, siuè sit factus ciuis hanc potestatẽ aut insitam naturâ, aut assumptã industriâ & authoritate habet. Est ergo ciuis pars ciuitatis vel à naturâ parta, vel publicâ authoritate approbata, consilij, iudicii, & magistratus actu aut potestate compos. Est pars, nam vt ex membris corpus: ita ex

Propositio.

Ciuis Analogicè, Simpliciter.

Definitio Ciuis, & eiusdem interpretatio.



ex ciuibus politica multitudo & ordo constat. Est pars à natura parta, vel publicâ authoritate approbata, quia natura libertatem generandi, authoritas dignitatem approbandi habet. Est consilij particeps, si consultationem; iudicij, si suffragium; magistratus, si populi electionem & officium spectes. Actu, aut potestate horum omnium compos dicitur; actu, quia alij in naui reipublicæ negotiantur, vt Scipiones, Hannibales; alij in littore adhuc quasi ludunt, vt Papirius Romanus ille puer, qui propter spem & expectationem indolis talarem togam adhuc paruus meruit. Hæc definitio ciuis ciuibus in Monarchiâ, in Aristocratiâ, in Democratiâ, in omni statu rectè administratæ ciuitatis conuenit. In Monarchiâ, quia libertas subditorum regiam maiestatem infirmiorem reddit. In Aristocratiâ, quia via dignitatis populo patefacta, nobilibus animos multitudinis maximè deuincit. In Democratiâ, quia popularis hic status est, & sui perniciem (negatâ populo authoritate) non quærit. In mixto denique statu, & ex hisce omnibus conflato, quia nec reges sine libertate, nec proceres sine benignitate, nec tribuni plebis sine consensu populi stare aut florere possunt. Nam vt inter animam & corpus: ita inter regem & plebem, inter principem & populum summa debet esse conspiratio, sine quâ vela ciuitatis & fundamenta veluti periculoso fulmine discindentur: nam quod regnum tutum, cuius custos populi metus est? Quæ ciuitas salua, in qua multitudo vi & armis oppressa viuit? Imò in qua libertate consultandi, iudicandi, magistratus gerendi priuata & spoliata viuit? Est ergo ciuis pars rectè administratæ ciuitatis natus, aut factus, consilij, iudicij, & magistratus particeps. Valeat hic tyrannis, omnisq; constitutio peruersa & iniusta ciuitatis: nam vt locum in quo tyrannus pręest, nõ ciuitatem: ita virum quem metus premit, non ciuem definio. At ais, omnis ciuis ad cõsilium, ad iudicium, ad magistratum non admittitur, neque hoc ipsum decorum aut necessarium est vt admittatur, quippe multitudo plerumque imperita est, temeraria & inconstans: at ignorantia ad consilium,

Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 6.

Verè ciuis.

Vulgus imperitum, temerarium, inconstans.

temeritas ad iudicium, inconstantia ad magistratum admitti non debet. Respondeo, in hoc vel maximè prudentiam eorum, qui ad clauum reipublicę sedent, requiri, vt seriò ac diligenter animaduertant, quibus ad rempub. accessum patefaciant. Cæterùm id quoque caueant, vt neminem ex ciuibus penitùs secludant, sed vt cuiq; opportunè quod suum est pro conditione ac merito tribuatur. Per consilium hoc loco consultationem, per iudicium electionem, per magistratum indefinitum officium aut præmium ciuitatis Aristoteles intelligit; ad quæ tria quilibet verè ciuis vocari, & admitti debet; nam in his tribus, forma ciuis, & ciuitatis cernitur. Sequitur in textu alia contra hanc definitionem obiectio, quòd in diuersis rerumpub. constitutionibus idem ciuis esse non possit, & proindè vniuoca ciuis definitio singulis in omni statu ciuitatis conuenire non potest: si enim constitutiones diuersæ specie differant, ciues quoque in illis existentes eodem modo distinguuntur. Prætereà sunt aliquæ ciuitates in quibus non habent ciues potestatem iudicandi & consultandi in concione, vt apud Lacedæmonios, qui Ephoros certos & definitos magistratus habuerunt. Sed facilè deletur hæc obiectio: nam ista definitio ciuis generatim non speciatim traditur, at generalis definitio rebus naturâ diuersis (vt animalis definitio homini & belluæ) vniuocè competere & conuenire potest. De Ephoris Lacedæmoniorum certisq; ac definitis magistratibus respõdeo, in eo populũ à consilio, & iudicio non penitus arceri, quòd penes populum sit hos magistratus eligere, & approbare. Ex his iam constat, quomodò rectè definiatur ciuitas, nam si ciuis sit pars rectè administratæ ciuitatis nata aut facta; consilij, iudicij, magistratus, actu aut potentiâ particeps, ciuitas erit necessariò multitudo illorum qui hanc potestatem consultandi, & iudicandi habent. Est ergò ciuitas vnita & collecta societas hominum, vi naturæ aut iustitiæ, actu, aut potentiâ simul existentium: nec non consilij, iudicij, magistratus, particeps; qui ijsdem legibus inter se deuincti, omni rerum tam humanarum quàm diuinarum copiâ, & (vt aiunt) sufficientiâ

Consilium. Iudicium. Magistratus. Vid. Arist. pol. 4. cap. 14. 15. & 16.

Pol. 4. cap. 14.

Pol. 2. cap. 7. lib. 5. cap. 11. Plut. in Lycur. Xenoph. de rep Spar.

Definitio Ciuitatis, & eiusdem explicatio.



tiâ perfruuntur; vnitam societatem dico, nam omnis dispersa societas & more belluarum vaga non est ciuitas. Vis naturæ additur ad natos, vis iustitiæ ad factos distinguendos ciues. Hoc verbum actu, inseritur vt perfectos, potentia verò, vt imperfectos intelligas; per participationem consilij, iudicij, magistratus, formam & perfectionem ciuis; per copiam & sufficientiam rerum tam humanarum quàm diuinarum, formam & perfectionem ciuitatis intelligo: nam virtutum, atque legum sancta & religiosa obseruatio, ciuitatis forma, & perfectio dicitur. Sequuntur iam dubia quędam, primum eorum qui neminem ciuem esse voluerunt, nisi aut ab vtroque parente ciuem natum, aut à longiore auorum proauorumque stemmate progressum; sed hunc nodum cum Gorgia Leontino Arist. in textu facilè soluit; nam si quisque à maiorum linea & sanguine pro libertate & donatione ciuitatis penderet, primi fundatores ciuitatum ciues non haberentur: non ergò natura, non locus seu habitatio, nõ iuris seu fori communicatio ciuem semper ex necessitate facit, sic omnes nati in ciuitate tametsi serui, sic omnes incolæ tametsi peregrini, sic omnes mercatores tametsi alieni, ciues essent: restat ergò quòd sola consilij, iudicij, dignitatis participatio, ciuem verè definiat. Altera dubitatio est vtrùm mutato statu reipub. idem omnino ciuis maneat. Obseruandum hîc est mutari ciuitatis formam bifariam, aut benè, aut malè. Benè, si grauissimis de causis regnum in senatum, vt apud Romanos, aut ex aduerso commutetur respub. Malè, si insaniente populo regnum in tyrannidem aut popularem statum declinet. Si benè ac iustè fiat alteratio, ordo quidem mutatur, sed idem ciuis manet, quod quidem probatur primũ ab inductione, quia Socrates existẽs ciuis in monarchia, mutato statu idem in aristocratia, idem in democratia, idem in mixto statu reipub. manet: sed plures non sunt species rectè administratæ ciuitatis: ergo mutatione factâ idem in omni manet. Maior perspicua est, quia etsi mutatur ordo, eadem tamen participatio consilij, iudicij, ac magistratus manet. Nam in his omnibus constitutionibus aditus ad hæc

Forma Ciuitatis.

An vtroq; parente ciuis solummodo sit ciuis.

Secunda quæstio. Ciuitatis forma mutatur Bene, Male.

tria nemini intercluditur. A definitione ciuis, quæ est vt sit pars ciuitatis nata, aut facta, consilij, iudicij, dignitatis, actu, aut potentiâ particeps; sed manente libertate in omni iusta reipublicæ forma hæc omnia sunt: Sequitur ergo eundem ciuem mutato statu permanere. At dices idem non est regibus ac Ephoris obedire, idem non est vnius imperio, vt in monarchia; & paucorum potentiæ, vt in aristocratia subiectum fieri. Fateor, at hæc ordinis non ciuis, modi non rei mutationem arguunt. A similitudine tertia ratio ducenda est, idque hoc modo. Quemadmodùm surculo pomi aut alterius plantæ piro insitâ, natura pomi in pirum mutatur, radix tamen eadem manet: ita nouo ordine administrationis instituto, forma reipublicę alteratur, at ciuis (qui est radix ac seges ciuitatis) idem incommutabiliter existit: si ergo eadem libertas, si eadem authoritas, si eadem consilij, iudicij, ac dignitatis communitas post mutationem ciuitatis manet, rationem non video, quin idem ciuis maneat. Sed hæc hactenus ex opinione propria non repugnante in textu Aristotele. Cæterùm si à bono in malum, à iusto in deprauatum statum mutetur respub. vt à monarchia in tyrannidem, ab aristocratia in oligarchiam, à democratia in tymocratiam, à mixto statu in anarchiam, tum quidem eundem non existere ciuem existimamus. Nam vt hîc docet Philosophus, eadem est ratio iusti & iniusti, quę est veri & falsi: sed verum ens est, falsum non est: ergo iustum ens est, iniustum non erit; quasi diceret, in omni rectè administratæ ciuitatis formâ, vt in monarchiâ, aristocratiâ, & cæteris, verè & iustè est ciuis: at in tyrannide, oligarchiâ, & reliquis, falsò ac iniustè ciuis nominatur: si igitur monarchia in qua verè & iustè est ciuis, in tyrannidem commutetur: ciuis qui in illa fuit, in hac nõ erit, quia id quod iniustum est, verè ac omninò non esse dicitur. Prętera cum in peruersis ac perturbatis illis constitutionibus reipub. nihil factum à ciuitate, nihil decretum à senatu, nihil lege, ac ordine constitutum ac definitum, iustè habeatur, necesse est vt iniustè sit habendus ciuis, qui ciuitatem non habet in qua viuat,

Verè, & iustè Ciuis. Idem valet falsum & iniustum, falsũ non est, ergo iniustè ciuis non est ciuis.



viuat, at iniustè factus ciuis, non est ciuis, quia iniustum non est. Id enim solùm in ciuitate fit, quod iure fit. Attamen si tyrannis in regnum, oligarchia in ciuitatem redeat, non est eadem ratio: nam tum falsum in verum, iniustum in id quod est iustum, id quod non est in id quod est, non ciuis in ciuem commutatur. At si quid factum pactumq; sit in tyrannide aut oligarchia, idipsum quodammodo ratum ac firmum in regno ac aristocratiâ voluit hîc Arist. vt si mutuò vim magnam pecuniarum acceperit tyrannus mutatâ tyrannide in ciuitatem ad eandem soluendam teneri rempub. existimarit. Ratio est, quia etsi ciuitas verè non fuit, æquitas tamen semper florere debet: quod fieri non videtur, si pacta in tyrannide alijsq; deprauatis constitutionibus reipub. mutato statu religiosè non persoluantur.

In ciuitate solum fit, quod iure fit.

Distinctio primæ quęstionis.

*An ciuis & ciuitas rectè definiantur?*

Ciuis & ciuitas considerantur bifariam, aut quoad
- Constitutionẽ naturæ, & sic in primo libro definiuntur.
- Administrationem prudẽtię, & sic hoc loco accepta, considerantur, aut
  - Analogicè, & hoc modo, pueri, senes, serui, perigrini, ciues: tyrannis, paucorum potentia, populariśque factio ciuitates dicuntur.
  - Verè, & sic solùm consilij, iudicij, magistratus participes, ciues: & iustæ constitutiones rerumpublicarum ciuitates habentur.

Opp. *Definitio ciuis tradita omni ciui non conuenit: ergo non rectè assignatur. Antecedens patet, quia neq; in regali statu summi magistratus, neq; in paucorum potentiâ consularis dignitatis particeps est: nam in illo rex successione sanguinis, in hac gubernatores electione multitudinis designantur.*

Resp. *Primũ negamus omnes reges successione creari, nã multis in locis electione fiunt, neq; hoc sequitur. Rex successione sanguinis constituitur: ergò ciuis particeps sumi magistratus non dicitur. Ratio*

Particeps magistratus in fruendo, vtendo.

*est, quia participatio non solùm in fruendo cernitur, quod reg; verumetiam in vtendo, quod ciui debetur. Præterea cum ciuis de rebus grauissimis ciuitatis in senatu consultandi, iudicãdi, suffragandi libertatem habet, & ita habet vt sine consensu populi lex publica non fiat, in rege populus veluti conclusus, regia maiestatis quodammodo compos habeatur. Ad alteram partem argumenti respondeo, perpetuitatem Ephororum, qui electione fiunt, non obstare, quominùs ciues participes magistratus dicantur, partim quia alia sunt officia in ciuitate, partim quia eorum calculis approbantur.*

Ciuis natus.

Ciuitas consideratur Absolutè, Inchoatè.

Opp. *Ciuitas est politica societas lege & arte nõ vi naturæ facta: ergò ciuis natus non est: natura enim hominem, iustitia ciuem facit.*

Resp. *Ab vberibus naturæ ciuitas suas vires suxit, quamobrem etsi ciuitas absolutè considerata lege ac arte constat, inchoatè tamen considerata ab vtero naturæ fluit, & sic nati sunt multi ciues, qui à parentibus ciuibus ortus initium petunt.*

Opp. *Peregrini, serui, pueri, senesq; decrepiti in textu à nomine ac definitione ciuis excluduntur: sed hij singuli aut actu aut potentiâ possunt esse consilij, iudicij, dignitatisq; ciuilis compotes: ergo possunt esse ciues.*

Resp. *Non quæritur solùm hoc loco qui esse possint, sed etiam qui existant ciues: neq; in textu negatur pueris & senibus nomen ciuis, sed docet Arest. hos non esse simpliciter & absolutè ciues. De peregrinis & seruis dico, si illi consensu publico admittantur, si hij donentur libertate, possunt rectè nominari ciues: at tutum non est ciuilem togam multis peregrinis concedere, tutum non est mancipijs gladium authoritatis porrigere.*

Serui & peregrini donati ciuitate, Ciues.

Opp *Senes ex albo & catalogo ciuium dispungere, est senes contemnere: ergo è libro ciuium deleri nõ debent, vt docet in textu Philosophus. Antecedens probatur, quia à catalogo ciuium illorum nomina dispungere, est à consilijs, iudicijs, ac magistratibus illos arcere. At quid hoc aliud est quàm venerandam caniciem ac senectutem contemnere?*

Resp. *Respondetur huic argumento, senes à ciuitate non penitus excludi, sed à publicis muneribus ciuitatis liberari. Ratio est, quod plerumq; in illis & vires corporis & vires mentis deficiant. Nam vt corpus, ita mens (vt ait Arist.) senium habet: hoc autem dicit nõ quòd*

pol. 2. cap. 7.



*quòd anima intellectualis (quæ immortalis est) senescat; sed quòd effœtis ac deficientibus corporis instrumentis, splendor quoq; ac vsus rationis attenuetur, vndè prouerbium est; Senex bis puer.*

Senex bis puer.

Opp. *Exules, hominesq; ignominiâ notati in textu videntur negari ciues: sed hoc est absurdum: ergo negari non debent. Minor patet, quia in tertio cap. huius libri Arist. defendit contrarium, nempè bonum ciuem esse posse, tametsi vir malus idem existat.*

Resp. *In votis habuit Arist. vt omnes ac singuli in ciuitate boni viri existerent, verùm cum in turba ac silua hominum hoc fieri nequeat, distinguit fieri quidem posse vt sit ciuis bonus secundùm virtutem officij, quamuis sit vir malus secundùm virtutem animi. Vult tamen hoc loco exules hominesq; ignominiâ notatos in quæstionem vocari, vt illorum exemplo alij à sceleris magnitudine deterreantur. D. Thomas verbo hoc argumentum soluit: cum (inquit) Philosophus homines vitiosos ciues esse negat, intelligit vitiosos tam animo quam officio, quales exules ac corrupti iudices habentur.*

## Argumenta contra definitionem ciuitatis.

Opp. *Ciuitas est collectio multorum, qui non sunt participes consiliorum, iudiciorum, ac magistratuum: ergo malè definitur. Antecedens probatur, quia artifices & serui sunt necessarij in ciuitate, & tamen non sunt participes istorum, vt patet in textu.*

Ossa & vngues, mancipia & artifices.

Resp. *Sicut ossa & vngues in homine sunt necessaria, & tamen in formâ & primaria actione hominis non communicant: ita mancipia & artifices in ciuitate sunt necessaria, tametsi ad consilia, iudicia & magistratus ciuitatis non accersantur. Omnes hîc artifices non excludo, sed sordidos & illiberales, qui naturæ sorte in sterquilinijs ciuitatis sudant; sed huic argumento in expositione respondetur.*

Opp. *Nulla ciuitas est tam accumulatè felix ac fortunata, vt omni rerum tam humanarum quàm diuinarum copiâ abundet: ergo malè definitur. Antecedens constat, quia necessaria est cum exteris nationibus gentibusq; rerum multarum commutatio.*

Resp. *Quemadmodũ oculus perfectus in se dicitur, etsi videre nõ potest sine lumine: ita ciuitas in se vndiq; beata appellatur, etsi florere non*

Anglia omnium rerum necessariarum copiâ abundans.

*non potest sine subsidio. Alij respondent huic rationi, quòd per copiam rerum omnium hoc loco solum necessaria ad victum cultumq; intelligantur, in quibus dulcissima Anglia præ omnibus in orbe terrarum gentibus habetur beatissima.*

## Distinctio secundę quęstionis.

### *An mutato statu reipub. idem ciuis maneat?*

Mutatur status reipublicæ in { Bonum, vt si aristocratia transeat in monarchiam, & sic idem ciuis, hoc est eadem natura ciuis manet, vt sit consilij, iudicij, ac dignitatis compos.

Malum, aut è conuerso, & sic idem non manet, vt si monarchia in tyrannidem conuertatur idem ciuis eademq; conditio consultandi, iudicandi ac imperandi non manet.

Opp. *Ciuitas & ciuis sunt relata: sed mutato statu reipub. non est eadem ciuitas: ergo non est idem ciuis. Maior constat ex definitione relatorum. Minor probatur, quia mutato statu eadem vnio (quæ est forma ciuitatis) non manet.*

Resp. *Eadem manet vnio sed non idem ordo vnionis: est enim in monarchiâ & aristocratiâ eadem vnio ciuium, sed non eadem ratio & ordo administrandi: nam in illa vni, in hac pluribus subyci & obtemperare oportet.*

Opp. *Si verum sit mutato statu eundem ciuem manere, tum monarchia, aristocratia, & democratia, eadem ciuitas dicerentur: at hoc absurdum est: ergo mutato statu idem ciuis non manet. Maior probatur, quia ex mutatione ciuitatis, mutatio ciuis pendet. Minor probatur, quia hæc tria diuersas ciuitates efficiunt.*

Resp. *Romanum imperium factum consulare, consulare iterum in populare versum, statum ciuitatis non ciuitatem commutauit: modus vt dixerim administrationis, non essentia ciuitatis tollitur; manet ergo eadem ciuitas, idemq; ciuis manet.*

Opp. *In secundo cap. huius libri apertè probatur, quòd mutato statu mutetur ciuitas: ergo malè hoc loco defenditur contrarium.*

„ *Antecedens patet in textu ex his verbis. Vbi (inquit Philosophus)*
„ *ciuitatis administranda ratio specie sit dispar ac dissimilis, differtq;*

*ciuibus; necesse esse videatur ciuitatem non esse eandem.*



Resp. *Ciuitas & ciuis considerantur bifariam: aut generatim pro formali vnione hominum in ordine viuentium, & sic non mutantur: aut specialim pro alio alioq; modo administrationis, & sic mutato statu mutantur, non tamen quoad essentiam sed quoad existentiam & ordinem vtriusq;: diuersus enim ordo existit, sed eadem vnio (quæ est forma ciuitatis) aliter modo, non naturâ affecta manet.*

Ciuitas & ciuis bifariam considerantur.

## Dubium.

*Vtrùm pacta tyranni mutato statu seruari debeant à ciuitate?*

Huius litis iudicium habet Demost. in Leptinem.

DELIRAS si furenti tyranno quicquam concedas: an acta furoris & libidinis, quæ in tyranno regnât, ciuitatis nomine defendis? Mirum est Aristoteles, quòd contradicendi studio tantoperè delecteris, vt in calce istius cap. audeas docere, actiones tyrannorum quodammodò fieri à ciuitate, easdemq; chyrographo ciuitatis confirmari debere. Quid si prodat ciuitatem tyrannus? quid si conspiret in consules? an ista facinora sint approbanda? An vt acta ciuitatis sunt æreis tabulis insculpenda? Nugas agis si sententiam meam tam peruersè interpreteris: quippè non dico tyrannidem esse statum reipub. sed labem, non esse ciuitatis clauem, sed luem: hoc tamen volo, acta publica in deprauato statu ciuitatis (mutatâ in melius constitutione) persolui; non tamen omnia, sed ea solùm, quæ non seruata, infamiæ maculam posteris aspergant. Vt si tyrannus publico consensu cum alio principe fœdus pacis ineat, si pecuniam mutuò accipiat, si fine pernicie ciuitatis, alia negotia quæcunque tractet, mutato statu hęc (inquam) omnia iustitiâ suadente præstari ac persolui debent. Sed vt rationes huius rei punctim accumulem. Si hoc non fieret, ius æquitatis violatur, ciuitatis honor diminuitur, iniuria alijs offertur, conflatur inuidia, belli ac seditionis fax accenditur, & deniq; (quod maximum est) tragœdia impiorum plerumq; sequitur. Multa hîc proponi possunt exempla, sed instar omnium sint Athenienses, qui da-

Sex rationes.

tas

tas à Lacedæmonijs pecunias, à triginta tyrannis acceptas mutuò, illis post hos expulsos persoluerunt.

Distinctio.

Acta in depravata constituti one ciuitatis aut sunt
- Priuata, ad quæ seruanda noua constitutio non obligatur.
- Publica, quæ sunt aut in
  - Perniciem ciuitatis, quæ seruari non debent.
  - Damnũ famæ, quæ sunt seruanda ob rationes quę superiùs assignãtur.

Opp. *Arist. docet in hoc Cap. tyrannidem, oligarchiam, timocratiam non esse ciuitates, hominesq; istarum constitutionum participes non esse ciues: non ergò rectè concludit ea quæ in istis fiunt quodammodo fieri à ciuitate. Nam vbi non est ciuitas, vbi non sunt ciues, ibi nihil à ciuitate fieri dicitur.*

Resp. *Non dicit Philosophus hæc fieri omninò ac simpliciter à ciuitate, sed quodammodo. Ratio est (vt Borreus exponit) quia in istis actis seruandis, iustitiæ tribunal non multùm violatur. Nam etsi tyrannis sit lues ciuitatis, omnia tamen in ea acta statim tyranno sublato rescindere est periculosum. Exempli causâ, Antonius Cæsaris occisi acta rescidit: sed continuò ciuitas sui motum & sydus incertum sensit.*

Cicero Phil 2.

Opp. *Damnum opponitur iustitiæ vt est in quinto Ethicorũ: ergo admitti non debet in ciuitate: sed damnum est obstringi tyrannorum consultis & eductis vi iuris obseruandis: malè ergo defenditur, vt obseruentur.*

Eth. lib. 5.

Resp. *Tolerare sæpè malum cogimur, vt vsuram, sed nõ præscribere: hoc autem agere oportet, ne maius aliquãdo irruat periculum. Exempli causâ, si pecunia à tyranno mutuo accepta ad salutem ciuitatis mutato tam statu non solueretur, maior nominis quàm facultatis, maior famæ quàm pecuniæ iactura sequitur.*

Malum toleratur non præscribitur.

Non est vt vlteriùs expectes studiose lector, fixum in margine vsum ac denominationem argumentorum, quæ à locis topicis eruuntur; nam vt eo hactenus hoc feci, quo certiùs intelligas neruis dialecticis omnem carere artem, adeoq; sine eiusdem veluti lacertis strenuè pugnare nullam; ita (re digito quasi demonstratâ satis) plura locorum nomina adijcere, esset tibi tuæq; memoriæ nimis diffidere.



## CAP. II.

*An ciuitas à loco numeroq; hominum eadem vel diuersa dicatur?*

POSTQVAM quid ciuitas, quid ciuis sit ostendit Philosophus; nunc quando eadem, quando diuersa est, paucissimis demonstrat. Quærit ergò, an loci habitatio, hominumq; consociatio eandem vel diuersam ciuitatem faciat? Hæc quæstio in primo Cap. quodammodo illustratur: nunc ergo veluti in pugillum colligemus singula. Alia est vulgi ac multitudinis, alia est docti & sapientis de hac causa opinio: si enim eadem mænia, si ijdem homines maneant, vulgus eandem manere ciuitatem putat: at longè secùs Philosophus hîc statuit, quippè vnitas ciuitatis non à loco sed à formâ, non à numero hominum sed ab ordine ciuium pendet. Consideranda sunt igitur hæc tria, locus, homines, & ordo ciuitatis: si locus mutetur erit vrbs alia non alia ciuitas. Nam etsi ciuitas vulgò sumatur nunc pro loco, nunc pro numero hominum, nunc pro vnione & ordine simul cohabitantiũ, locus tamen & numerus propriè ciuitatem non definiunt; quippè mutato loco, mutatis hominibus, eadem ciuitas id est eadem societas manere potest: quæ societas, si in alium locum transeat, eadem certè dicetur ciuitas, iuxta illud poetæ,

*------habitante Camillo*
*Illic Roma fuit.------*

Vnitas ciuitatis non à loco sed à forma.

Mutantur Locus, Homines, Forma reip.

Cæsar. de bel. Gal. lib. 1. Cic. in som. Scipion. Plut. de triplici polit.

Roma Veijs quia Camillus.

Lucan. lib. 2.

Et iterum illud Lucani de Pompeio, Lycurgo, Marcello, alijsq; qui regnante Cæsare Romam reliquerunt,

*Expulit armatam patrijs è sedibus vrbem.*

Si Galli ad Indos pellantur manente eadẽ administrandi formâ, illic Gallia est: ciuitas igitur à loco eadem vel diuersa nõ appellatur. Hoc probat Arist. in textu exẽplis, quia si mẽnibus

Herod.lib.1. Diod.Sic.lib. 3.cap 4. Solin. cap.70.

nibus æstimetur ciuitas,tũ Babylõ 60.millia passuũ amplexa vna,tunc Pelopõnesus ampla illa regio muris cincta vna etiã ciuitas diceretur: at illa multas formas administrationis, hæc multos ordines cõprehendit: illa tam magna fuit, vt tertium iam diem captâ ciuitate pars quædam eiusdem non sensisse; hæc tam vasta, vt multas in se ciuitates continuisse feratur. De hominibus quid dicam? Qui etsi centies mutentur, ciuitas tamen eadem permanere potest. Nam vt fluuium & item fontem eundem dicere solemus, licèt aqua sic profluxerit vt alterâ sublabente succedat altera:ita tametsi homines oriantur & cadant,eandẽ tamen ciuitatem subesse dicimus. Relinquitur ergo neq; mutationẽ loci, neq; mutationẽ multitudinis ciuitatem distinguere aut definire. Vndè igitur ciuitas diuersa dicitur? Certè à mutatione formæ,quæ vnio multitudinis ac ordo administrationis appellatur: hæc vnio, hic ordo si mutentur,mutatur quoq;ciuitas:nam in his formalis(vt aiunt) essentia ciuitatis ponitur:at mutatâ formâ res quælibet mutatur: ergo mutato ordine administrationis mutatur ciuitas. Ad confirmationem huius opinionis duo in textu adhibentur similia;primum est,quòd sicut chorus tragicus & comicus specie differant, etsi contingat sæpè eosdem homines vtrumq; agere: ita monarchia & aristocratia diuersas specie ciuitates constituunt,licèt ijdem homines vt materia in vtraque ciuitate maneant. Similiter vt concentus nunc Dorici, nunc Phrigij existentes naturâ quidem differunt, etsi ab ijsdem hominibus vterq; canitur:ita diuersi status reipub. diuersas ciuitates faciunt,tametsi ab ijsdem hominibus in vtroque viuitur. Summa omnium est,non locum,non numerum, sed vnionem ac ordinem ciuitatem eandem aut diuersam constituere: non locum, quia non in ædificio sed in consilio; non numerum, quia non in multitudine hominum sed in ordine & administratione rerum consistit ciuitas.

Status quæstionis.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

In consilio & ordine consistit ciuitas.

Ciui-



Ciuitas eadem vel diuersa dicitur bifariam, aut

- Secundùm vulgi opinionem, & sic loco numeroq; hominum varijs modis affectis eadem vel diuersa dicitur.
- Secundùm rei veritatem, & sic eadem vel diuersâ existente vnione, eadẽ vel diuersa appellatur; ratio est,
  - Quia denominatio & distinctio cuiusq; rei est à formâ.
  - Quia vt in choro & cantu se res habet:ita est in ciuitate.
  - Quia diuersi status ac constitutiones diuersas formas & fines habent.

Denominatio & distinctio est à forma.

Opp. *Paulò ante positum, est quòd mutato ordine non mutetur ciuitas aut ciuis: ergo si contrarijs hoc loco ponatur, defenditur contradictio.*

Resp. *Ciuitas & ciuis illic generatim vt diximus definiuntur, prout omnibus constitutionibus reipub. conueniunt, & sic mutato statu vt docuimus, non mutantur: at si speciatim considerentur, prout sunt diuersæ administrationes ac ordines,sic quidem differunt, neq; est in hoc sensu vlla contradictio.*

Opp. *Si pulsis à loco Romanis Gothi Romam incolant, mutatur ciuitas: ergo à loco numeroq; hominum etiam dependet ciuitas.*

Vt Græcis Turcæ Constantinopolim.

Resp. *Pulsis à suis sedibus Romanis,manet ciuitas eadem si idem ordo administrandi seruetur: sin verò secus fiat,diuersa non eadem manere dicitur.*

Opp. *Modus rei non est forma rei, sed ordo administrationis est modus quo gubernatur ciuitas: ergo non est forma ciuitatis. Quo dato,sequitur mutationem ordinis ciuitatis alterationẽ non efficere.*

Resp. *Ordo sumitur bifariam, aut pro externo modo actuq; iusti ac prudentis in ciuitate gubernanda,& sic non est forma neq; mutat ciuitatem: aut pro interna specie vnioneq; formali ciuium, & sic mutatio ordinis mutationem ciuitatis infert. Exempli causâ. Si bellum indicatur Gallis,Gallia statim à contemplatione pacis ad exercitationem Martis se conuertit; modus hic ciuitatis mutatur: at monarchiâ in eodem statu permanente eadem omninò ciuitas existit. Cæterùm si monarchia in aristocratiã aut aliam speciem reip.transeat, tũ quidem ordo qui est intrinseca forma ciuitatis extinguitur, adeoq; ipsa ciuitas eodẽ motu labefactata in aliud genus cõmutatur.*

Ordo bifariam sumitur.

Opp. *Si ciuitas à loco non penderet, tum Babylon & Athenæ iam olim deuastatæ, adhuc ciuitates dicerentur: sed hoc est absurdum*

Nunc tantum sinus & statio malefida carinis.

*surdum dicere: ergo à loco etiam dependet ciuitas.*

Deuastatio respectu Materiæ, Formæ.

Resp. *Deuastatio contingit duobus modis, aut respectu materiæ quæ in loco, aut respectu formæ quæ in ordine consistit. Si Babylon & Athenæ fiunt cadauera, possunt tamen esse ciuitates modò idẽ ordo ac ratio administrandi subsit. Veruntamen quoniã in deuastatione loci confusio populi ordinisqué dissolutio contigit, illarum ciuitatum nulla iam simulacra manent: nec enim locus sed populus facit Carthaginem, vt sensit Censorinus.*

Appian. Alexand. in Lyb. cap. 9.

Dubium. *Vtrùm expediat politico distinctè scire ciuium, vrbium, portuumq; numerum in sua repub.?*

Vrbes & portus maxima reipub. subsidia. Vid. Pol. 4. cap. 12.

Clues, prouincię, vrbes ac portus nerui ac ossa sunt ciuitatis: non es politicus si hæc ignores, non es dignus magistratu, nisi hæc verè & distinctè scias; pastor suarum ouium numerum ad vnguem tenet; an gubernator ciuitatis suorum ciuium turbã negliget? Imperator de locorum opportunitate, militumq; suorum viribus dies noctesq; studet; an prudẽs magistratus, vrbes & portus (qui sunt maxima reipub. subsidia) scire contemnet? Hoc negat authoritas, negat antiquitas, negat ratio, negat experientia. Authoritas hoc loco Arist. „ cuius verba sunt, De magnitudine ciuitatis quanta debeat „ esse, & vtrùm gentem vnam an plures esse expediat, hominẽ „ politicum ignorare non oportet. Antiquitas, quia apud Aegyptios vt scribit Herodotus in templo pacis omnia omniũ ciuium, prouinciarum, vrbium, portuumq; nomina tabulis cõscripta & appensa fuerũt, quę cõsuetudo ab illis ad Romanos fluxit. Ratio, quia sine cognitione horũ neq; ordo seruari neq; tractari negotiũ ciuitatis, neq; sine periculo propulsari hostis potest: nam ignotis ciuibus quis ordo, ignotis vrbibus quæ negotiatio, ignotis portubus quæ propugnatio ab hoste manet? Experientia deniq; quę ciues, vrbes, & portus, armis, muris, turribusq; nos tegere, munire & corroborare docuit.

**Distinctio.** Expedit politico scire numerum ciuiũ, vrbium, portuũq; ciuitatis, vt

1. Leges aptiùs ferat, quæ moribus diuersorum locorum competunt.
2. Ordinem rectiùs instituat.
3. Negotia ciuitatis accuratiùs tractet.
4. Loca infirma fortiùs defẽdat, hostẽ pellat, quę omnia fierinõ possunt, si hęc à politico negligantur.

Opp.



Opp. *Scientia locorum hominumq;, audaciam perditorum sæpè armat ad perniciem ciuitatis: ergo permitti non debet cuilibet politico vrbes, prouincias, ciues, ac portus percontari.*

Resp. *Hæc ratio fallax est, & non magis sequitur quàm si diceres, ignem accendi non debere, quia flammis aliquandò contingit incendium: periculumq; quod creant mali ex hac scientia, obstare non debet quò minùs boni tabulis & radijs describant ciuitatem. Si enim nautæ studendo chartis nauticis nauẽ à scopulis, quantò magis politici hac sciendo ciuitatem à periculis possunt defendere?*

Opp. *Numerus ciuium est infinitior: ergo sciri non potest.*

Resp. *Non hoc loco intelligitur, vt turba omnium ac singulorum ciuium numeretur, sed vt certa illorum habeatur distinctio: quippè hoc commodi indè euenit, vt sciat magistratus qui ad arma, qui ad pacata negotia ciuitatis naturâ aut arte comparentur.*

Opp. *Succensuit Deus Dauidi regi quòd populum suum enumerauerit: ergo numerum ciuium perscrutari curiosiùs non licet.* Sam. lib. 2. cap. 24.

Resp. *Succensuit non quòd populum enumerauit, sed quòd diffisus diuinæ potentiæ (quæ pro Israele pugnauerat) animum ad infirmitatem humanam conuerterit.*

## CAP. III.

*An eadem sit virtus boni viri ac boni ciuis?*
*An Magistratus vir bonus esse debeat?*
*An disciplinam obtemperandi perdiscere principibus expediat?*

Præsidium virtutis.

ENO interrogatus quo præsidio maximè indigeret ciuitas, virtutis inquit: sensit vir sapiens non mænibus, non ciuium lacertis, non militum armis, ac legionibus, ab hostium impetu defendi ciuitatem. Cadit enim honor Martis, vbi splendor ac sydus virtutis cadit. Hoc intelligens Philosophus, postquam quid ciuitas sit explicuit, ciuitatis vigilantissimam quasi custodem virtutem esse demonstrat: materia ergo ciuitatis est turba hominum, forma vnio & ordo ciuium, finis beata

Sydus virtutis solùm in ciuitate lucet.

Ciuitatis Materia, Forma, Finis, Conseruans.

beata affluentia rerum, at sola virtus est conseruatrix istorum omnium, cuius arce lux, vita, & salus ciuitatis sedent. Valeant igitur qui deuia quærunt, qui hoc medium non tenent, qui quodlibet sibi licere putant, modò suis votis potiantur; valeant qui principes leoninis vnguibus, ciues vulpinis pellibus tegi, & armari velint; vt illinc furor, hinc fraus & astus regnent: nunquam profectò fælicitèr actum erit cum illa repub. in qua hoc virus manat, ciuiumque animos & præcordia inficit. Nam vt rarò cicutam haurientes curantur: ita nullo alexipharmaco hac peste infecti ad pristinam sanitatem reuocantur. Si velis ergo præesse, disce virtutem; si velis subesse, disce virtutem; nam superba Carthago ruet si animosus Scipio in eam pugnet; Rectè poeta,

Horat. Epist. 1. lib. 1. *Virtus est, vitium fugere, & sapientia prima Stultitia caruisse.*

Quippè vt absente sole non apparent vmbræ: ita lucente virtute vitiorum laruæ dissipantur; O quàm optandum est vt sola virtus regnet! Sed ad Aristo. nunc venio, qui hoc loco hanc litem mouet, An eadem sit virtus boni viri, & boni ciuis? Eandem esse generatim negat, eandem esse speciatim ait: vult enim ciuis virtutem in genere spectare officium, vult magistratus virtutem sincerè spectare pietatis asylum: nam fieri non potest vt omnes ciues sint boni viri; at si à virtute magistratus declinet, populus citò malo exemplo perit. Huius rei olim Claudianus rationem dedit.

Quæstio prima. Eadem non omnium sed alicuius i. magistratus. Pol 2. cap. 9.

Lib. de 4. cons. Honorij. *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*
*Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

Hìc verò ne inter virtutem boni viri, boniq; ciuis distinctio ignoretur, quid sit ciuis virtus, à comparatione nauis cum ciuitate ostendit. Est enim ciuitas quasi nauis, sunt instar nautarum ciues, fælix nauigatio veluti prudens administratio ciuitatis, præfectus nauis quasi princeps, at alij qui diuersa officia actionesque subeunt, sunt tanquam hominum multitudo, qui ad diuersa munera reipublicæ destinantur; finis communis nauigantium est salus nauis, scopus simul cohabitantium est salus ciuitatis: sic ergò

Comparatio Nauis cum ciuitate.



ergo primus syllogismus à similitudine ductus formatur. Quemadmodùm est in gubernatione nauis, ita est in administratione ciuitatis: sed in gubernatione nauis sunt distincta officia, & facultates nautarum: ergo in administratione ciuitatis sunt diuersa munera & virtutes ciuium. Assumptio probatur, quia aliud officium remex, aliud gubernator puppis, aliud proræ præfectus gerit; quod cum ita sit, facile est virtutem boni ciuis definire, quæ nihil aliud est quàm habitus probè gerendi officium in republica, prout varia ciuitatis forma & constitutio postulat. Hoc posito liquidò iam constat, quòd virtus boni viri à virtute boni ciuis differat, cum illa ad officium præstandum, hæc ad animum exornandum destinetur; illa enim officij, hæc viri dicitur. Exempli causâ, Concionator hoc proprium munus in ciuitate tenet, vt animos ignorantium scientiâ veritatis imbuat; hoc in suggestu multi quidem sapienter agunt, qui tamen minùs candidè & studiosè viuunt: alia igitur est virtus officij, quam præstant; alia viri, quam vix salutant. Sequuntur in textu plures rationes, quarum prima à distinctione, secunda à definitione, tertia ab impossibili ducitur. A distinctione, quia virtus boni ciuis externum, virtus boni viri internum obiectum habet: nam illa veluti ad opus, hæc ad ornatum mentis refertur; illa ex parte bonum, hæc simplicitèr & absolutè honestum reddit; illa est in bono ciue, si calcearius ex corio bonum calceum, si vestiarius ex panno vestem concinnam fingat, hæc verò non inest nisi depositis malis moribus vir studiosus virtutis fiat. A definitione, quia virtus boni viri per prudentiam animi, virtus autem boni ciuis per notitiam officij definitur. Ab impossibili, quia si vna virtus esset boni ciuis ac boni viri, omnes ciues essent similes: at impossibile est omnes ciues esse similes: ergo non est vna virtus boni viri ac boni ciuis. Quòd verò fieri non possit vt omnes & singuli ciues sint virtutis studio & amplexu similes, hinc constat, quòd nulla sit multitudo hominum sine labe, nulla societas & communio sine lapsu & suspicione vitij. Adami familia

Cic. de Senect.

Virtus boni ciuis.

Gen. cap. 4.

Gen. cap.16. Gen.cap.25. Sam.2.cap.3. Matth.cap.26. Caiuum, ſancta Abrahami domus Iſmaelem, Iſaac ſuum Eſau, Dauid propheta ſuum Abſolonem, Chriſtus ipſe ſuum Iudam habuit. Quid tandem? An Roma nullos Neroues? An nullos Timones Athenæ alunt? Fieri certè non poteſt vt omnes ciues euadant probi; verum ergo eſt quod hic Pol.2.cap.1. Pol.1.cap.3. Ariſt. concludit, nempè quòd diſſimilium diſſimiles ſunt virtutes: at ciuitas ex diſſimilibus conſtat, ſicut animal ex anima & corpore, anima ex ratione & appetitu, domus ex viro & vxore: ciuium ergo non poſſunt eſſe ſimiles virtutes: ex quibus perſpicuum eſt, vnam & eandem ſimpliciter non Quæſt.ſecunda. eſſe virtutem boni viri ac boni ciuis. Sed iam ad ſecundam quæſtionem venio, in qua probatur quòd licèt boni ciuis boniq́ue viri eadem non ſit virtus in genere, eadem tamen eſſe debeat in ſpecie: hoc eſt, quamuis tota multitudo ciuium Ideam & diuinam virtutis formam non admiratur, magiſtratus tamen qui ad gubernacula ciuitatis ſedet, in am- Magiſtratus, oculus. plexibus vlniſq́; virtutis perpetuò conquieſceret. Nam vt obſcuratis oculis non vident partes: ita deprauatis magiſtratibus caſtè & iuſtè non viuunt ciues. Contagio peſtilentior non eſt quàm quæ præcordia petit, labes immanior non eſt quàm quæ culmina & faſtigia ciuitatis vrit; ſapienter ideò Ariſtoteles hic docet magiſtratũ abſolutè bonum ac ſtudioſum virum eſſe debere, id eſt talem, qui non ſolùm officium dignitate, ſed etiam qui pectus & animum virtute excolat: O quàm difficilis eſt virtutis via illis qui in altis & excelſis ciuitatis palatijs viuunt, imò illis qui in exquiſitis delicijs ac voluptatibus animos conſopitos vel potiùs ſepultos habent? In vtramque aurem dormis Sardanapale? Excita te- Iuſtin.lib.1. ipſum, nam Arbactus venit, neſcis ſtulte, neſcis quâ manu ſceptrum teneas: nam ſi ſcires, nunquàm byſſo ac purpurâ depictus cum meretriculis dies noctesq́; volutares. Rectè olim Ariſtides, Parùm prodeſt eſſe Iouis filium, & eſſe Mineruæ ſpurium. Iterùm, Non valet genus ſi non præualeat virtus. Vana eſt pompa principum, inanis eſt applauſus populi: honor, diuitiæ, forma, voluptas, in puluerem citò commutantur. Viuit ſola, viuit (inquam) ſola poſt funera



funera virtus. In dextra virtus, in ſiniſtra virtus, virtus in ſceptro, in gladio virtus, in omni parte & actione principis, candida virtus lucere debet. Quod cum ita ſit, non eſt difficile, paucis probare magiſtratum virum abſolutè bonum eſſe debere. Hoc in textu requirit Ariſtoteles, cuius verba hæc ſunt. Dicimus vtique bonum magiſtratum eſſe virum « bonum. Et iterum, Eadem eſt virtus boni principis & boni « viri. Teſtimonio Euripidis apertè hoc ipſum probat, qui « bonum principem non ſibi, ſed ciuitati exoptantem bonum introducit.

*Ne mi iſta glorioſa ſed quæ ciuitas deſiderat.*

Non extat fabula vnde iſta.

Sed hiſce rationibus vires & argumenta addam, quorum primum ab authoritate, Secundum à temporum hiſtoria, Tertium ab intentione legumlatorum, Quartum à contrario, poſtremum à fine, & fructu ducetur; punctis agam. Omnes Philoſophi qui vnquàm de repub. ante Machiauellum (quem Scribam, non Philoſophum appello) hoc vnum firmiſſimè tenuerunt, quòd principes viri boni eſſe deberent: Macch.lib.de princ.cap.18. ergo hocipſum in benè inſtituta repub. requiritur. Qui de antecedente dubitat, legat Platonis præclara monumenta de repub. aliorumq́; opera, & certè ſemper ac paſſim inueniet, virtutem in principibus maximè requiri. De hiſtorijs quid dicam? Siue ſacras, ſiue prophanas legeris, inuenies omnes hoc vno elogio plenas. Beatæ ciuitates in quibus principes ac magiſtratus ſapiunt; Deus bone, quibus laudibus bonos ad cælum, quibus vocibus malos ad orcum rapiunt? In ſacris Moſen, Ioſuam, Dauidem, Ioſiam, alioſq́; ſexcentos taceo; in prophanis Numam Pompilium Romanum, Codrum Athenienſem, Lycurgum, & Ariſtidem, alioſque infinitos tranſeo. Ad intentionem legumlatorum accedo, quæ certè fuit vt bonos ac iuſtos ciues efficerent: ergo multò magis vt principes ac magiſtratus boni viri fierent, aliter tot leges de præmijs bonorum principum nunquam tuliſſent. Sed ſi contrarium ante oculos ponamus, quot ſepulchra, quot cadauera proiecta ciuitatum cernimus? Velocitèr

declinant imò ruunt ciuitates in quibus Nerones regnant.

Eccle. cap. 10. Væ terræ cuius rex puer est, puerum non tam ætate quàm moribus intelligo, cuius malũ plus nocet exemplum quàm aspidis venenum; nam vestigia malorum regum sequentes ciues, facillimè ad omne facinus incitantur. Si fons limpidè non fluat, riuuli turbantur; si rex suis virtutibus non præluceat, subditi inficiuntur, laborantq; periculosè. Postremum argumentũ à fine petitur, qui est perpetua salus rerumpub. Magistratu enim existente bono prosperè succedunt omnia. Ratio est, quia pius magistratus ad summum bonum tendit, idemque in circulo suarum actionum vt centrum & scopum intuetur: ab hoc centro lineę rectę ad circumferentiam ciuitatis ducuntur, cardines reipub. circa hoc centrum pulcherrimâ manu & quasi virtutis motu agitantur, omnes deniq; partes in hac sphæra cõprehensę benignissimâ influentiâ huius centri reficiuntur; quippè rarissimè illa ciuitas labitur in qua virtus religiosé à magistratu colitur. Tertia huius cap. dubitatio est, An disciplinam obtemperandi perdiscere principibus sit necessarium? Aurea sanè est illa in textu Philosophi sententia: Sapienter imperare nemo quidem potest, qui alijs parêre priùs non didicit. Nescio certè, an vox illa Iasonis sitientis regnum, sit omni modo laudabilis, quando animosè dixit, Non didici parêre, nescioq; priuatus esse. Quî fieri potest vt alijs obediendi formam præscribas quam sequi tuipse penitùs ignoras? Alijs si non obtemperent grauem infligis pœnam, obtemperandi tamen non didicisti artem. Sed hìc distinguit Arist. Quòd alia sit disciplina obtemperandi seruilis, quæ est serui ad dominum; alia est ciuilis ac libera, quæ est filij ad patrem; illâ regem imbui non oportet, est enim sordida; hac verò ornari decet, quia est decora. Rationes quibus hoc ipsum probatur, sunt, à simili, ab absurdo, à necessario, & à decoro. A simili, quia vt equitatui non præest benè qui magistro equitum non paruerit, & vt dux exercitus militibus non rectè imperat, qui imperatori non obtemperauit: ita præfici ciuitati is quidem non debet qui alij obsequi reluctatur. Ab absurdo, quia nihil

Quæstio tertia.

Plato. 6. de legib. Plut. in Agesilao.

Simile de Agrippina Tacit. annal. lib. 4.

Disciplina obtemperandi Seruilis, Ciuilis.



hil absurdius est quàm vt sus mineruam (sicut aiunt) doceret, quàm vt imperitus obediendi alijs officium obtemperandi præscribat. A necessario, quia nemo sapientèr imperat qui parendo imperare non didicit. A decoro, quia nihil est in principe excelsius, nihil diuinius quàm vt mentem humilem & submissam gerat, quàm vt sapientum consilia audiat, quã deniq; vt legibus patriæ seipsũ subijciat. Eruditè olim Cato: Feras legem quam ipse tuleris. Non minùs ingeniosè Solon: Oportet legem regere regem. Postremò, natura & pietas hocipsum vrgent, nam natura principes suis parentibus, pietas deo principes subiecit: principes ergo non solùm imperandi sed etiam parendi scientiâ instrui & ornari debent; sed ita ornari, vt aliam virtutem imperantis, aliam parentis esse intelligant, vt in primo libro Politicorum patet. Alia in fine huius cap. obiter mouetur quæstio, nempè, An opifices ac mercenarij sint habendi ciues? Cæterùm quoniam in quinto cap. secundi libri eandem discussimus, hoc loco breuitatis causâ longiorem eiusdem tractationem omittemus. Cap. 8.

## Distinctio primæ quæstionis.

*An eadem sit virtus boni viri ac boni ciuis?*

Virtus est vel
- Viri, moralis seu Ethica nominata, quæ bonum habentem reddit, & hæc semper & necessariò in ciuem non cadit.
- Officij, ciuilis seu politica dicta, quæ ad munus solùm ciuis fertur, & hæc à virtute boni viri distinguitur
  - Subiecto.
  - Obiecto.
  - Medio.
  - Fine vt anteà luculéter patet.

Opp. *Libro 1. Ethicorum c. 12. docet Philosophus idem bonum esse totius ciuitatis, quod est vnius hominis. Præterea illic ostendit legumlatores illud contendere, vt ciues bonos viros ac honestos reddant: ergo videtur eadẽ virtus esse boni viri ac boni ciuis: nam si positum sit idem bonũ totius ciuitatis quod est vnius hominis, quodq; bonum vnius hominis sit verè honestum, sequitur bonum ciuitatis esse verè honestũ. Porrò si leges cõsanciantur vt ciues non solũ in officio, sed etiam in mente, voluntate, & vita boni & honesti fiant, videtur probabile quòd easdem virtutes tàm ciues quàm boni viri colerent.*

Ciuitatis Intentio, Actio.

Resp. *Hæc omnia rectè vrgent intentionem non actionem ciuitatis: nam quamuis intendat ciuitas, quamuis legumlatores contendant omnes in ciuitate viros bonos efficere, quoniam tamen hoc fieri non potest vt omnes sancti, vt omnes boni fiant, distinguit Philosophus aliam esse officij, aliam boni viri esse virtutẽ, vt si hanc nõ attingant multi, illam saltem (qua boni ciues existant) non aspernentur: est ergo idem bonum totius ciuitatis ac vnius hominis in essentiâ boni, non tamen semper in existentiã quam respectus mutat.*

Bonum in Essentia, Existentia.

Opp. *Prudentia tam in bono ciue quàm in bono viro esse debet: ergo est eadem virtus boni viri ac boni ciuis. Antecedens probatur, quia prudentia circumstantias in actione omnis virtutis præscribit, adeoq; est connexio omnium virtutum in prudentiâ, vt 6. Ethicorum probatur. Præterea, hoc etiam ostenditur exemplo, vbi Aristoteles Polycletum artificem prudentem appellat.*

Ethic. lib. 6. cap. 7.

Prudentia consideratur Politicè, Ethicè.

Resp. *Prudentia consideratur bifariam, aut politicè, quæ est quædam scientia ciuis ad opera ciuilia; aut Ethicè, quæ est simpliciter virtus boni viri, quâ affectus suos moderatur; illa in ciue, hæc in bono viro requiritur.*

Opp. *Omnis actio cuiusq; ciuis tendere debet ad beatitudinem ciuitatis, quæ est verè bonum: sed hoc fieri non potest si moralis virtus (quæ est via ad felicitatem) non insit: ergò eadem est virtus boni viri ac boni ciuis.*

Resp. *Tendimus ad felicitatem duobus modis, aut absolutè, & sic per ornamenta virtutis vir bonus; aut comparate, & sic per externa opera bonus ciuis ad felicitatem seu bonum ciuitatis tendit.*

Opp. *Virtus in malis esse non potest: sed vt est in textu multi ciues sunt mali: ergo in illis virtus non inest.*

Virtus Moralis, Intellectualis.

Resp. *Virtus moralis in malis esse non potest, at virtus intellectualis & ciuilis in malis nonnunquã inest. Potest enim Hercules ducis officium optimè exercere, si patriam; tametsi flagitiosè viuat, si Omphalem spectes.*

Virtutis subiectum, obiectum, medium, finis.

Opp. *Virtutes boni ciuis ac boni viri neque subiecto, neque obiecto, neque medio, neque fine differunt: ergo non rectè distinguuntur. Antecedens probatur, quia subiectum vtriusq; est animus, obiectum affectus, medium actus virtutis, finis ipsa beatitudo.*

Resp. *Ciuis non est substantia sed respectus, quare eiusdẽ virtus non*



*non absoluta sed respectiua dicitur, eademq; animum non absolutè sed respectiuè acceptum suam sedem & subiectum habet. Porrò vt nomen ciuis est nomen respectus, suumq; subiectum respectiuum habet: ita obiectum non absolutum sed respectiuum habet, nempè munus & officium, ad quod ciuis vel naturâ vel arte destinatur. Medium verò non est actus internus, qualis est boni viri secundùm essentiam boni; sed externus, qualis est officij secundùm existentiam boni. Postremò finis vtriusq; est beatitudo, hoc est boni viri in actione, & boni ciuis in intentione: quippè intendit bonus ciuis beatam ciuitatem efficere, at vir bonus hoc agit, vt seipsum bonum efficiat.*

Virtus Absoluta. Respectiua.

Actus Internus, externus.

Beatitudo in Actione, Intentione.

## Distinctio secundæ quæstionis.

*An magistratus vir bonus esse debeat?*

- Magistratum alij sunt
  - Summi, & hij aut sunt
    - Perpetui constitutione, sorteq; naturæ, vt reges Anglicani.
    - Successiui electione, sorteq; fortunæ, vt consules Romani.
  - Medij, qui subalternatim in repub. munera reipub subeũt, sed hij & illi boni viri esse debent propter
    - Similitudinem Dei, cuius persona in magistratu geritur.
    - Magnitudinem honoris, quæ soli virtuti non homini debetur.
    - Imitationem exempli, ad quod posteritas conuertitur.
    - Euitationem scandali, quo ciuitas offenditur.
    - Conseruationem boni, quo deus erga ciuitatem maximè placatur.

Opp. *Magistratus ab Arist. ciues partesq; dicuntur ciuitatis: sed possunt esse ciues interim vt non sint boni viri: ergo non requiritur vt magistratus sint boni viri.*

Resp. *Magistratus naturâ ciues, officio autem ciuibus maiores fiunt, posteriore hoc respectu alijs virtute prælucere debent. Cum enim docet Philosophus aliam virtutem boni viri, aliam boni ciuis, non vult quod omnes ciues virtute priuarentur, sed vt studio virtutis plurimi inflammati, ad honores ac magistratus, qui sunt præmia ciuitatis propter virtutem, raperentur; propter virtutem dico, quia virtus sola laudabilis, virtus sola muneribus reipub. illustris fieret.*

Magistratus officio ciuibus maiores.

Opp.

Boni cadunt ex infirmitate naturæ.

Opp. *Cato fuit bonus magistratus, at seipsum occidit; Hannibal bonus imperator, at venenum hausit; & sic de infinitis alijs: ergo potest esse bonus magistratus politicè, etsi moraliter bonus non habeatur.*

Resp. *Boni viri aliquãdo cadunt, at lapsus hic nõ dignitati officij, sed infirmitati impatientis naturæ ascribi solet; exempla hæc igitur non docent, magistratum virum bonum non esse debere. Nam quamuis inter magistratus (heu) nimis multi facinorosè viuant, quales tamen vitâ & exemplo esse deberent, & leges præscribunt, & monumenta maiorum contestantur.*

Opp. *Medij seu subalternati (vt aiunt) magistratus sunt propemodum in omni republica infiniti: ergo fieri non potest vt sint boni viri. Nam multitudinem potius caca affectio quàm recta ratio vincit.*

Resp. *Sunt multi quidem in omni repub. sed non infiniti: absit quin in omni ciuitate boni & integri viri reperiantur, qui magistratum gerant: causa vero cur hoc non fiat est illa, quam tu in contrariam partem modò attulisti, nempè quòd affectio multitudinem potius quàm ratio vincat, multitudinem intelligo ciuium non magistratuum.*

## Distinctio tertiæ quęstionis.

*An disciplinam obtemperandi principibus discere sit necessarium?*

Disciplina obtemperandi est duplex,

- Seruilis, quæ est serui ad suum dominum, & hanc discere principem non oportet.
- Ciuilis, quæ est
  - Diuina, vt subijciatur Deo. — Hanc, ob causas modò allatas principem discere oportet.
  - Humana, vt subijciatur legi. — Hanc, ob causas modò allatas principem discere oportet.

Definitio Principis.

Opp. *Principis officium est præesse non subesse, imperare non parêre: ergo disciplina obtemperandi ei non est necessaria. Antecedens patet à definitione principis, qui est persona totius reipub. subiecta nemini, in bonum publicum ciuitatis constituta.*

Princeps deo, patri, legi subditus.

Resp. *Princeps est quidem persona totius ciuitatis, subiecta nemini suorum ciuium: rationi tamen subijcitur, quæ certè ratio postulat vt religione Deo, charitate patri, æquitate legi subijciatur.*

Opp.



Opp. *Quintus Fabius Maximus ad Q. filium consulare imperiũ gerentem, legatus est missus, cui forte in via ocurrit consul filius, quem pater legatus præteriens non salutauit: continuò filius lictori imperat vt legatus de equo descendat. Imperanti filio pater obtemperans sic ait, Mi fili, hoc feci non quòd imperium tuum cõtemnerim, sed vti experirer quanti æstimares consulatum: conuenit enim vt pater legatus, filio consuli obsequatur. Hoc exemplo demonstrare videtur quòd in magistratu solam scientiam regnandi non obtemperandi requirat ciuilis procerum institutio, vt Taurus Philosophus ille Athenienſis hanc rem in eadem Præfatione discussit.*

Fenestella de potestatibus Romanorum, præfatione ad lib.

Resp. *Hoc exemplum probat venerandos esse magistratus, cum parentes suis ipsorum filijs magistratum gerentibus cogantur obedire: non tamen probat quin ijdem magistratus reciprocam non solùm affectionem sed etiam reuerentiam parentibus rependant, quod etiam hoc loco contendimus demonstrare.*

Opp. *In principe est imago Dei & totius ciuitatis, vt anteà probatum est: sed Deus & ciuitas nec ciui, nec legi astringuntur: ergo nec princeps astringi aut subesse debet.*

Principes ac magistratus dij appellantur.

Resp. *Principes ac magistratus dij appellantur, non in participatione diuinæ essentiæ, sed in similitudine diuinæ iustitiæ. Considerantur ergò principes duobus modis, vel absolutè, vt similitudinem Dei & personam ciuitatis gerunt, & sic non subijciuntur; vel comparatè, vt ordinem rationis in ciuitate obseruent, & sic parentibus vi naturæ, sic legibus vi iustitiæ & æquitatis obtemperare debent.*

Opp. *Est voluntarium in principe Deo, parentibus, & legibus obedire: ergò non est necessarium, vt anteà docetur. Antecedens patet, quia obtemperare est actio voluntatis, quæ nunquam cogitur.*

Obedientia principis Voluntaria, Necessaria.

Resp. *Est voluntarium respectu hominis, est necessarium respectu ordinis; in persona principis est tota ciuitas, quæ est libera: at respub. quæ est ordo ciuitatis hoc postulat & requirit, vt nemo aliys præscribat obsequium, qui nunquam didicit audire consilium.*

Opp. *Si disciplina obediendi sit necessaria principi, tum illius contemptio meretur pœnam: sed principi nulla infligeretur pœna: ergo disciplina obediẽdi principi non est necessaria. Maior patet, quia contemptio virtutis flagellum iudicis requirit. Minor constat, quia princeps caput totius ciuitatis, nullius fori iudicium subit.*

Resp.

Resp. *Anceps est doctorum de hac re opinio, An principes panam subire legis debeant, an in illis contagio sceleris, contemptio virtutis, exilium religionis graui censurâ ciuitatis plectanda sint. Sed de hac controuersia tum dicemus, cum de malorum principum panâ dicendum erit: nunc verò respondemus panam constitutam ciuibus esse sententiam iudicis, panam regibus esse ignominiam nominis: illis enim peccantibus debetur pana, quia superiores habent, his verò turpitudinis debetur nota, quoniam iudices non patiuntur. Caterùm si principes Deum, religionem, patriam, odio, hæresi, proditione figant; sunt qui existimant, vel ipsis regibus censuram deberi ciuitatis, non tamen vt vertigo vnius aut multitudinis suadet, sed vt consensus totius ciuitatis deliberatè iubet.*

Principes capitaliter delinquentes cum deliberatione puniendi.

## Dubium.

*An opifices sordidi ac mercenarij decem totos annos à foro & mercatura desisterent, suisq; acquisitis opibus honestè viuerent, antequam ad magistratum sint admittendi?*

NIMIS cauti, nimis potiùs supercilioſi estis Thebani, qui vestros bubulcos, cocos, & sartores, hoc est, qui vestros opifices illiberales tam duro seruitutis iugo oneratis. Lex vestra iubet vt mercenarij decem perpetuos annos à foro desistant, suisq; acquisitis honestè viuant antequam ad magistratum adsciscantur. An magistratus tanto censu, tantoq; sudore apud vos acquiritur? Rarissimè vos, Fabricios à ligone ad dictaturam, Dauidem ab ouili ad imperium, homines infimæ conditionis ad lucem reipublicæ euocatis: non artem sordidam sed mentem, non facultatem sed virtutẽ, non adiumenta fortunæ sed ornamenta animi in electione spectare oportet: absurdum ergò est tantum spacium tantamque molem ab artifice postulare antequam in theatrum ciuitatis admittatur. Maiores hoc non fecerunt: ergo fieri non oportet. Ratio suadet esse ciues; ergo tanto pretio dignitatem non emerent. Natura inter illos plurimos ingenioſos, plurimos virtutis studioſos fecit: ergo dominos illos esse,

Pol. lib. 6. cap. 7. Val. Max. lib. 4. cap. 4. Fabricius. Dauid.



esse, idque sine morâ voluit. In electione magistratus virtus non tempus, vita non fortuna spectari debet: ergo si digni sint luce, tam diu in tenebris ne langueſcant. Postremò metus seditionis hoc ipsum vetat: ergo periculoſum est si fiant: quid enim populum vehementius vrit, quàm si diu speratâ dignitate & honore careat.

### Distinctio.

Lex Thebanorum de eligendis mercenarijs post decem annos non est approbanda, propter
- Exemplum maiorum qui aliter fecerunt, vt Romani, qui ab aratro ad sceptrum multos auocarũt.
- Periculum seditionis quod sequitur, si tam diu populus dignitate careat.
- Honorem ciuitatis, quæ dignos vel ex infima plebe ad lucem reipub. promouere tenetur.

Opp. *Indigna res est & indecora vt bubulci aliiq; similes ad magistratum eligantur: ergo lex Thebanorum quæ à sordidis artibus opifices vacare iussit, antequam rempublicam salutarent, est approbanda. Antecedens probatur, quia non tam necessarium fieri quàm decorum obseruari ciuitas requirit.*

Resp. *Si Plautus molat necessitate coactus, indigna res est & indecora: at non in Plauto qui impulsus molit, sed in ciuitate, quæ hoc ipsum sinit. Absurdum est virum doctum molentem spernere, vanum est sutorem prudentem à dignitate pellere: corium res vilis est, at prudens persona; mola res dura est, at doctus poeta: non ergò materiam, quæ est abiecta, sed personam, quæ est honesta, in omni electione decebit respicere.*

Non materia, sed persona in electione spectatur.

Opp. *Opifices ac mercenarij semper in aucupando quæstu versantur: verendum ergo est ne magistratus facti rempublicam prædam spoliumq; faciant: quod certè ne contingat, longo tempore deliberari oportet, antequam istiusmodi magistratus fiant.*

Resp. *Sordes artis, & paupertas hominis causa sunt sæpè, quo minus temerè sint admittendi multi: at si prudentia artificis sordem artis, si honestas hominis paupertatem vincat, non est verendum, ne tales rempub. in naufragium trahant.*

Sordes & paupertas. Prudentia & Honestas.

Opp. *Ciues sunt solum magistratus participes, vt in primo capite huius libri docetur: sed opifices & mercenarij non sunt ciues, vt hic ostenditur: ergo opifices ac mercenarij omninò magistratus fieri vel ne cupiant, vel si cupiant ne capiant.*

Resp.

Opifices ciues non nisi quodam modo & in quadam repub.

Resp. *Non ait Philosophus opifices omnino non esse ciues, sed in aliqua specie reipu. nempe aristocratiâ, illos esse ciues inficiatur: quippe in illa optimates & primarij, non opifices & mercenarij regnant.*

## CAP. IIII.

*An respub. rectè definiatur?*
*An vltimus finis ciuitatis sit honestè & beatè viuere?*

Secunda pars lib. 2.

AB hoc quarto capite secunda partitio huius Libri incipit, in qua Philosophus de varijs rerumpublicarum formis differit. Diuidit autem hanc partē in quatuor capita: in quorum primo rempub. definit, eiusq; formas generatim considerat: in secundo subdiuisionem reipub. in alia genera tradit; in tertio qui debeat esse dominus in ciuitate, princepsné vnus an multitudo, inquirit; in quarto, An dotibus animi potiùs quàm opibus fortunæ sint creandi magistratus, diligenter ac seriò perscrutatur. Hoc primum caput quatuor habet partes, in prima respub. definitur, in secunda finis ciuitatis traditur, in tertia multiplex viuendi modus distinguitur, in postrema respub. in rectam & non rectam diuiditur: has singulas partes suo ordine breuiter & distinctè percurremus. Definitur ergo respub. hoc modo, vt sit ordo ciuitatis cum aliorum magistratuum, tum eius maximè, cui tradita est summa potestas & arbitrium rerum. Est ordo, quia prudenter disponit; est ordo ciuitatis, quia non vnius opinionem sed ciuilem consensum sapienter postulat; est ordo aliorum magistratuum, quia inferiores classes graduq; honoris dignioribus iustè distribuit; est denique ordo summæ potestatis, quia quis dominus sit in omni ciuitatis statu honorificè præscribit. Exempli causâ: in monarchia vt vnus princeps, in aristocratiâ vt optimates, in democratia vt populus principatum teneat hic ordo administrandæ ciuitatis

Diuisio huius cap.

Reipublicæ definitio.



tatis præcipit. Vt ergo corpus sine anima, cælum sine lumine: ita est ciuitas sine hoc ordine, quo omnia eiusdem membra vigent ac diriguntur. Si hoc demonstrari velis, intuere mecum scalas graduq; rerum, & certè neq; in primo res inanimes, neq; in secundo animatas, neq; in tertio sensus participes, neq; in quarto rationis compotes sine forma & ordine subsistere aut cohærere videbis. Cæli suum cursum, elementa suum motum, plantæ suam vitam, belluæ instinctum, homines imperium habent; quæ omnia sic ordine ad summum bonum tendunt, vt mundum hoc est quasi magnam ciuitatem compaginemq; rerum sub vno imperatore florentē videas: si igitur verum hoc sit requiri in omni gradu rerum ordinem quo conseruentur; quis ibit inficias requiri vel maximè in ciuitate, quæ sine ordine ac formâ administrandi non aliter quàm ruinosa domus concidet? Porrò si in familia, quę est parua quasi ciuitas, sit confusio sine ordine: quantò maior futura est pernicies in ciuitate, si ordine ac formâ administrandi careat? Prætercà vt legio hominum in campo Martio sine ordine: ita turba ciuium est sine formâ ciuitatis. Postremò si non sit hic ordo, neq; artibus quibus sustentatur, neque virtutibus quibus ornatur ciuitas, studerent ciues: ordo enim vrget vt non sibi sed ciuitati viuant. In secunda parte huius capitis de finibus ciuitatis disputatur, vbi quæritur, An vltimus finis ciuitatis sit honestè & beatè viuere? Rectè Arist. Finis est causa ad quam omnia referuntur. Et iterùm, Finis est veluti norma & mensura rerum omnium. Quemadmodùm ergo non est satis inuestigare ex quibus partibus cōstet domus, nisi etiam sciamus in quem vsum fiat; ita frustrà quæritur quid sit ciuitas, si in quem finem constituitur non perscrutemur. Videtur hîc mihi Philosophus multos fines ciuitatis insinuare, præcipuè autem sex, quorum primus est hoc ipsum viuere, quippè cohabitatio vnioq; multitudinis plurimùm inseruit ad vitæ necessitatem, cui aliter facilè succurrere non poterimus: est enim in vnita multitudine magnum subsidium, est verò in solitariâ vitâ grande periculum. Finis secundus est non solùm viuere, sed etiā iucundè & delectabiliter

Ordo Reipub. perquam vtilis & necessarius.

Finis Ciuitatis.

1. Viuere.

2. Iucundè viuere.

lectabiliter viuere. Sapienter Seneca. Nullius rei sine socio iucunda esse potest possessio. Quid enim prodest possidere imperium & neminem habere cui committas consilium?

3. Tutò viuere. Tertius finis est tutò ab impetu insidijsque aduersariorum viuere. Nam vt solitariam agentes vitam facilè in discrimen vocantur: ita in luce & coronâ hominum degentes ab omni metu ac suspicione mali liberantur.

4. Commodè viuere. Quartus finis est vtiliter ac fructuosè viuere. Hinc in ciuitate contractus & cõmutationes rerum exercentur, vt ijsdem medijs obseruatis iustitia, quæ est dea ciuitatis, religiosè quasi adoretur: tum enim societas hominum dissoluitur, cum in commutationibus rerũ iustitia violatur.

5. Pacificè viuere. Quintus finis est in vnitate consensus ac affinitatis viuere: hinc cognationes, domus, familiæ, alijq; nexus ac vincula ciuitatis oriũtur, ex quibus firmissima amicitia & concordia nascitur.

6. Beatè viuere. Postremus finis est de quo potissimùm hoc loco agit Arist. nempè honestè & beatè viuere. Hic finis reliquos omnes in se comprehendit, hic finis est sine quo ciuitas non existit, quod paucis sic probo; quia natura ciuitatis magis virtute, quàm scelere conseruatur; iterùm, quia ciuitas propter honestum instituitur; adhùc, quia ciuitas à bonis viris (vt antè docuimus) regenda; his illud addo, quia in ciuitate iustitia fundamentũ ponitur. Prætereà lex ad promouendam virtutem & ad extirpandum vitium in ciuitate destinatur. Postremò sublato hoc fine confusio in ciuitate sequitur. Cùm ergo sex sint fines ciuitatis, victus necessitas, vitæ iucunditas, propugnatio ab hoste, commutatio rerum, sanguinis coniunctio, virtutis actio, postremus hic nempè perpetua virtutis actio est omnium maximus, in quo (vt aiunt) copia & sufficientia huius vitæ inest. Nam quamuis plerique homines viuendi solâ cupiditate capti multas ærumnas

Vid. Cic. de finib. lib. 5. graueq; calamitates toleranter ferant, quasi quędã in eo prosperitas & dulcedo naturalis insit; in hoc tamen vt benè ac beatè viuant, splendor, honor, & amplitudo ciuitatis lucent. O quã optandum esset vt omnes ciuitates hoc numẽ virtutis colerẽt, vtq; hunc finẽ, hoc bonũ in omni actione impẽsè ac seriò affectarent! Sed hęc hactenus, nunc ad tertiam partem capitis



capitis accedo, in qua ex multiplici modo viuendi diuisio ciuitatis in rectam & non rectam elicitur. Demonstratum est in libris ethicorum & in politicorum primo, triplex esse imperium, herile quod est domini in seruos, nuptiale quod est viri in vxorem & liberos, paternum quod est genitoris in filios: in omnibus studetur vtilitati, sed in primo dominus sibi commodum quærit per se, seruo autem per accidens (vt aiunt) & ex euentu. In 2. & 3. studetur etiam vtili, sed aliter quã in primo: nam in his commune bonum non proprium, vxoris ac liberorum non priuatum quæritur: redundat tamen vtile in patrem si filijs, redundat in virum si vxori ac liberis prodesse studeat: cæterùm ita redũdat vt sibi casu & fortuitò, illis vi sua & per se proficiat. Nã vt medicus ęgro nõ sibi intẽdit sanitatẽ, si tamẽ contigerit laborare medicũ sibi per accidẽs medetur: ita vir & pater bonũ intendũt suis nõ sibi, euenit tamẽ vt alijs bonũ destinantes, ipsimet dulcedine fructus capiãtur. Sic est de gubernatore nauis, qui alios ex proposito, se verò ex euẽtu à scopulis defendit: sic est de pastore, qui gregi nõ sibi consulit. Sed quorsũ isthæc? certè vt intelligas ex ista cõparatione qualis vir princeps in ciuitate esse debeat; nõ vt dominus qui proprio & priuato bono studeat, sed vt vir & pater qui subditis nõ aliter q̃ filijs prouideat. Hinc (vt ait in textu) Rex pater patrię dicendus, hinc in textu sapienti medico, gubernatori nauis, & pastori gregis assimilatur. Vtinã certè reges de hac medicæ artis, nauis, & gregis similitudine dies noctesq; cogitarẽt, meminerint velim esse in omni rep. vulnera sanãda, vt verè medici: liberos educãdos, vt verè patres: naues à scopulis tutãdas, vt verè gubernatores: oues à canibus liberãdas, vt verè pastores habeãtur. Succedit nunc demum postrema pars huius cap. in qua Philosophus ex pręmissa diuisione triplicis imperij naturalis, generalẽ ciuilis imperij partitionẽ elicit. Nã vt in re familiari plures gubernandi species prędcripsimus, vnam herilẽ in qua per se vtilitas domini quæritur, alteram paternam, tertiam cõiugalem, in quibus pater & coniux primariò non sibi sed suis consulunt: ita in administratione ciuitatis plures sunt imperandi formæ, vna in qua

Eth. lib. 8. cap. 10. Pol. lib. 1. cap. 8.

Imperium priuatum Herile, Nuptiale, Paternum.

Rex Pater Patriæ. Medicus. Nauclerus. Pastor.

4. Pars cap.

commodum gubernantis quæritur, & ista cum herili: altera in qua subditorum commodis studetur, & hæc cum paterno & coniugali imperio comparatur. Reijcit hic Arist. illam primam imperandi speciem, quia sapit tyrannidem & formas deprauatas, reliquas verò admittit, quia in illis bonum commune priuato anteponitur. Ratio est, quoniam principes ac magistratus, viri sapientes ac indulgentes quasi patres existerent, qui in arce ciuitatis positi, non tam sui quàm eorum qui sibi subiecti sunt, singularem curam perpetuò gerant. Hinc illud Biantis, Magistratus ostendit virum. His positis diuisionem primam ciuilis administrationis adfert Philosophus, nempè, in rectam & non rectam: recta, monarchiam, aristocratiam, democratiam; non recta, tyrannidem, oligarchiam & populare imperium furoremq; denotat. Respu. hoc loco est quasi summum genus, rectum & non rectum sunt primæ species, dialecticè subalternæ vocatæ: rectum in monarchiam, aristocratiam, populiq; imperium, vt subalternum genus in infimas species diuiditur: sed de his pluribus in proximo capite disputabitur.

Administratio Recta, Non recta.

Distinctio primæ quæst. *An respublica rectè definiatur?*

Nomen reipub. sumitur bifariam, aut
- Materialiter, idq; duobus modis, aut pro
  - Publico vsu rerum.
  - Multitudine ciuium, & sic non definitur.
- Formaliter, aut pro
  - Vnione multitudinis, & sic à ciuitate nõ differt.
  - Ordine & descriptione imperij, & sic hoc loco definitur.

Opp. *Recta administratio magistratus est ordo ciuitatis: sed resp. non est recta administratio magistratus: ergo resp. non est ordo ciuitatis. Maior probatur, quia recta administratio magistratus est norma quâ benè & fœliciter in ciuitate viuitur: at ordo nihil aliud est quàm norma quâ bene & beatè viuitur. Minor patet, quia respub. non est actio vnius hominis, sed ordo totius ciuitatis.*

Resp. *Recta administratio magistratus accipitur aut pro actione vnius prudentis, & sic non est ordo ciuitatis; aut pro perpetuo decreto ciuitatis, & sic est ordo quo beatè viuitur: actio enim vnius non permanet, at decretum ciuitatis vim legis habet: resp. ergo non ex praescripto vnius hominis sed ex decreto totius ciuitatis pendere dicitur.*

Vid. Plut. de tripici genere politiæ.

Decretum ciuitatis lex est.

Opp.



Opp. *Ordo est forma ciuitatis: sed respu. non est forma ciuitatis: ergo resp. non est ordo. Maior est Arist. in primo libro Polit. Minor probatur, quia propria forma ciuitatis est vnio & connexio ciuium.*

Resp. *Forma ciuitatis est proxima aut communis; proxima est ordo seu administratio, quæ respub. dici potest; communis autem est vnio & connexio ciuũ, quæ in loco & cõmutatione rerum consistit.*

Forma ciuitatis proxima communis.

Opp. *Resp. sæpè concutitur manente ciuitate: ergo non est forma ciuitatis. Antecedens probatur, quia tumultuante seditione ordo tollitur, at ciuitas quæ in vnione ciuium consistit non extinguitur. Argumentum constat, quia si respub. sit forma ciuitatis, ciuitas sine illa manere non potest.*

Resp. *Concussâ repub. languescit ciuitas, nam ciuitas ab ordine non multitudine dependet. Præterea tumultuante seditione ordo non tollitur, nam in bello potius quàm in pace magistratus prudentia cernitur.*

In bello potiùs quàm in pace magistratus cernitur.

Opp. *Arist in textu remp. ordinationem ac descriptionem vocat: sed ordinatio aut descriptio actionem potius quàm formam ciuitatis significat: ergo per nomen ordinis minùs rectè definitur.*

Opp. *Ordo non solùm in contemplatione boni, sed etiam in actione cernitur. Non ergo de nomine sed de re hoc loco contendimus. Præterea cùm inter ciuitatem & rempublicam sit quædam relatio, hoc nomen ordinis efficacius quid sit respub. declarat, quàm si descriptio diceretur.*

Ordo & in contemplatione & in actione consistit.

## Distinctio secundæ quæstionis.

*An bene & beatè viuere sit vltimus finis ciuitatis?*

Finis ciuitatis est duplex,
- Naturalis,
  - Necessarius, vt victus.
  - Fortuitus, vt vsus & commutatio rerum.
- Ciuilis aut
  - Externus, qui respicit aut
    - Delectabile, & sic vitæ iucunditas.
    - Vtile, sic vitæ commoditas.
    - Naturale, sic familiarum affinitas.
    - Hostile, sic armorum ac murorum firmitas ciuitatis finis habetur.
  - Internus, qui bonum per se ciuitatis respicit, & sic sola actio virtutis finis ab Arist. constituitur.

Opp. *Docetur anteà quòd aliquando sit ciuis bonus, tametsi vir malus existat: ergo nõ videtur quòd bonũ solidum sit finis ciuitatis. Ratio sequitur. Nã viri mali bonũ apparens non solidũ aucupãtur.*

Vita non est viuere sed bene viuere.

Resp. *Viuere non est bonum sed bene viuere, quamobrem Philosophus non viuere sed bene viuere finem ciuitatis constituit. Quòd verò dicas anteà doceri ciuem bonum esse tametsi vir malus existat; hoc non probat per se bonum non esse totius ciuitatis finem. Nam à parte ad totum hoc modo fallaciter disputatur; sunt aliquot ciues mali viris ergo totius ciuitatis finis non est beatitudo.*

Opp. *Tyrannis & oligarchia anteà in fine primi cap. probantur esse ciuitates: sed illarum finis non est bene & beatè viuere: ergo ciuitatis in genere finis nõ est bene beatèq; viuere. Antecedãs patet, quia illic docet Philosophus pacta in tyrannide & oligarchia fieri quidem à ciuitate.*

Ciuitas Iusta Iniusta.

Resp. *Non docet simpliciter, sed quodammodo hæc fieri à ciuitate: vt ergo non sunt propriè ciuitates sed earum labes: ita illarum finis non est verè bonum sed fucata species & vmbra boni.*

Lib.1.pol.cap. 2.& lib.2. cap.1.

Opp. *Arist. in textu ponit cumulũ & sufficientiam omniũ bonorũ esse ciuitatis finem: sed in hac vita talis sufficientia acquiri non potest: ergo minùs rectè ciuitatis finis assignatur. Maior constat, quia omnes fines omniaq; bona in hoc vno ponit. Minor patet, quia*

Nulla ciuitas est quin seditionem senserit.

*nulla ciuitas vnquam tàm beata extitit, quæ Circes & Erynnis vires, hoc est quæ fraudis, inuidiæ ac seditionis flammulas non senserit.*

Resp. *Ciuitas non inchoatè sed perfectè hic intelligitur, at in perfecta ciuitate hæc beatitudo inest. Nam quamuis multa sint membra contagione infecta, multa ferro iustitiæ à corpore recisa, in tota tamen multitudine ciuitatis perfecta species & pulchritudo virtutis eminet. Quarè et si latro ad furcam, proditor ad equuleum, adulter ad lapidem condemnetur: tota tamen ciuitas sana & beata permanet, imò istis resectis multò beatior, multòq; tutior haberi debet.*

Lib.7.pol lib. 11.Meta. lib. de mundo.

Opp. *Vltimus finis ciuitatis est ipse deus, qui est (vt docet Philosophus) summum bonum omnium: ergo sufficientia rerum non est vltimus finis ciuitatis.*

Deus vltimus finis ciuitatis Theoricus non practicus.

Resp. *Deus est vltimus finis ciuitatis theoricus non practicus: nã quãuis omnes lineæ vitæ humanæ ad deũ tẽderent, in hoc oceano tamẽ politicus vsus virtutis (modò non sit à deo impia defectio) cõprobatur.*

## Dubia capitis.

*An princeps sapienti medico, propitio patri, vigili gubernatori, bono ac studioso pastori rectè ab Aristotele comparetur?*

An



*An bona sit diuisio reipub. in rectam & non rectam?*

Miraris fortè quâ ratione ductus primam hanc quæstionem moueam: certum est (bone Plato) Astræam reliquisse terras. Rara sunt studia virtutum in aulis principum. Itanè Cæsar? Tam præceps ad regnum ruis? De iure non cogitas modò imperium habeas? Audi, *Rex est qui posuit metus* Ouid. Metã. 1. *Et diri mala pectoris: Quem non ambitio impotens,* Senec. in Thyeste. *Et nunquam stabilis fauor Vulgi præcipitis mouet.* Sic regem. *Mens regnum bona possidet.* Sic regnum Seneca definit. Bone deus, quę nunc ambitiõ? Quę sitis regni ardet? O quàm ponderosa res est persona principis? ô quã periculosa res est imperiũ Cæsaris? audi vir sapiens. Rex agnus non lupus, propitius pater non rabidus vultur dicitur: hinc medico vt sanet, patri vt consulat, gubernatori vt in portum ducat, pastori vt ciues diligat, sapientissimè à philosopho comparatur. Si ergo perdas non sanes, si vulneres non consulas, si nauem reip. in scopulũ allidas, in portũ non pertrahas, si mactes non diligas: caue tandem, nam diutiùs non princeps sed tyrannus diceris. Hæc scribo vt intelligant sacrati principes hoc vnum ab illis expectari, vt in isto iam deplorato sęculo studia virtutum renata illorum contaminatâ vitâ in despectum non veniant: vtinam quoque hoc tandem meminerint se esse vicarios dei, Rom. 13. qui regni & imperij rationem ab illis tandem aliquando seuerè exiget. Flos huius vitę caducus est & fructus breuis, splẽdor regni tenebras in sepulchro habet: iactauit Balthasar, sed citò expalluit cum manũ in pariete scribẽtẽ viderit: iactauit Daniel. cap. 5. Herod, sed citò contabuit cum manum angeli percutientem Act. cap. 12. senserit: grauis est pæna principũ si malè regant, grandis remuneratio si probè viuãt. Altera dubitatio, An bene in rectã & non rectam distribuatur respub. longiorem orationis non requirit seriem; paucis igitur sic concludo rectè distribui, nã omnis resp. est aut vera aut fucata: si vera sit, definitur recta, in qua communi bono à magistratu studetur: si autem sit fucata, definitur non recta, in qua lucrum vnius non bonũ ciuitatis quæritur. Multi rectum & non rectum differentias, multi species diuersas reipublicæ appellant, lis magna non est

nec magni momenti quæstio. Nam vt continuum & discretum sine nomine sui generis, differentiæ; cum nomine, species quantitatis dicuntur: ita rectum & non rectum sine adiecto hoc nomine reipub. differentię, adiuncto verò hoc nomine, species ciuitatis appellantur.

Rectum & non rectum species reipub.

Distinctio primæ dubitationis.

Princeps rectè ab Arist. comparatur
- Medico, Vt diligenter quærat morbos & mala ciuitatis. Vt sapienter eadem inuenta curet.
- Patri, Vt ciues tanquam filios diligat. Vt subditis tãquam liberis necessaria suppediret.
- Gubernatori nauis, vt Scopulos & periculum prospiciat. In portum beatitudinis tandem perducat.
- Bono pastori gregis, Vt à lupo ciues defendat. Vt ipse neq; vellera tolliat neq; suas oues deuoret.

Opp. *Magnanimus à nimiâ curâ rerum immunis esse debet: sed omnis princeps debet esse magnanimus: ergo omnis princeps à nimia cura rerum immunis esse debet. Maior est Arist. quarto Ethicorum, vbi probat quòd magnanimus non debeat esse nimiùm solicitus circa res caducas & perituras. Minor constat, quia magnanimitas & magnificentia sunt virtutes principis. His datis sequitur quòd princeps inepte comparetur istis, quia istarum solicitudo non decet principem.*

Eth. lib. 4. cap. 3.

Resp. *Honos principis onus est, splendor dignitatis labor virtutis, & officium est imperare non regnum, vti scripsit Seneca. Respondemus ergò decere principem vt excubias pro salute reipub. frequentes faciat: non est res abiecta si medicum, si patrẽ, si gubernatorem, si pastorẽ rectè imitetur: nolumus tamen res viles & abiectas tractet, sed vt magnificus cũ opus sit suam opem & subsidiũ præstet.*

Senec. epi. 91. Honos principis onus est.

Opp. *Vir perfectè bonus in sola contemplatione virtutis, vt docet Arist. in Ethicis, versatur: sed princeps debet esse perfectè vir bonus: ergo in solâ contemplatione virtutis versaretur; quo concesso sequitur quòd non sit solicitus in rebus humanis vt medicus, pater & cæteri cum quibus hic comparatur.*

Eth. 10. cap. 8.

Resp. *Requiritur vt princeps sit absolutè vir bonus, nõ tamen negatur quin sit etiam politicus & expertus rerum, non enim solùm vitam solitariam agentes studiosos virtutis, sed eos etiam qui in luce reipub. instè castèq; viuunt nominamus.*

Distinctio



Distinctio secundę quęstionis. *An rectè diuidatur respub.*

Respublica est vel
- Secundùm naturam vsumq; rationis, & sic recta est, quæ iubet vt non nobis sed alijs ad conseruandam societatem vitæ consulamus.
- Contra naturam vsumq; rationis, & sic non recta dicitur, quæ relicto societatis appetitu rabidè sibi non alijs consulit.

Opp. *Non ens non potest esse species entis: sed non rectum est non ens: ergo non est species reipub. quæ est ens. Minor probatur à loco Topico, quia rectum est ens: ergo non rectum erit non ens.*

Resp. *Non rectum sumitur aut contradictoriè, & sic est non ens; aut priuatiuè, & sic ens dicitur. Hoc loco vt exponunt interpretes non rectum pro malo aut depranato reipub. statu accipitur.*

Non rectum sumitur Contradictoriè, Priuatiuè.

Opp. *Plures sunt species reipub. ergo male in has duas diuiditur. Antecedens probatur, quia præter rectam & non rectam est mixta, quæ vtriusq; particeps vbiq; floret; nam quæ respub. simpliciter recta? Quæ absolutè non recta dicitur?*

Resp. *Est aliqua respub. simpliciter non recta vt tyrannis, est aliqua simpliciter recta vt monarchia, mixtam ex recta & non recta haud quidem reperio. Est tamen mixta ex bonis, est quoq; ex malis mixta. Si verò vrgeas quòd nulla sit respub. sine labe, respondeo, id verum esse: labes tamen non est pars magis reipub. quàm spina rosæ quæ cum illa crescit.*

Respub. mixta ex bonis & mixta ex malis, sed non ex bonis & malis simul.

## CAP V

*An tantũ sint tres species rectæ reipublicæ, totidemq; nõ rectæ? An rectè definiantur singulæ?*

MAGNI nominis interpretes hoc loco Aristotelem non aliter quàm leporem ante canes in mille anfractus se vertentem deserunt. Aiunt enim se penitus nescire quid demùm statuat, quidué definiat de multiplici statu reipub. quippè nunc harum nunc illarũ partium existens, sic vltro citroq; se flectit, tam timidè & incertè disputat, vt citiùs fluctuantẽ nauem in tempestate ad anchoram, quàm vacillantem Aristotelem in hac varietate

etate ad certam ſententiam pertrahas. Nunc regnum laudat, nunc optimatum imperium præfert, nunc præ cæteris politiam populiq; authoritatem commendat: iterum nunc ad pauperes, nunc ad opulentos, nunc ad milites, nunc ad confuſam multitudinem turbamq; ciuium clauum imperij pertinere putat; imò vt affirmant illi, nihil in his certũ, nihil fixum, nihil definitum tenet. Cæterùm hic cum illis non penitùs deficiam, exiſtimo enim Ariſtotelẽ more philoſophantium in vtramq; partem diſputare, inq; eam lancem quã ratio præmit aurum inijcere; hoc eſt, non ancipitẽ, non perplexam arbitror ſuam reliquiſſe ſententiam, ſed eam præualere potiùs voluiſſe, quæ maximum pondus rationis habet: hinc licet nunc vnius, nunc optimatum, nunc populi imperiũ laudet, licèt modò regis, modò procerum, modò totius multitudinis adminiſtrationem optimã eſſe ſuadeat: monarchiam tamen præſtantiſſimum reipub. ſtatũ ex eius verbis audemus dicere: ratio eſt, quia argumenta quę pro illo iam ſtatu adfert maximũ momentũ & vires habent. Huc ergo tendunt & accedunt omnia quæ nũc ſcribo, vt lectori perſuadeã ſic Ariſt. in ſequẽtibus capitibus huius libri ſtudere, ſic eius præcepta legere, vt acutè potiùs illum diſceptare quàm vllo modo in rebus tantis fluctuare exiſtimet. Sed ne longiùs à re propoſita diſcedam, tria in hoc cap. aguntur, diuiſio, definitio, diſtinctio: diuiſio rectæ & nõ rectæ reipub. in ſuas ſpecies, definitio ſingulorum ſtatuum in ciuitate, diſtinctio oligarchię & democratiæ, qui duo ſtatus in calce huius capitis conferuntur. Diuiſio aperta eſt, nam omnis ſtatus reipublicæ aut bonum publicum aut bonum priuatum quęrit: ſi bonũ publicum tum recta, ſi bonum priuatum tum non recta adminiſtratio dicitur: ſi verò ſit recta, aut vnus vtilitati communi conſulit, vnde monarchia; aut pauci, vnde ariſtocratia; aut multi, vndè democratia ducitur; quippè hæ ſpecies dominatus ad bonum ciuitatis tendunt. Veruntamen ſi adminiſtratio non recta ſit, vocetur defectio aut labes ciuitatis: hæc autem contingit, vel cum vnus ſibi non alijs conſulit, vndè tyrannis; vel cum pauci potentes authoritatem rapiũt, vndè

Ariſtoteles acutè diſputat non fluctuat.

Bonum Publicum, Priuatum.

Monarchia. Ariſtocratia. Democratia.

Tyrannis.



vndè oligarchia; vel cum tota multitudo in dominatum ruit, vndè timocratia naſcitur. Tyrannis regno, paucorum potentia procerum imperio, populi furor iuſtæ multitudinis authoritati opponitur: nam in illis magiſtratus ſunt boni, in his mali; in illis commune bonũ, in his proprium quæritur; in illis libertas ciuium, in his oppreſſio viget; in illis prudẽtia & iuſtitia, in his temeritas & iniuſtitia regnant; in illis deniq; ciuium finis eſt beatitudo, in his miſeria & confuſio, Proximũ quod agitur in hoc cap. eſt cuiuſque horũ definitio, & vt in pauca rem conferam. Eſt monarchia imperium in quo vnus vir, bonus, fortis, ac prudens, aut electione, aut ſucceſſione, conſtitutus princeps, maximã in ciuitate authoritatẽ tenet, cui reſiſtere nefas & flagitioſũ eſt. Eſt imperiũ quia iure dominatur, in quo vnus non plures, bonus nõ malus, fortis animo non ignauus, prudens nõ ſtultus, aut electione vt Imperator Romanus, rex Polonię: aut ſucceſſione vt aliarũ gentiũ principes, conſtitutus, nõ vi factus & intruſus, qui maximã in ciuitate autoritatẽ in leges & ciues habet, cui reſiſtere nefas & flagitiũ eſt, quia regũ maieſtati reſiſtere eſt ſanctã dei imaginẽ contẽnere, & ſacrã perſonã ciuitatis violare. Ariſtocratia eſt quoq; imperiũ in quo pauci optimates, boni, fortes, atque prudentes viri ad communẽ vtilitatẽ referentes omnia, dominantur. Sic Ephori apud Lacedęmonios, ſic electi decemuiri ceſſante ſenatu apud Romanos. In hoc ſtatu paucitatẽ requiro, nam multitudo plerumque mala eſt: rerum copiam, nam inopia ſæpè infeſta virtuti eſt: innocentiam vitæ, nam magiſtratuum vita ciuibus aut ſalus aut toxicum venenũ eſt. Democratia (quę vulgò & cõmuni nomine politia dicitur) eſt imperiũ in quo populus per bonos, fortes & prudẽtes tribunos regnat. In hoc ſtatu Philoſophus requirit fortitudinẽ in qua multi communicent, nã rarò in maxima multitudine alię virtutes lucent. Qui affirmant hunc ſtatum eſſe totius populi imperium ſine ordine & ſine diſtinctione rerum, errant illi quidem meo iudicio, nam ſi bona & recta ſit hæc conſtitutio ciuitatis, in illa nulla confuſio ineſſe debet, quæ proculdubio eſſet ſi nullos eligeret populus, qui

Oligarchia. Timocratia.

Statuum contentio.

Monarchię definitio.

Regibus reſiſtere non licet. Ariſtocratię definitio.

Democratię definitio.

qui suo ipsorum nomine popularem authoritatem iustè & prudenter exercerent. De tyrannide, oligarchiâ & timocratiâ non opus est multa dicere, nam ex his definitionibus rectarum administrationum politis facilè istorum descriptiones eminent. Rem verbo sic expedio. Est tyrannis imperium oppositum monarchię, in quo vnus vir malus, furiosus ac temerarius suę non communi vtilitati consulit, vt in Turcia, Moscouia. Est oligarchia imperium oppositum aristocratię, in quo pauci potentes & insolentes viri propter suum non propter commune bonum dominantur, vt Romæ in Triumuiratu. Est denique timocratia vel potius anarchia imperium oppositum politiæ, in quo sęua & insana multitudo ex rapto non ex iustè acquisito regnat, vt sæpius Athenis. Tertium quod in hoc Cap. proponitur est inter oligarchiã & timocratiam distinctio, quæ dubitationem in se quandam continet, videlicet, vtrùm gubernatio multorum diuitum dicatur status popularis? & iterùm, An paucorum inopum potentia paucorum imperium nominetur? Respondet Philosophus distinguendo de formis ac differentijs vtriusq; status. Paucitas inquit & multitudo non sunt causæ cur istæ inter se administrationes differant, quippè non sunt internæ & (vt aiunt) essentiales differentię vtriusq; nempè oligarchię & timocratiæ: contingit enim ciuitati paucos habere diuites multosque inopes & indigentes ciues: paucitas ergo & multitudo distinctionem non faciunt: restat igitur vt inopia & affluentia rerum sint causæ distinctionis in istis imperijs. Nam vt paucorum potentia est si opulenti, siue multi siue pauci dominentur: ita status popularis est in quo egentes, siue pauci, siue multi rempub. administrent. Euenit tamen plerumq; in oligarchia paucos gubernare, quia pauci sunt diuites; in timocratia verò multos, quia plurimi sunt tenuioris facultatis ciues: non igitur paucitate & multitudine sed opulentiâ & indigentiâ rerum hæ duæ species differunt; ita tamen differunt, vt libertatis vtraq; in ciuitate sit particeps, vnde (vt ait Arist. in calce capitis) magna inter pauperes & diuites de imperio nascitur litigatio: nam diuites se superiores

Tyrannidis definitio.

Oligarchię definitio.

Timocratię definitio.

Discrimen Oligarchiæ & Timocratiæ.



ores pauperibus authoritate, indigentes se pares diuitibus in libertate esse existimant: hinc tumor inuidiæ, hinc sitis imperij oritur: cęterùm an iusta vel iniusta sit hęc istorũ contentio, in proximo capite declaratur. Vt verò summam huius rei verbo insinuem, neq; autoritati diuitum, neq; libertati pauperum, sed soli virtuti bonorum hominum deberi imperium iudicamus.

Pauperum & diuitum contentio.

Distinctio primæ quæst.

*An tantùm sint tres species rectæ reipub. totidemq; non rectæ?*

Quòd neq; plures, neq; pauciores sint reipublicę species quàm sex hoc modo probari potest, quia omnis respublica est, aut

- Recta, quæ dirigitur ad bonum cõmune, aut per
  - Vnũ, & sic est monarchia.
  - Paucos, eosdemq; bonos, & sic est aristocratia.
  - Multos, & sic est democratia.
- Non recta, quæ detorquetur ad bonum priuatum, aut per
  - Vnum, vnde tyrannis.
  - Paucos, vnde oligarchia.
  - Multos, vnde anarchia nascitur.

Opp. *Tyrannis, oligarchia & anarchia non sunt omnino species reipub. ergo non sunt sex. Antecedens probatur, quia respub. definitur ordo ciuitatis in magistratibus ac legibus instituendis: at in istis non est talis ordo: ergo non sunt species reipublicæ.*

Resp. *Species reipub. accipitur duobus modis, aut vniuocè, & sic sunt tantùm tres species veræ: aut analogicè, & sic tyrannis & reliqua sunt quoq; species, quia imaginem ciuitatis habent.*

Reipub. species accipitur vniuocè, analogicè.

Opp. *Imperium multorum diuitum, qui regnant propter diuitias, est species reipublicæ: sed non est vna harum: ergo sunt plures species reipub. Minor probatur, quia si sit vlla, erit oligarchia: at nõ est oligarchia, quod sic confirmo, quia oligarchia est paucorũ diuitum non multorum imperium.*

Resp. *Imperium multorum diuitum si contingat, ad oligarchiam analogicè reducitur. Præterea respondemus cum Arist. ex textu paucitatem non esse differentiam formalem oligarchiæ, sed opulentiam & affluentiam illorum qui principatum tenent. Paucorum tamen hæc potentia dicitur, quæ rarò contingit in vlla repub. plures vt diuites quàm pauperes inueniantur.*

Opulentia principum, differentia formalis Oligarchię.

Opp. *Dominatus paucorum pauperũ est quadam administratio reipub.*

*reipub. sed non continetur sub istis: ergo sunt plures constituendæ species. Minor probatur, quia si sit sub vllis, erit sub democratia: at non est sub democratia, quia hæc definitur multorum non paucorum gubernatio.*

Resp. *Mutatâ personâ idem ad hoc ac ad alterum argumentum responderi potest, nempè quòd democratia non definiatur multorum gubernatio, quia multitudo sit de essentia eiusdem, sed quoniam contingit plures esse inopes quàm diuites in ciuitate, quorum inopum potentia multorum per accidens non per se & vi suâ imperium dicitur.*

Plat. 6. de leg. Arist. pol. 2. cap. 4.

Opp. *Sunt mixtæ respublicæ: ergo sunt plures species reipublicæ. Antecedens probatur & testimonio Platonis & vi rationis: testimonio Platonis, qui in libris de republica hoc ipsum asserit; vi rationis, quia non est absurdum in benè instituta ciuitate regem admittere viros consulares & tribunos plebis, quorum rex monarchiam, viri consulares aristocratiam, tribuni plebis democratiã, imperiumq; populare repræsentant, sic Angli hodie, sic Galli faciunt.*

Resp. *Duobus modis respondeo huic argumento, vel quòd hîc Arist. de simplicibus solùm, postea de mixtis reipublicæ formis agat, vel quòd illæ mixtæ respub. ad has simplices reducantur. Exempli causâ, quamuis in Anglia mixta sit administratio reipub. per principem, per nobiles, per tribunos plebis, adeo vt nulla lex sanciri, nulla consuetudo abrogari & rescindi possit sine consensu omnium, monarchia tamen dicitur, quia maximè vnus princeps dominatum tenet. Vt ergo motus in natura nomen habet à termino ad quem tendit: ita status in ciuitate vim suam habet à fine ad quem destinatur: sic status Gallorum monarchia, status Venetorum aristocratia, & tamen in illo viri consulares, & etiam in hoc, ipsi duces regunt.*

Anglorum, Gallorum, & Venetorum respublicę.

Opp. *Sex non sunt species administrandi domum seu familiam: ergo sex non sunt formæ administrandi ciuitatem. Antecedens probatur, quia solùm imperium paternum in filios, herile in seruos, nuptiale in vxorem, ad familiam spectat. Argumentum tenet, quia in quarto Cap. huius libri docuit Aristoteles species administrandæ ciuitatis ab ipsâ naturâ gubernandæ domus proficisci.*

Resp. *Comparatio illîc fit inter domum & ciuitatem quoad veras administrandi formas, non quoad labes & defectiones, quas hoc loco analogicè respublicas appellat. Respondeo igitur in omnibus fieri*



*eri analogiam & similitudinem vtriusq;. Nam in domo vt regis, optimatum, studiosæ multitudinis: ita si communi vtilitati non consulas, tyranni, perditorum potentum, furiosi populi imagines & expressa vestigia cernas.*

## Argumenta in secundam quæstionem.

*An singuli status rectè definiantur?*

Opp. *Rex sibi potest consulere: ergo non rectè definitur monarchia illud esse imperium in quo vnus non sibi sed communi vtilitati consulit.*

Resp. *Rex sibi potest consulere, non tamen primariò & per se, sed minùs primariò & per accidens (vt aiunt) sicut anteà ostenditur similitudine medici alios curantis per se, seipsũ verò casu & fortuitò.* Cap. 4.

Opp. *Est contra naturam vt quis alijs magis quàm sibi consulat: ergò malè hoc ipsum in definitione monarchiæ requiritur. Antecedens probatur, quia natura in re qualibet maximè conseruationem sui quærit ac meditatur.*

Resp. *Aliud est esse hominem, aliud est esse regẽ: natura hominis est vt sibi consulat, natura est & officium regis, vt ciuitatem curet: salus enim ciuitatis est perfectio & conseruatio principis.* Salus ciuitatis perfectio principis.

Opp. *Probatum est anteà reges obedientiæ disciplinâ imbuendos esse: ergo si à Deo, à patre, à patriâ defecerint, quibus obsequi debebant, licebit subditis illorum conatibus omni modo resistere, quo dato sequitur malè definiri monarchiam, in qua nefas & flagitium dicitur principi resistere.*

Resp. *Definitur hoc loco monarchia, vt non communiter existit, sed vt esse debet: & sic nefas & flagitium est regis authoritati resistere. Cæterùm si à Deo, à patre, a patria, principes defecerint, pœna (vt diximus) non vertigine vnius cerebri, sed consensu senatus consulti constituenda est, & ita constituenda, vt potiùs lenitate consilij quàm seueritate supplicij ad sanam mentem reuocentur.* Pœna principum.

Opp. *Si multi diuites, boni, fortes, ac prudentes viri regnant, est aristocratia: ergò malè definitur esse imperium paucorum. Antecedens probatur, quia ad aliam classem referri non potest.*

Resp. *Aristocratia definitur imperium paucorum optimatum, non quòd multi ab hoc statu arceantur, sed quòd in omni republica pauciores sunt nobiles quàm alterius conditionis homines.*

Opp.

Opp. *Tribuni plebis sunt solùm partes populi: sed in democratia populus, non partes regerent: ergo malè definitur democratia esse imperium in quo populus per suos tribunos regnat.*

Resp. *Cùm fieri non possit vt tota multitudo reipublicæ in vnum quasi gyrum cogatur, ratio suasit, vt in populari administratione fautores populi eligerentur, penès quos summa rerum eousq; consisteret, donec alios præficere ac substituere populo placeret; sic populus rectè imperat, non confusè. Nam vt totus homo videre dicitur, etsi oculi solùm vident: ita populus regnare putatur, etsi solùm tribuni illorum nomine instituti regnant.*

Populus in Tribuno plebis regnat.

Opp. *Tyrannis, oligarchia, timocratia, sunt rerumpublicarum defectiones & labes: ergo hoc loco rerumpublicarum nomine non definirentur.*

Resp. *Definit medicus salutarem medicinam, & quoq; venenum definit medicus. Mala cognita (vt est in prouerbio) facile euitantur. Tyrannis & aliæ duæ defectiones hoc loco definiuntur, sed ita vt in florentes ciuitates hæc monstra irrepere non patiamur.*

Opp. *Cautos & prudentes ciues efficere est ad publicum bonum ciuitatis tendere: sed tyrannis cautos & prudentes ciues efficit; ergo tyrannis ad bonum publicum ciuitatis tendit. Maior constat, quia nihil est melius in ciuitate quàm vt ciues cautè & prudenter viuant. Minor probatur, quia tyrannide oppressus populus leges patrias non audet rescindere.*

Resp. *Oppressio tyrannidis non ciues sed feras, non agnos sed leones efficit: quippè non ad bonum sed malum, non ad salutem sed ad perniciem ciuitatis tyranni tendunt. Humana mollities tã graue onus & iugum sustinere non potest, potiùs ciues occident Phalaridem quàm vt ipsi Phalaridis tauro inclusi ardeant.*

Opp *Oligarchia definitur imperium paucorum diuitum sibi non ciuitati quærentium commodum: sed si multi diuites mali imperium rapiunt, oligarchia dicitur: ergo malè paucorum & non multorum definitur imperium.*

Resp. *Soluitur hoc argumentum anteà cum doceat Arist. non in multitudine & paucitate, sed in copia & egestate illorum qui regunt discrimen oligarchiæ & timocratiæ patere.*

Dubi-



Dubium. *An libertas populi sit causa litigandi pro imperio?*

QVID? Vis populũ diro seruitutis iugo semper coerceri? Putasné libertatem causam esse litigandi pro imperio? Imò oppressio populi furorem, libertas amorem parit. Da veniam Arist. nam populus vt filius non vt seruus tractari debet: causæ ergo quas adfers sitiendi regnum nullæ sunt. Fateor equidem diuites aureis sæpè retibus magna venari imperia, at pauperes libertatis solùm alis enixos in solium maiestatis volare non didici: dic ergo sodès quis sensus, quę vis verborum est? Nam dicis diuitiarum copiam in paucis, libertatem in multis causam esse appetendi imperij; diceres potiùs ni fallor, copiam in multis, libertatem in paucis hanc sitim accendere. De lana caprina disputas: quid ita? Quoniam illic discrimen inter oligarchiam & timocratiam docens, opulentiam in illa, in hac libertatem causam contentionis esse demonstraui. At cur in libertate causam litigandi ponis? Quia pauperes diuitibus libertate pares, se dignitate ab illis vinci facilè non ferunt. Est ergo libertas seditionis causa? Est certè si frænum desit. Quid vis per frænum? Metum legis; at pessimus est custos ciuitatis metus. Nõ est si sit ciuilis. Quid est ciuilis metus? Est veri amoris comes. An metus amat? Imò & amor timet. Quî hoc demonstras? Facilè, nam filius timet & amat patrem. vis ergo ciuem timere & amare regem? volo. Rectè iam tandèm explicas libertatẽ populi esse causam dissidij, si libertas populi timore careat, imò magis si & timore & amore careat.

Distinctio.

| | | |
|---|---|---|
| Libertas populi est causa litigandi propter | Nimiam familiaritatẽ quę gignit authoritatis contemptum. | Nam vt filius nimiâ indulgentiâ familiarum contumax, insolenſque factus sepulchrum patris expetit: ita ciuis libertate tumidus & superbus euadens omne imperium facilè contemnit. |
| | Nimiam insolentiam naturæ quæ sitit imperium. | |
| | Cõtumaciã quę omne tollit obsequium. | |

Opp. *In omni recta administratione ciuitatis ciues libertate donati sunt: ergo libertas est causa potiùs conseruandi quã labefactandi imperium.*

Libertas Absoluta, Restricta.

Resp. *Libertas ciuium est vel absoluta vel restricta, illa in ciuitate parit periculum, hæc verò est necessaria ad imperium; illa est vt in timocratia vbi nulla lege furor populi restringitur, hæc est vt in monarchia vbi metu ciuilis iustitiæ refrænatur.*

Opp. *Causa contentionis est vitium hominis non libertas ciuitatis: ergo inconsideratè causa seditionis hic libertas dicitur. Antecedens probatur, quia libertas res potiùs bona quàm mala est, at homo deprauatus illâ abutens flammas seditionis in angulos ciuitatis spargit.*

Sub libertate seditio.

Resp. *Deprauatio animi humani est quidem causa omnis vitij, attamen occasio mali aliquandò foris offertur. Exẽpli causâ, vt pulchra mulier est causa adulterij: ita libertas nonnunquã causa est dissidij, sed vt in animo Paridis venenũ latet, quod in libidinẽ spumat: ita in animo ciuis contagiũ inest, quod sub specie libertatis in seditionem ruit.*

## CAP VI.

*An actio virtutis sit sola mensura distribuendi honoris?*
*An fœderatæ ciuitates inter se eandem rempub. efficiant?*

SENSIM ac paulatim in altum nunc vehitur nauis, nam à nominibus rerũpub. ad ipsa arcana venit; distinctæ sunt satis ipsæ species ciuitatis, requiritur ergo iam tandem vt partes, vires fines cuiusq; status percontemur: datâ igitur occasione contentionis inter oligarchiam & popularem statum, quid iustum, quid iniquum sit in quauis ciuitate luculentiùs hoc loco ostendit Philosophus. Sed nè fusiùs quàm par est disputatio hæc nostra fluat, ad duos hos fontes reuocamus omnia, nimirùm, An actio virtutis sit sola mensura distribuendi honoris? Et An fœderatæ ciuitates inter se eandem rempublicam efficiant? Erratis potentes viri, erratis populares: vos optimates, quia iustum diuitiarum copiâ; vos populares, quia iustum hominum libertate definire contenditis; vos diuites vultis imperare, quia opibus abundatis; vos pauperes quoq; vultis imperare, quia libertatis estis participes. Sed attendite dum errorem hunc vestrum tribus aut quatuor argumentis refellam. Primum est à circumstantijs iusti, secundum ab ipsa naturâ iudicij, tertium ab inductione contrarij, quartum à definitione boni. A circumstantijs iusti, quia iustũ vt in Ethicis docuimus, quatuor limites terminosque habet, duos respectu rerum, duos respectu personarum: vt si æquales personæ sint, res quoq; æquales; & aliter si personæ sint impares, res etiam impares & inæquales erunt; at vos in vendicandis honoribus ciuitatis hos terminos nõ obseruastis: ergo in vestra definitione iusti error periculosus inest. Quòd verum hoc sit liquidò constat, quoniam inter vos aliqui solùm affluentiam rerum, aliqui verò solam libertatẽ in iusto definiendo consideratis. A natura iudicij, nam qui in re sua iudicat, malè iudicat: at vos de re vestra ipsi iudicatis: ergo malè iudicatis. Ab inductione contrarij, quia honos non diuitijs, non commercijs, non rebus necessarijs vitæ, non alijs quibuscunq; negotijs ciuitatis debetur: ineptè igitur à vobis definitur iustum quod vel à rerum copia, vel ab hominum libertate pendet. Postremò à definitione boni, quia vera mensura distribuendi honoris est studiosa actio & meditatio virtutis: sed hic finis, hęc forma à vobis negligitur: ergo error turpis & immanis à vobis admittitur. Hinc perspicuum est neq; Crętes propter diuitias, neque Cęsares propter victorias, neq; alios quoscunq; propter externas causas vendicare posse honores ciuitatis: restat igitur hoc vnum, quòd sola actio virtutis sit iusta mẽsura distribuendi honoris: quippè non genus sed virtus, non sanguinis splendor sed pietatis amor verè nobiles & generosos facit. Hoc quidem probari potest in altera quæstione, quæ huic affinis est: nam si fœderatę ciuitates eandem omnino rempublicam non faciant, nisi virtutis studio penitùs conspirent, nullam vel æquitatis lancem meliorem, vel dignitatis mensuram iustiorem actione virtutis esse putemus. At quòd fœderatæ ciuitates aliâ nullâ de causâ vnam rempublicam faciant, sic ex Aristotele demonstrabo. Primum ab enumeratione, deinceps à simili, hinc à definitione, postremò verò à fine.

Prima quæstio.

Aristot. eth. lib. 5. cap. 3. Iustum limitibus quatuor terminatur.

Secunda quæstio.

Quæ illa sunt quæ fęderatas ciuitates faciunt.

Ab enumeratione scilicet eorum quæ fęderatas ciuitates faciunt; hæc autem sunt possessiones rerũ, societates vitæ, depulsiones iniurię, commutationes, aliaq; similia: sed istiusmodi vnam rempub. non faciunt: fœderatæ ergo ciuitates vnam rempub. non efficiunt. Assumptio ex textu in singulis probatur. Exempli causâ. Possessiones (quarum causâ fœdus multæ ciuitates ineunt) vnam & eandem rempub. non faciunt; ratio est, quia respub. stabilis & perpetua manere debet: at res fluxę sunt diuitiæ quæ aliquando non citiùs ortum quàm casũ, non prius fluxum quàm refluxum habent. Præterea cõmunicationes ac societates vitæ causæ non sunt, cur cadẽ respub. dicatur: nam quamuis multæ ciuitates fœdus percutiũt, vt vnà delectabiliter viuant, tamen quoniam hoc belluis & seruis contingit, vt inter se consocientur, nemo est tã imprudens qui dixerit eandem ex communicatione vitæ rempub. ordinari. Absurdum enim est seruis ac brutis animantibus ciuitatem concedere. Porro quanquã nõnullæ ciuitates ad depellendas facilè iniurias fœdera mutuaq; subsidia agunt, vna tamen ex his respub. non nascitur; nam quis diceret Angliã & Scotiam vnam esse rempub. tametsi fœdere pacis sibi inuicem vinciantur? Adhuc fœderatæ sunt ciuitates sæpissimè commerciorum causâ, vt Tuscorum ciuitas & Carthago: At cõmercia aliaq; pacta rerũ contrahendarũ eandem rempub. non efficiunt: ergo fœderatæ ciuitates vnam rempublicam nõ reddunt. Minor huius syllogismi probatur à Philosopho, quia ciuitates illæ in quibus hęc fœdera exercentur de pecunijs & negotijs, de tabulis & pactis sũt valde sollicitæ: at magistratus & virtutis (quæ maximè remp. definiunt) nullã omnino curã, nullã constitutionem habent. Postremò neq; vicinitas ciuitatum, qualis fuit Megarensium & Corinthiorum, quorum mœnia coniuncta erant, neq; cõnubiorum vincula, neq; peregrinorum hospitia, neq; maiorũ leges & instituta, neque religionis similitudo & sacrificia eandẽ remp. possunt efficere: at hæc omnia fœderatas ciuitates ex consensu faciunt: sequitur ergo fœderationem ciuitatis non esse sufficientem causam cur vna respublica appelletur. Imò hoc addo, quòd



quòd interdum sint sanctiora fœdera, quibus ciuitates principibus, ducibus, & comitibus se obstringunt; nihil aliud tamen præstare tenentur quàm olim Asiani Romanis, vt scilicet Romani imperij vires non frangerent, eiusdemq; maiestatem non obscurarent. Ex his iam tandẽ perspicuum euadit primum argumentum, quod ab enumeratione eorũ, quæ fęderatas ciuitates efficiũt, petitur. Secundum est à simili, nã vt satis non est cohęrere aliquid cum toto, vt rem vnã numero & naturâ faciat, nisi sit ex essentia; hinc crines & vngues in homine, folia & flores in arbore à natura vtriusq; excluduntur: ita ad efficiendam vnam rempu. non satis est res externas adferre, quales sunt de quibus diximus, nisi probemus ipsa ciuitatis esse principia, quæ in ordine & virtute maximè subsistunt. Tertia ratio est à definitione reipub. quę est ordo ciuitatis circa omnes magistratus, maximè verò circa summum: at in fœderatis ciuitatibus istarum rerum cura consultatioq; non habetur: ergo fœderatę ciuitates eandem rempublicam non efficiunt. Postremum argumentum est à fine ciuitatis, qui est benè & beatè viuere: at fœderatæ ciuitates non studẽt quàm iustus quàm iniustus sit ciuis, quàm probus quàm improbus magistratus; sed hoc tantùm eis curę est, vt iniuria ne fiat, vt omnia in pactis fęliciter succedant. Concludã ergo cum verbis Aristotelis nempè perspicuum esse ciuitatem instituí, neque vt sit loci communitas, neque vt sit depulsio hostis, neq; vt sit commutatio rerum, neq; vt sit similitudo morum: hæc quidem externa sunt & fœdus faciunt; at ciuitas ea demùm societas est quæ benè viuendi gratiâ instituitur. Inanis ergo est strepitus multorum, qui de genere, de libertate, de gloria, de thesauro, de forma iactitant: ratio est quia neq; respub. per ista definitur, neque ciuitas istis infirmis fundamentis nititur. Quocircà qui vnã rempublicam, qui firmam ciuitatem habere velint, ciues bonos & studiosos efficere contendant, alitèr plus ignominiæ quàm honoris, plus damni quàm lucis ac dignitatis adferunt. Est enim actio virtutis trutina honoris, vt prima; nam virtus non fœdus eandem rẽpublicam facit, vt secunda quæstio iam demonstrauit.

Vt inter Heluetios & ciuitates Balth.

Actio virtutis trutina honoris.

## Distinctio primæ quæstionis.

*An sola actio virtutis sit norma distribuendi honoris?*

Honor est duplex;
- Naturalis, qui sanguinis successioni debetur.
- Ciuilis, qui virtutis actioni soli attribuitur, & hæc est vera mensura distribuendæ dignitatis in ciuitate propter quatuor conditiones, quæ in mensura requirũtur, quarum
  - Prima est, vt sit iusta & æqualis.
  - Secunda, vt sit communis omnibus.
  - Tertia, vt sit comparatu facilis.
  - Quarta, vt sit perpetua & immutabilis: at actio virtutis iusta est, omnibus patet, omnibus se offert, tempore non mutatur.

Opp. *Maximæ dignitates debentur regibus: sed illarum mensura est successio sanguinis non actio virtutis: ergo actio virtutis non est semper norma distribuendi honoris.*

Successio sanguinis & actio virtutis concurrunt.

Resp. *Successio sanguinis actioq; virtutis in vno cõiungi possunt: verùm si cõtingat hæc separari, potiùs virtuti quàm sanguini debetur honor. Respondeo igitur naturam esse mensuram quidem quâ sæpè ciuitates vtuntur in distribuendis honoribus reipub. cæterùm hæc mensura non est per se sed per accidens, quippè obliqua est & non recta trutina dignitatis.*

Opp. *Tutiùs vtitur hac normâ successionis quàm virtutis ciuitas in distribuendis honoribus: ergo verisimile est meliorem esse mensuram. Antecedens patet in omni propemodùm ciuitate, vbi regum nobiliumq; filij paternos honores non aliter quàm ius hæreditarium capiunt.*

Resp. *Necessitas iubet multa tolerari in ciuitate quæ approbãda non censet æquitas. Tutum quidem est vt regum nobiliumq; filij regibus in solio sedeq; dignitatis succedant, at lõgè melius est vt auitas virtutes sequerẽtur. Huic autem malo solicitè mederi conatur omnis ciuitas, cum de casta educatione procerum sanctissimas leges tulerit, vt in septimo politicorum patet.*

Polit. lib. 7. cap. 17.

Opp. *Actio virtutis non obseruat omnes conditiones optimæ mensuræ: ergo non est optima mensura distribuendi honoris. Antecedens probatur primùm quia actio virtutis non est communis omnibus, nam plures malè quàm iustè viuũt: secundò quia non est comparatu facilis, nam vt ait Philosophus secundo Ethicorum est res*

Ethic. lib. 2. cap. 6.



*omnium difficillima studiosum fieri: tertiò quia non est incommutabilis & perpetua, nam actio virtutis tempore finitur, & vt docet Aristoteles est medium rationis quod mutatur, non medium rei quod immutabile manet.*

Resp. *Actio virtutis communis mensura dicitur, non quòd omnes sint studiosi, sed quòd secundùm hanc regulam & mensuram omnibus quod suum est tribuatur. Similiter comparatu facilis dicitur, non quòd facile sit comparare virtutem, sed quòd non sit difficile præmia bonorum & malorum supplicia eiusdem lancibus ponderare. Præterea multi asserunt rem difficillimam esse studiosum fieri si affectum, non tamen si voluntatem & rationem spectes. Postremò actio virtutis incommutabilis & perpetua dicitur, non quòd non terminetur tempore, sed quòd in subiecto stabili & æterno sedeat, hoc est in animo qui semel virtute pollens & confirmatus in perpetuum à posteris commendatur.*

Virtus
1. Communis.
2. Comparatu facilis.
3. Perpetua.

Opp. *Qui aut pecuniis aut viribus ciuitatem ab hoste liberant, tametsi non sunt boni & excellentes viri, iure amplissima in ciuitate vendicent: ergo non solùm actio virtutis est mensura tribuẽdi honoris, nã pecunia est bonũ fortunæ, vis autẽ corporis est bonum naturæ.*

Resp. *Non pecuniam sed magnificentiam, non robur corporis sed fortitudinem honorat ciuitas. Quare si minùs boni viri aliquando aut opibus aut viribus ciuitati prosint, vel propter ipsas virtutes, vel propter insignia virtutum remunerantur: hinc lex ciuitatis est vt capti in bello victoribus subseruiant, non quòd semper victores sint meliores viri, sed quòd in illis virtutis signa magis quàm in victis apparuerint.*

## Distinctio secundæ quæstionis.

*An fœderatæ ciuitates vnam rempub. efficiant?*

Fœderatæ ciuitates vnam rempub. non possunt constituere, quia
- Fœdus est nihil aliud quàm quædam conditio ex pacto principum, at respub. est ordo magistratus ex consensu ciuium.
- Fœdus externa ciuitatis negotia, respub. interna ciuitatis principia respicit.
- Fœdus ex occasione mali euenit, respub. verò ex occasione boni.
- Fœdus propter bonum vtile percutitur, respub. propter bonum honestum constituitur.

Fœderis Definitio. Vid. Arist. pol. 2. cap. 1.

Opp. *Respub. nihil aliud est quàm formalis administratio & ordo ciuitatis: sed in fœderatis ciuitatibus eadem potest esse formalis administratio: ergò eadem potest esse respub. Minor probatur, quia Athenæ & Lacedæmon easdem leges eundemq; ordinem administrandi possunt admittere. Sic hodiè Heluetiorum ciuitates tredecim, sic Angli & Hyberni viuunt.*

Fœdus ex impulsu principum, consensu libero.

Resp. *Si eadem sit penitùs administratio, idemq; omninò ordo, eadem proculdubio respub. constituitur, vt in Britannia, Wallia & Hyberniâ, quæ vnâ rempub. efficiunt, manifestè patet: at sic non sunt fœderatæ ciuitates, sed vnita membra vnius capitis & veluti conglutinatæ partes eiusdem corporis. Cæterùm considerandũ hîc est, an ex impulsu pactoq; principum, an ex consensu libero hic ordo fiat: si primo modo, fœdus; si secundo modo, vnius ciuitatis administratio dicitur.*

Opp. *In fœderatis ciuitatibus liberè nati sunt verè ciues: ergo fœderatæ ciuitates vnam rempub. videntur constituere. Ratio sequitur, nam ciues non tam à ciuitate quàm à repub. & ordine administrãdi suã formã petũt. Antecedens probatur exẽplo Archiæ poetæ, quẽ Cicero probat esse ciuẽ Romanũ, etsi Romæ natus nõ erat. Hoc argumento vsus est beatus Apostolus Paulus qui ciuẽ Romanum se audebat dicere, cũ Tharsis non Romæ ortus originẽ initiũq; traxit.*

Cic. pro Archia poeta. Act. cap. 22.

Resp. *Hæc ratio non sequitur, nam ex pacto data fuit ista immunitas, vt omnes Hetruriæ aut Tharsis nati libertate ciuis Romani donarentur: non tamen hinc rectè concluditur Hetruriam & Romam eandem esse rẽpub. Tharsim & Romam eandẽ esse ciuitatem.*

Hetruriæ aut Tharsis nati, Ciues Romani.

Dubium. *An aliquis possit esse iudex in sua ipsius causa?*

Vid. Pol. 3. cap. 12.

SAPIENTER quidem Philosophus in hoc cap. ferè inquit plurimi de rebus suis & domesticis mali sunt iudices, si ferè plurimos dixerit, haud omnes & singulos esse intellexit. Fateor equidem omnes de seipsis & suis non malè iudicare. fateris? Cur ergo prohibes nè quis sit iudex in sua ipsius causâ? Verbo ostendam: quia plerumque est cæca hominum affectio, & nemo est qui seipsum non magis quàm alios diligat. Domus iudicis est oraculum ciuitatis, in quo iudicium publicum non priuatum floret. Rectè Scæuola, iudex est vox æquitatis, qui aliena tractat, si ipse lucem virtutis fugiat,

Domus Iudicis oraculum ciuitatis.



giat, prætextu iudicis sententiam non dicet. Quàm enim absurdum est, quàm indecorum est, vt reus iudex in sua causa fiat? An hoc æquitatem, an hoc ciuitatem sapit? Commune est bonum ciuitatis, commune forum in quo ratio non voluntas, iustitia non affectio sententiam diceret. Socrates (vt ferunt) accusatus iniustè, noluit suam causam dicere: quid ergo? Licet Catilinæ in tripode ciuitatis sedere, & suam ipsius causam iudicare? An hæc sententia tribunal decet? Ego Catilina amplissimâ familiâ natus, iudex de læsæ maiestatis crimine (cuius accusor) factus, omnes & singulos qui me mendacijs onerant, ad furcas, ad lapides, ad præcipitia damno. Abi in malam crucem pessime moderator rerum, longè à ciuitate abi: nam iudicem priuatum facere, est magistratum in vmbram vel potiùs in nihilum commutare. Sed vt punctim concludam omnia; ciuitas hoc negat, hoc negat æquitas, maiestas fori & tribunalis negat, negat publica persona iudicis, ratio & consuetudo maiorum negant, negat decorum, negat exemplum; quid ergo obstat quò minus authoritas neget, imò potiùs iubeat vt nemo sit iudex in propria causa? Nam quamuis sunt aliquot boni qui bene, sunt tamen plures, qui malè de seipsis iudicabunt: homines enim sunt homines, & vix vnus est hominum inter mille qui sibi non pepercerit.

7. Rationes cur nemo Iudex esset in sua ipsius causa.

## Distinctio.

Nemo iudex esse debet in sua causa, ne

1. Affectus non magistratus loquatur.
2. Vetus consuetudo iudicandi violetur.
3. Maiestas fori & tribunalis minuatur.
4. Exemplum mali in scandalum populi pertrahatur.
5. Contemptio magistratus, iuris & æquitatis ex hoc tandem consequatur.

Opp. *Principes nec legibus, nec alijs iudicibus subijciuntur: ergo possunt esse iudices in suis ipsorum causis. Antecedens probatur, quia principes sunt summi magistratus rectoresq; ciuitatis.*

Resp. *Quamuis nec legibus nec alijs iudicibus subijciuntur reges, tota tamen ciuitas iudex esse potest. Est enim in quauis republica summum aliquod tribunal in quo non vnus pro affectu, sed tota*

Tota Respub. Iudex principis.

*ciuitas pro consensu iudicat, huic ipsi principes obsequi & obtemperare debent.*

Opp. *Boni viri sunt leges sibi: ergò possunt de seipsis iudicare.*

Pol. 3. cap 9. *Antecedens est Arist. huius libri nono. Ratio tenet, quia boni præesse non subesse, imperare non iudicari debent. Virtus enim nullius imperio iudicioue subest.*

Resp. *Duplex est subiectio ciuium: alia voluntaria quæ est bonorum, alia coacta quæ malorum dicitur. Boni quidē sunt leges sibi, attamen legibus propter ordinem, principibus propter exemplum libentissimè obediunt. Respondeo igitur, virtus etsi nullius imperio iudicioué subest propter sui excellentiam, vtriq; tamen in bonis subijcitur propter ciuilem ordinem in quo resp. maximè consistit.*

Subiectio Voluntaria Coacta.

Opp. *Quicunq; certissimè ea nouit de quibus iudicat, accuratiùs iudicare potest: sed vnusquisq; certissimè sua nouit: ergo vnusquisq; accuratiùs de suis iudicare potest: quod si concedas, sequetur quemlibet iudicem esse posse in sua causa quam intus & accuratè nouit.*

Resp. *Forum est duplex in ciuitate, publicæ iustitiæ & priuatæ conscientiæ; in foro iustitiæ obseruatur ordo, vt nemo sit iudex & moderator sui; in foro autem conscientiæ, optandum est vt vnusquisq; de se suisq; iudicaret. Solicita enim examinatio animi retundit vires viruq; peccati.*

Forum Iustitiæ, Conscientiæ.

Opp. *Alteri non licet iudicare alterum: ergo cuiq; licet iudicare seipsum. Antecedens probatur, quoniam qui alterum iudicat, ipse crimine vacare debet: at nemo (vt ait Cato) sine crimine viuit.*

Resp. *Non hominem sed magistratum, non infirmitatem viri sed maiestatem officij, in tribunali iudicioq; spectare oportet. Nemo quidē sine crimine viuit, at officium iudicis sanctum & religiosum est; si error fiat, homo est qui errat: si sæuiat affectio, homo est qui peccat: non est tamen tollendus magistratus propter peccatum hominis; nam etsi in homine infirmitas, in officio tamen maiestas inest. Respondeo igitur quòd liceat alteri alterum iudicare propter summam maiestatem officij in quo iustitia & veritas sententias dicere, & solent quidem plerunq; & sane semper debent.*

In Iudicis persona infirmitas, officio maiestas.

CAP.



## CAP. VII.

*An populus, vel tyrannus, diuites, vel probi viri, optimus vnus, vel lex rempublicam administrare debeat?*

*An expediat magis populum quàm paucos studiosos imperare?*

*An summum imperium concedatur populo?*

VEniam hoc loco peto si Arist. fauentem Græciæ, ad Angliam fouendam pertraham, si vltro citroq; disceptantem de multiplici statu ciuitatis ad rempub. nostram accommodem. De aristocratia & populari statu, quæ tum in Græcia florebant, multa præclarè differit; sed vt quidam volunt, An monarchia excellat, adhuc distinctè & apertè non demonstrauit; cum tamen aliqui ex interpretibus hanc quæstionem de monarchia hoc loco moueant, quoniamque hîc Philosophus comparationem diuersarum administrationum faciat, nos rarò ab illorum vestigijs desilientes, eam thesim inter has intriuimus, vt in comparatione omnium graduum, superlatiuum illi tribuamus. Nam quamuis in decimo cap. huius libri de monarchia eiusque formis agatur, vbi multi hanc causam differunt: quoniam tamen hîc facta est comparatio vtrùm melius sit ciuitatem regi ab vno quàm pluribus, opportuniùs quidem hîc quàm illic mouetur quæstio; longiores fortasse erimus sed tædium varietas deuorabit. His omissis Aristotelem aggrediamur, qui hoc syllogismo ab enumeratione ducto thema huius capitis auspicatur. Populus vel tyrannus, locupletes vel probi viri, optimus vnus aut lex iusta regeret ciuitatem: sed neque populus, neque tyrannus, neque locupletes, neque probi viri, nec denique vir vnus optimus ciuitatem regeret: ergò lex iusta quæ sola relicta est ciuitatem regeret. Assumptio huius ratiocinationis, disputandi causâ in singulis probatur; & primùm quòd populus

seu

Multitudo à capessenda Repub.arcetur,tribus argumentis.

seu multitudo rempub. non capesseret, tribus his argumentis in textu ostendit. Primum est ab incommodo,secundum à periculo,tertium à comparatione. Ab incommodo, quia multitudo ferocior facta, & rebus secundis diuitum infesta, non aliter ac vultur suos vngues in sacculos opulentorum insereret, eorumq; opes & agros deuoraret, idque ius putaret, quia dominatur. Nihil enim molestiùs fert multitudo quàm aureos Nilos diuitum, nihil magis optat quàm vt illorum turres gloriæque pyramides furoris fulmine deuastentur. A periculo &(vt aiunt dialectici) ab interitu rei,quia illud imperium non est approbandum quod ciuitatem perdit: sed populare imperium ciuitatem perdit:ergo populare imperium non est approbandum.Ratio constat, quia potentum virorum viribus semel oppugnatis, viq̃ populi opibus diremptis, flamma seditionis statim in ciuitate nascitur, quæ latiùs serpens in cineres conuertit omnia. A comparatione, quia par est gubernatio populi & tyranni: sed huius imperium non est tolerandum:ergo nec illius. Propositio constat, quia tyrannus & populus in hoc vno conueniunt, quòd in rem suam propriumque commodum auidiùs volent, rapaciusque acquisita teneant.Arguit in secundo loco contra secundum membrum, probatque opulentos non posse iure vendicare ciuitatis imperium.Ratio vna est,nempè,non esse admittendum illud imperium à quo iniuriæ,damna,oppressioneſque populi fluunt:sed tale est imperium diuitum:ergo diuitum imperium non est admittendum. Assumptio patet, quia diuites populum,vt leones,prædam faciunt. Nihil enim est crudelius lupo cum esurit, nihil furentius diuite cum aliena sitit:facilè diuites inueniunt baculum quo cædant canes,facilè opulenti modos excogitant quibus occidant pauperes;Irus in valle viuit,quia nihil habet;at Quint. Aurelius amittit animam, Albanum quia fundum possidet: ratio est, oculi potentiorum sunt inuidi, & boucm mendicantis saginari non sinunt.Tertiò disputat Arist. in tertiam partem,docetque quòd boni & studiosi viri ciuitatem non regerent: causa est,quia sic infiniti à participatione honoris arcerẽtur, cuius

Opulenti remouentur ab imperio.

Plut.in Sylla.

Boni non debent præesse.



cuius iniuriæ insolens & impatiens est natura humana,adeoque impatiens vt in seditionem prorumpat, si semel tædio suarum rerum vulneretur: sit ergo virtus quæ in illis regnat; at excluso populo à dignitate, virtutis comes inuidia erit. Quartò declarat Philosophus id quod in quarto loco agitur, nimirum quòd nec vir vnus licèt sit insignis virtute vẽdicaret imperium.Ratio eadem est cum priore, quia sic honoribus depulsus populus, tedâ veluti imperiosæ bilis accensus excandesceret: si ergo populus paucorum potentiam ægrè, multò ægrius vnius imperium ferret.Postremò vltrò citroque legis efficaciam & dominatum arguit. Primùm quòd debeat lex ciuitatem regere,quia immunis est ab omni æstu perturbationis,nec non rectæ rationis norma. Secundò quòd non debeat ciuitatem regere, quia leges in quouis statu non aliter loquuntur quàm qui in arce ciuitatis sedent. Exempli causâ,apud Persas tyrannidem, apud Christianos clementiam sonant. Sequitur iam tandem secunda pars huius tractationis,in qua Philosophus fixum aliquod & definitum ponit; aliter enim vt nebula contrarijs ventis: ita mens dubia contrarijs argumentis distraheretur. Quæstio in hac parte est,vtrùm expediat multitudinem potiùs quàm paucos studiosos dominari? Difficilis hæc est controuersia, multaque in se spinas nodosque habet;vtcunque tamen est, sensum sententiamque Arist.pro viribus persequemur; hoc autem vt limatiùs accuratiusque fiat,primùm duo genera multitudinis distinguenda hîc sunt, alterum politum, ciuile, ac propensum ad prudentiam; alterum impolitum, seruile, ac præceps ad malum:illud intellectu magis quàm appetitu,hoc sensu magis quàm mente agitatur. De primo non de vltimo hîc agit Philosophus, aitque expedire quòd multitudo potiùs quàm pauci boni viri ciuitati præsint.Causas & argumenta sex tradit, quæ omnia similitudinem ac proportionem aliarum rerum præseferunt. Primum est à vi naturæ, quæ vnita multo fortior & efficacior redditur:at in multitudine vis magna inest magnumque lumen: multitudo igitur potiùs quàm pauci studiosi ciuitatem regerent, meliores tamen sunt non quidem

Imparitas honorum seditionem parit.

Non licet vni soli imperium vendicare.

Secunda quæstio.

Multitudo Ciuilis, Seruilis.

Pro multorum imperio rationes 6.

Vis vnita fortior.

dem viritim singuli sed collectim vniuersi. Hoc ipsum probatur à similitudine cænæ, à proportione partium in corpore, ab exemplo pictorum, poetarum & musicorum. A similitudine cænæ, nam vt cæna illa copiosior & delicatior est, quæ multorum sumptibus symbolisque, quàm quæ vnius impensis apparatur: ita prudentia illa longè efficacior subtiliorque est, quæ à consultatione multorũ nascitur, quàm quæ in paucorum industriâ iudicioq; ponitur. A proportione partium, quoniam multitudo est quasi vniuersalis homo, qui vt Argus multos oculos, vt Briareus multas manus aliasque numerosè partes sensusque habet; quæ partes collectim populum & viribus fortiorem, & potentiorem opibus, & virtutibus animi sapientiorem efficit: vnde sequitur administrationem ciuitatis magis politæ multitudini quàm paucorum bonorum senatui, & censuræ concedendam esse. Plus enim vident oculi quàm oculus, vt est in prouerbio. Et iterum,

Plus vident oculi quàm oculus.

*Multorum manibus grande leuatur onus.*

Quid multis? Vox populi, vox Dei est, & administratio ciuilis multitudinis imperium paucorum bonorum superat. Ab exemplis pictorum, poetarum, & musicorũ, ratio iam sequitur. Nam vt multi musici accuratiùs de harmonia, quã pauci, vt de arte poetica vniuersi melius iudicant quàm singuli: ita multitudo sapientiùs regit ciuitatem quàm pauci, tametsi sint verè politi probique viri. Præterea vt partes quæ à singulis pictoribus delineatæ sunt longè venustiores elegantioresque apparent, si ab Apelle aut Zeuxi coniunctæ in vna tabula depingantur: ita prudentia quę in singulis viget, multò eminentior, multoque augustior est si in tota multitudine perspiciatur. Hæc posuit Philosophus non quòd quicquam à bonis viris eorumque administratione detraheret, sed vt comparatione factâ, popularem statum, qui maximè tum floruit, laudibus efferret. Summa omnium quæ docuit huc accedit, quòd in populo ratio perspicacior, intentio melior, actio permanentior quàm in paucis studiosis insint. Ratio perspicacior, quia plures oculi plus vident quàm vnus oculus, plures manus plus faciunt quàm vna manus, plures intellectus

Vide. Cic. lib. 2. de inuentione.



intellectus plus sapiunt quàm mens vna percipit. Intentio melior, quia populus quocunque se vertit bono communi consulit; proprium enim bonum populi bonum commune dicitur. Actio permanentior, quia rariùs affectibus multitudo quàm vnus homo cedit, rariùs corrumpitur populus quàm paucorum senatus. Sed vbi est iste telorum ciuiumque fasciculus, quem octoginta Scyluri filij non potuissent frangere? Rarissima est isthæc apium conspiratio, rarissima est tam fidelis ciuium consensio. Quarè istius laudis in textu sequitur quædam moderatio, nec nõ restrictio popularis imperij. Moderatio vbi Arist. studiosos viros verè pulchris, populum verò depictis imaginibus comparauit; nam perfectè bonus habet in se omnia pulchra, at populus suos nævos suasq; labes habet. Verùm enimuerò quamuis in quibusdam partibus multitudinis sit deformitas, vt in claudicante Vulcano & Thersite; reperitur tamen inter multos vnus qui pulchriorem frontem, alius qui acutiorem oculum, alter qui firmiorem pedem habet: sic in toto populo diuinior perfectio lucet quã in paucis, etsi in illis magnus splendor sapientiæ inest. Quid ergo? Summũ imperium populo est concedendum? Minimè gentium; hoc nullo modo voluit Arist. Quid ergo voluit? Attende, & vno vel altero syllogismo (quo ille in textu vtitur) ostendam. Aut nullarum rerum publicarum imperium tribuendum est populo, aut aliquarum: sed nullarum imperium populo mandare est horribile & formidolosum: ergo rerum aliquarum administratio est concedenda. Assumptio probatur, quia si populus omni dignitate omnique gradu honoris careat, non ciuibus sed hostibus plenum imperium erit. Agè, rerum aliquarum imperium teneant. Audi ergo alterum syllogismum. Si rerum aliquarum imperium populo sit attribuendum, aut summi magistratus, aut consultationes, iudicia, & electiones illi debentur: sed summi magistratus nullo modo sunt concedendi: ergo consultationes, iudicia, & electiones solùm populo debentur. Non summi magistratus, quia multitudo plerumque est imperita rerum, difficillimeque in gyrum rationis cogitur,

Pol. 3. cap. 11.

Plut. apoph. Stob. ser. 82.

Contra populi imperium.

In quo populus præesse debeat.

cogitur, fieriq́ue non potest vt grex sine pastore, & populus sine gubernatore viuat. Quòd verò electiones, consultationes, iudiciaq́; ei mandarentur, probat Philosophus authoritate Solonis aliorumq́ue legumlatorum, qui antiquitùs populum magistratibus eligendis & censendis sapienter præfecerunt, id est populum magistratuum electorem & censorem constituerunt: singulos autem per se imperare non permiserunt. Sed contra hanc positionem duæ obiectiones in textu fiunt hoc modo, Periti solùm (vt olim voluit Phocylides) iudicare, eligere, & consultare debent: sed populus non est peritus & expertus rerum: ergo populus iudicare, eligere & consultare non debet. Maior probatur exemplo medicorum & geometrarum, de quorum medicinis & figuris, solùm medicandi & mensurandi artibus ornati iudicant. Respondet huic obiectioni docendo quòd non intelligit singulos sed vniuersos, non dispersos sed congregatos in multitudine, & sic inquit multum sensum habent, & permixti cum melioribus plurimùm ciuitati (non aliter quàm subtilis cibus cũ crasso permixtus sanitati) prosunt. Nam quemadmodum alimentum subtile non est vtile sanitati, quia facilis concoctionis existens velociùs viciniores partes alit, aliasq́ue remotas ieiunas deserit, quod tamen permixtum cum crassiore firmiorem nutritionem facit: ita neque subtilis iudicij homines, neque crassi ingenij multitudo seorsim & per se ciuitatem regerent, sed coniunctim ingenia consiliaq́; conferentes singulas quasi partes ciuitatis alere & conseruare debẽt. Prætereá non semper ad iudicium requiritur scientia rerum, nam meliùs sæpè incola de domo quàm architectus, meliùs de cibo conuiua quàm ipse coquus iudicat. At dices, quàm periculosa res est iudicium, consilium, electionem (quæ claues reipub. sunt) populo committere, prudentes perorare, iudicare stultos, quod olim in Græcis reprehendit Anacharsis? Verum hoc est quod dicis, si vnà cum populo non consultaret æquitas, si totus senatus sententiam non diceret. Quid tandem concludis? Hoc nimirùm, multitudinem meliùs quàm paucos studiosos ciuitatem regere, eandemq́ue non

Pol. 2. cap. 10. Plut. in Solon.

Obiectiones contra populum.

Arist. 1. de ortu anim.

Consilium, iudicium, electio claues reipub.



non summũ imperium sed electionem consiliumq́; sibi posse vendicare. At nihil adhuc de legis, nihil de regis imperio dixisti. Benè mones: nam Arist. vtrumq; in calce huius capitis vrget. Dic ergo quid de vtroque senseris? Dicam: sed quoniam paulò fui prolixior distinctionibus & argumentis breuiter discussis loco dubitationis hæc duo adferam.

Distinctio primæ quæstionis.




Opp. *Tyrannis, oligarchia, & popularis insania antè à recta gubernatione excluduntur: ergo inconsideratè hoc loco quæritur, An tyrannus, diuites aut multitudo ciuitatem regerent?*

Resp. *Indago veritatis refutationem erroris postulat, quærit ergo Arist. tam de falsis quàm de veris reipub. formis, vt in illis iustam, in his iniquam reipublicæ administrationem esse ostendat.*

Opp. *Nihil istorum regeret ciuitatem: ergo non rectè hæc thesis instituitur. Antecedens probatur, quia prudentia & iustitia ciuitatem regerent: sed prudentia & iustitia sunt nihil istorum: ergo nihil istorum regeret ciuitatem.*

Resp. *Prudentia & iustitia sunt media & instrumenta, magi-*

Prudentia & iustitia media sunt administrandæ reipub.

*stratus verò sunt causæ ac principia rectè administrandi ciuitatem. Hîc de primarijs causis, non de medijs ac instrumentis agitur.*

Opp. *Absoluta non est diuisio cum desit membrum: sed deest mẽbrum in hac diuisione: ergo non est absoluta. Minor probatur, quia regis (qui inter omnes rectores ciuitatis est maximus) nulla facta est omninò mentio.*

Rex per vnũm intelligitur.

Resp. *Fit mentio regis cum quæritur An vnus vir optimus imperaret: nam proculdubio per vnum optimum regem intelligit Philosophus; quippe in omni magistratu virtutem, in summo autem magistratu (qualis rex est) insignem virtutem postulat.*

Opp. *Nihil certi (vt affirmant interpretes) in hac quæstione Aristot. definit: ergo minùs accuratè de hoc multiplici imperio disputauit. Antecedens probatur, quia vltrò citroquè in textu iactantur argumenta, quæ quæstionem in ancipiti quasi vacillantem relinquũt.*

Resp. *Quidam certè hoc affirmant sed non probant, nos ergo dicimus certissimè de hac vt de cæteris disputasse. Nam quid certius est in comparatione rerũ quàm quæ sit res optima demonstrare? At hoc agit Arist. nam postquàm neq; populum neq; tyrannum, neq; cætera quæ deinceps recensentur debere aut posse vendicare imperium disputandi causâ ostendit, ad illud tandem accedit, vt potiùs politam multitudinem quàm paucos studiosos administrationem vendicare posse existimet; sed ita vendicare, vt penes vnum aut paucos optimos viros sit summũ imperium, populo autem consilia, iudicia & electiones committantur.*

Status quæstionis.

## Distinctio secundæ quæstionis.

*An expediat magis populum quàm paucos studiosos rempub. administrare?*

Multitudo est duplex.

- Agrestis, rudis, & inexperta rerum, quæ sensum & appetitum magis quàm nutum rationis sequitur, bestiarum, similior quàm hominum, & hæc ad imperiũ non est nata.
- Ciuilis & propensa ad virtutem, & hæc in administratione est præferenda paucis studiosis, quia
  - In hac vis multorum est vnita, vnde ciuitas fortior.
  - In hac rara est corruptio, vnde ciuitas sanctior.
  - In hac contemplatio boni communis est perpetua, vnde ciuitas beatior redditur, vt anteà sex argumentis demonstratur.

Opp.



Opp. *Quòd quid proximè accedit ad id quod est optimum est melius eo quod magis recedit: sed administratio paucorum studiosorum hominum proximè accedit ad optimum: ergo melior est dominatu populi qui recedit magis. Assumptio probatur, quia bonorum imperium proximè accedit ad monarchiam, qui status ab Arist. vt optimus laudatur.* Pol. 3. cap. 11.

Resp. *Duplex est administratio, summa & media: summa quæ gerit personam totius ciuitatis, media quæ partem reipublicæ tractat. Monarchia optimus status dicitur respectu summæ authoritatis ad quam proximè accedit paucorum studiosorum imperium. At respectu mediæ administrationis (ad quam populus admittitur) expedit magis multitudinem quàm paucos studiosos regere.* Administratio Summa, Media.

Opp. *In recta republica populus aliquandò summum imperium tenet: ergo à summa administratione hoc loco non benè excluditur. Antecedens patet in democratia, in qua penès populum summum imperium manet.*

Resp. *Multi respondent non esse simplicem democratiam in qua populus absolutè imperium tenet; existimamus tamen nos imperium aliquod esse populare, non tamen hinc sequitur quòd comparatione factâ populus magis quàm vnus aut pauci studiosi viri summum imperium obtineret: non ergo absolutè sed comparatè hoc loco populus à participatione summi honoris excluditur.* Vt olim Athenis, hodie in liberis Alemaniæ ciuitatibus.

Opp. *Si non sit simplex democratia inaniter rectam rempublicã in tres species diuisit Philosophus: ergo est simplex democratia. Quo concesso sequitur summi imperij multitudinem participem esse. Est enim in democratia primarius magistratus ipsa multitudo.* Cap. 5.

Resp. *Consecutio maioris non est firma, sæpè enim ea quæ actu non sunt à philosophis definiuntur; vt principia prima rerum naturalium simplicissima esse dicuntur, quæ tamen citra mixtionem vsquam non apparent: ita hæ formæ rerumpublicarum simplices esse demonstrantur, quæ tamen simpliciter & absolutè tales non existunt, sicut vbique gentium in omni statu videre licet; simplices tamen eo nomine appellantur, quo propius ad hanc vel ad illam simplicem formam administrationis veniunt. Exempli causâ, in Gallia simplex monarchia dicitur. Ratio est, quia rex maximam in res & ciues dominationem habet, at in ea monarchia consularis* Simplices quomodo formæ reipub. dicantur. Sesell. lib. 1.

*authoritas aristocratiæ, popularis consensus democratiæ vim quandam speciemq; admixtam habet.*

Opp. *Imperium illis debetur magis in quibus vis maior virtutis minorq; metus dissentionis inest: sed in paucis studiosis viris vis maior virtutis minorq; metus dissentionis inest quàm in tota multitudine: ergo imperium paucis studiosis viris magis quàm toti multitudini debetur. Minor patet, nam inter paucos studiosos vera nutriri potest amicitia, at in multitudine plerumq; exardet odiosa discordia.*

Resp. *Distinctio multitudinis priùs allata hunc nodum dissoluit: nam etsi in agresti multitudine vis minor virtutis maiorq; metus dissentionis insit: in polita tamen ac ciuili multitudine (quæ hîc intelligitur) ex opposito vis maior virtutis minorq; metus seditionis viget. Nam quamuis singuli à paucis superantur, vniuersi tamen in vnam quasi sphæram rationis coacti studiosos longè superant & antecellunt.*

## Distinctio tertiæ quæstionis.

*An summum imperium sit concedendum populo?*

Populus considera-tur vel { Per se & seorsim ab alijs in repub. magistratibus, & sic ei non est committendum summum imperium. / Comparatè & coniunctim cum alijs, & sic est committendum; non tamen vt res magnas proponat & concludat, sed vt vel consensu suo approbet vel authoritate neget.

Opp. *Aristoteles in textu adtum ad summum imperium populo intercludit: ergo in distinctione ista hac malè conceditur.*

Resp. *Adtum ad summum imperium populo intercludit non autem simpliciter sed comparatè. Hoc est ergo quod velit Arist. vt in omni bene instituta ciuitate res magnas proponant sapientes, easdem verò propositas aut suis calculis approbet, aut suis suffragijs perneget prudens & experta multitudo; prudens & experta multitudo dico, quia quid furijs populus agitatus dixerit, ciuitatis non est plurimùm æstimare; hinc in omni synodo & graui consultatione reipub. ex turba populi viri prudentes & populares eliguntur, sine quorum præsentia nulla iustè celebrantur cõcilia, consilia nulla approbantur.*

Non simpliciter reijcitur populus sed comparatè.

Opp. *Expedit ciuitatem regi ab illis quorum operâ ciuitatis finis facilius acquiratur: sed paucorum studiosorum imperio finis ciuitatis*



*ciuitatis facilius acquiritur: ergo expedit ciuitatẽ potiùs à viris studiosis quàm à multitudine gubernari. Minor patet, quia facilius à simpliciter bonis quàm malis ciuitatis finis acquiritur.*

Resp. *Negamus multitudinem esse malam, imò honestam insigniterq; sapientem esse affirmamus, non tamen in ea seorsim singuli sed collectim vniuersi, vt superiùs diximus.* Multitudo non est mala.

Opp. *Nemo de rebus quas ignorat rectè & sapienter iudicat: sed populus consultationem, electionem, & iudicium reipublicæ ignorat: ergo populus rectè & sapienter de istis non iudicat.* Eth. lib. 1. cap. 3.

Resp. *Hoc argumentum soluitur in textu, vbi docet Philosophus populum hæc ipsa non penitùs ignorare. Verùm concesso quòd ignoret propter periculum tamen non excludetur. Præterea vt incola de domo melius quàm architectus: ita populus sæpè de his rebus melius quàm optimates iudicat. Postremò consentaneum non est rationi vt publica negotia reipublicæ tractentur sine consensu populi, in quo maxima lux ciuitatis cernitur. Sed de hac lite satis accurate & subtiliter Arist. in textu dixit, ad dubium igitur huius capitis iam accedo.*

## Dubium capitis.

*An monarchia sit optimus status reipublica?*

Communicatio cum Arist.

CVR hæsitas Arist. cur non apertè loqueris? Dic quæso verbo, estné monarchia optimus status ciuitatis? Quid? Obmutescis? Pertimescis populũ? Philosophus es, & tibi amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas esse debet. velum depinxi, sed tu non vides opus. Age, quoniam sub velo & nõ apertè loqueris, dic mihi in aurem quid de hoc statu senseris. Hunc optimum esse dico. Dicis quidem sed non doces. In prima philosophia iterum affirmo turbam multorum magistratuum perdere ciuitatem. Affirmas certè, sed non confirmas benè. Apes & grues ad vnum regem, principia rerum ad vnam causam, omnia in mundo ad vnum deum tendunt, nonné hæc probatio? Est sanè quod dicis aliquid, te ergo monitore quæ sparsim de hac re scripseris in vna tabula depicta legam. Hoc age & videris me monarchiam omnibus

Eth. lib. 1. cap. 6.

Apostrophe.

reipub.formis longissimè prætulisse. Attende igitur studiose lector dum breuiter & succinctè argumenta collecta in hac causa repetam;multa sunt, quare pūctis agam. Quantò magis principatus ciuilis assimulatur imperio vniuersi,tantò excellētior est & habetur:sed monarchia(hoc est, vnius principatus) simillima est imperio vniuersi:ergo vnius principatus est longè optimus.Nemo vt opinor est tam impius qui maiorem neget,cum deus vniuersum regat, nemo est tam impudens qui minorem neget, cum regem deū ciuitatis nominatum audiat.Quid quęso aliud est terrarum orbis quàm magna ciuitas quam vnus deus regit? Quid aliud est ciuitas quā orbis ciuiū quem vnus princeps aut imperator administrat? Si ergo liceat magna cum paruis comparare, sic concludo. Vnus Deus totum vniuersum regit: ergo rex vnus ciuitatem gubernaret,is quia sapiens est & infinitè bonus,hic quia prudens & studiosus boni.Est enim in Deo ipsa substantia boni, est autem in rege vera imago dei:illum colere oportet propter seipsum,hunc verò honorare propter Deum,cuius personam in ciuitate gerit.Sed excedo modum. Alia ratio ab antiquitate sequitur,quæ est quòd ille status sit optimus qui est antiquissimus, quiq; ijsdem modis defenditur quibus comparatur: sed Monarchia est huiusmodi: ergo monarchia est status optimus. Assumptio negata aut impietatem aut magnam stultitiā arguit: impietatem, quia Deus in prima creatione rerum vnum patrem regemque omnium fecit; stultitiam, quia nemo est qui hoc probabile esse non videt populum in terris numerosè auctum vnum elegisse Apollinem aut sapientem virum, qui causas discuteret, iniurias illatas propulsaret.Sic Saturnus in Italia,sic Romulus Romæ, sic Theseus Athenis, sic Amphion & Cadmus oblata imperia Thębis suscepisse dicuntur: nam more belluarum vagantes homines non magis sine rege quàm oues sine pastore viuunt. Tertio in loco ad confirmationem huius causę se offert natura, quæ vnius imperium augustissimum esse veluti digito suo semper demonstrauit. Infinitum hic esset si de republica apium quæ scripta sunt à poeta & probata experientiâ,

Pro monarchia rat. Plato in politico.

In deo Substantia boni, in rege imago dei. Rom.13.

Tertullian. Arist.

Apes. Patri.de rep. lib.1.tit.1.



entiâ dicerem. Admiror profectò in eis naturæ opus. Regem habent, quis negat? Vni obtemperant, quis non fatetur? Fauos & domos habent, quis contrà disputat? Mel & ceram in examen tanquam opes in ciuitatem communemque thesaurum ferunt, quis opus naturæ non admiratur? Hæc addo quæ præcepta doctrinæ habent, nempè regem inter apes carere stimulo, pro suo victu non laborare fucos ignauos à præsepibus arcere, bombitu tanquam tubâ ad martem incitare: quid multis? Euolat, sequuntur omnes;pugnat,digladiantur omnes; moritur, lugubri quasi sono lamentantur omnes; sepulturâ factâ (nam in examine mortuum non retinent) nouum concilium ingrediuntur omnes, conuocantur ciues, consultatur ad tempus, rex nouus creatur, cui creato obediunt & obsequuntur omnes. Vide obsecro quale regnum, quale imperium natura fecerit.Quæ de apibus iam scripsi,de gruibus possum dicere, inter quos vnus veluti consensu reliquorum princeps electus ita regit & moderatur gregem,vt maiorem in auiculis quàm in hominibus prudentiam ac prouidentiam instinctu insitam quàm habitu comparatam videas.Hoc solùm à gruibus perdiscant reges vt vigilantiùs excubias faciant dum subditi securiùs dormiunt & otiantur. Sic olim Epaminondas fecit, sic omnes sacrati reges fecerunt, qui suffulcientes sphæram ciuitatis non sibi sed reipub.studuerunt.Sed quid à belluis rationes quæro, cum vniuersa natura in omnibus & singulis hoc regis imperium probet? quid adamantem inter lapides, oliuam inter plantas,leonem inter quadrupedes,aquilā inter aues,inter elementa ignem,inter planetas solem,inter sphęras supremū & glorioſum cælū tanquam reges fecit? Nonné ipsa natura? Sic igitur arguo. Natura in omnibus monarchiā posuit:ergo monarchia optimus reipub.status rectè concluditur. Præterea non solùm naturæ instinctus sed communis vsus maiorum hoc ipsum confirmat, nam obeamus terras & gentes,circumspiciamus loca & tēpora,consideremus Chaldeorū,Persarum,Assyriorum,Romanorū imperia,ponamus ante oculos singularum nationum iam diù fæliciter regnan-

Virg.Geor. lib.4.

Apes exemplar, rectæ politiæ.

Grues.

Natura monarchiæ magistra.

tium ſceptra, & certè in his omnibus monarchia vt optimus ſtatus nobis commendatur. Quid moror? Sic Tartari, ſic Indi, ſic Moſcouitæ, ſic Perſæ, ſic Gothi, ſic Affricani, & vt verbo concludam omnia, Galli, Hiſpani, Scoti, Angli regunt & reguntur. Vſus ergo communis docuit regnum præ cæteris ſtabiliendum eſſe. Porrò vt mihi videtur proportio naturæ hoc vnum poſtulat, vt ſicuti multitudo ab vno fluat, ita in vnum tandem reducatur: ſed commodiùs hoc fieri non poteſt quàm vt vnus regnet: ergò vnius imperium eſt præferendum. Habent partes hominis cor vnum, orbis lineæ vnum centrum, partes vniuerſi vnum Deum, & certè partes ciuitatis vnum regem: partes hominis in corde vigent, orbis lineæ in centro hærent, partes vniuerſi à Deo pendent, & partes ciuitatis in rege viuunt. Adhuc vnitas pacis in vno magis quàm in multis eminet: ſed in vnitate pacis beatitudo ciuitatis lucet: ergo vnius principatus primum ciuitatis ſolium iure vendicare debet. Non eſt quòd de propoſitione dubites, nam rariùs vnus ſecum quàm multi diſſidet: quippè multi multa capita & varia ingenia habent; Areopagitæ diſtracti iudicio perdidere Athænas, conſules diuerſi Romam euerterunt: ſi non ſit ſummus moderator multitudo nocet, eſt enim in vno multorũ vnio, quę ſæpè in multis facta eſt diſſenſio. Inter has rationes quas adfero leuiſſimi ponderis hęc vna non eſt, nimirum q̃ in omni domo, in omni familiâ, in omni vrbe requiratur vnus qui præſit cæteris: ergò multo magis in repub. Si rationem neges, à minore ad maius, à minùs neceſſario ad magis neceſſarium ducitur. Nam minùs neceſſarium eſt, vt domus, in qua ſunt pauci; quàm ciuitas, in qua ſunt multi, vnius imperio regatur: at neceſſarium eſt in domo vt vnus præſit: ergò magis eſt neceſſarium in ciuitate: hoc autem fit (vt opinor) quia facilius vnius imperio, quàm multorum authoritati paret multitudo. Nam vt facilè adducuntur ſerui vni domino non pluribus inſeruire: ita facilè mouentur ſubditi vnius imperium non plurium ſuſtinere. Inſuper ſi vel durationem regni, vel electionem magiſtratus ſpectes, primas

A diſpoſitione naturæ probatur Monarchia.

Pol.3.cap.11.

monarchiæ



monarchiæ facilè concedas. Nam vt omittam antiqua imperia quæ diutiſſimè floruerunt, nonnè Hiſpani 860. nonnè Galli 1200. continuos annos vnius ſceptrum coluerunt? Quid? addam Anglos & Scotos, qui ab initio vnius imperium fortiter defenderunt. Si electionem conſideres (in qua fomes ſeditionis latet) nonnè multò rariùs vnus, quàm multi in Soliũ ciuitatis admittitur, idq; tum maximè cum ſucceſſione ſanguinis voceque naturæ princeps deſignetur: ſi igitur duratio longior, electio facilior ſit, quid obſtat quo minùs excellentior cæteris dicatur monarchia? Sed ad finem feſtinat oratio, duo tamen argumenta addam. Primum eſt quòd ariſtocratia & politia ſtare non poſſunt, ſi ſubſidijs regum non muniantur: quod ſi probetur, certum eſt monarchiam multis gradibus eſſe prę ferendam. Cæterùm quòd ita ſit, reſpublicæ antiquiſſimæ manifeſtè declarant, nam Lacedęmonij præter ſuos Ephoros ſuum præfectum, Athenienſes præter ſuos cenſores vnum ſophum; Carthaginenſes præter ſuos Coſmos vnum iudicem; Romani præter ſuos conſules vnum dictatorem habuerunt: ſed in iſtis ciuitatibus tum olim floruerunt magnatum populiq; imperia, id eſt, ariſtocratia & democratia, quæ tamen (vt vides) ad vnum coacta rationis impetu reuocantur. Venetorum ſtatus hodiè ariſtocratia dicitur, at quęro an ſine duce floreat: ſi ergo alij ſtatus ad aſylum monarchiæ vt ad ſacram anchorã ſe vertere cogantur, nonnè meritò hic ſtatus cæteris anteponitur? Poſtremò ſi vel humana vel diuina teſtimonia in hac re vrgeant, collegia Philoſophorum, conciliaq; patrum, omnium ætatum ac temporum noſtris patribus aſtipulantur; plena ſunt monumenta Platonis, plena aliorum ſapientum ſententijs quę monarchiam longè cæteris meliorem eſſe concludunt. Diuina hîc teſtimonia taceo, hoc vnum tamen tacere non poſſum, quòd deus rex regum & dominus dominantium, vt vnum virum caput domus: ita vnum regem caput ciuitatis fecerit. Saulem dedit populo, Dauidem approbauit, vtrique obtemperare iuſſit non propter metum ſolum vt hodiè multi, ſed propter conſcientiam vt hodiè pauci volunt.

Hiſpani. Galli. Angli. Scoti.

Quot annos regnum continuarint.

Refugia ad monarchiam.

Patri. de reg. lib.1.tit.13.

Venetorum ſtatus.

Vide Plat. in politico. Iſocrat. de pace. Herodot. in Thalia. Dion. Halic. de antiquit. Roman. lib.2. Patriſ. de reg. lib.1.tit.3. & 13. & de rep. lib.1.tit.1. 1.Sam.9.17. 1.Sam.16.1. Rom.13.5.

Distinctio in hac quæstione non adijcitur, quia rationes in expositione satis distinctè adhibentur.

Opp. *In precedenti quæstione probatum est imperium multitudini potiùs quàm paucis aut vni committendum esse: ergo male hoc loco defenditur contrarium.*

Resp. *Illic de medio, hîc de summo magistratu imperioq; agitur. Præferenda quidèm est multitudo & paucis & vni in medijs officijs ciuitatis. Ratio est quia oculatiùs singulas partes reipub. intuetur. Quemadmodum tamen in corpore humano cor vnum est, cuius influentiâ omnes partes & membra viuunt: ita in ciuitate rex vnus, à cuius prudentia non solùm ciues sed omnes reliqui magistratus pendent. Sunt enim medij magistratus nihil aliud quàm oculi & manus regis.*

Medij magistratus oculi & manus regis.

Opp. *Maior prudentia in aristocratia quàm in monarchia cernitur: ergo aristocratia in administratione ciuitatis regno anteponitur. Antecedens patet in textu, quia plus vident oculi quàm oculus, quia in optimatibus magis vnita est vis virtutis.*

Rex vt Homo, Magistrat.

Resp. *Rex non vt vnus homo sed vt summus magistratus intelligi hîc debet, hoc est, rex non solùm duos oculos duasq; manus habet, sed vt Argus videt, & vt Briareus comprehendit omnia. Rex enim viros à consilio sapientes habet, rex inferiores magistratus infinitos habet, rex denique populi manus pedesq; habet; sic quamuis Cæsar in angulo palatij sedet, singulas tamen partes ciuitatis videt. Nam vt lux reliquorũ syderũ vnita est in sole, vnde fluxit: ita prudentia omniũ magistratuũ vnita est in rege, à quo suũ ortũ & splẽdorẽ habuit.*

Patri. de rep. lib. 1. cit. 1.

Opp. *Rex vnus citiùs corrumpitur & deprauatur moribus quã boni & studiosi viri: ergo aristocratia qua est bonorum imperium, monarchia præferri debet. Antecedens probatur, quia vt est in textu vnus citiùs quàm multitudo corrumpitur.*

Resp. *Solsitur hac ratio eodem modo quo altera, nempè quòd citiùs deprauetur vt homo, non autem vt magistratus in quo totius ciuitatis virtutes & partes vniuntur, quæ regnum & regem labentem subleuant, cadentem consilio & prudentiâ erigunt.*

Opp. *Romanum imperium nunquam beatius extitit quàm cùm reges eiecti, nunquam miserius quàm cum Iulius Cæsar perpetuam dictaturam incepit: videtur ergo probabile aristocratiam esse*





*præferendam. Præterea absurdum est eandem in pace & bello reipublicæ administrationẽ constituere: non ergo sequitur si in bello dictatura requiratur, quòd etiam in pace monarchia (quæ nihil aliud est quàm ad vitam dictatura) viueret. Huc multa adderem si brevitati non studerem, nempè quòd periculosum sit optimè merentes de repub. à solio maiestatis excludere, quòd iniquum sit vnius potestati cardines ciuitatis committere, quòd absurdum sit omnia tribunalia ab vnius nutu dependere; hæc temporum antiquitas, hæc authoritas maiorũ probant: nã exosum nomẽ regis Romanis fuit, regibus expulsis Senatum Athenæ, Carthago, Lacedæmon aliæq; permultæ ciuitates inuexerunt. Postremò regis successio sortem, electio verò magnatum suam legem habet, incertum enim est in sanguine an succedat melior, at in electione deliberatio meliores probat.*

Resp. *Multa hîc conglobantur argumenta quibus antea satisfactum esse putamus. Nam regem non vt vnum homuncionem, sed vt totius ciuitatis personam consideramus. Maior lux est in vno sole quàm in sexcẽtis stellis, maior vis est in vno rege quàm in sexcentis bonis; ratio est quia vt stellarum vires uniuntur in sole; ita bonorum virtutes ponũtur in rege. Si hoc non audiat non rex sed tyrannus dicitur. At dices, quid hoc est aliud quàm statum popularem aut optimatum præferre? Non est, nam quamuis princeps consilia bonorum audire & sequi debeat, in eo tamen maior ordinis maiestas quàm in alijs lucet: vno enim capite constituto omnis contentionis tollitur occasio. Ad hæc omnia igitur respondeo monarchiam hic acceptã non esse perpetuã dictaturã, non esse periculosum vnius potestati omnia committere, Romã, Carthaginẽ, Athenas, Lacedamonẽ, Tarquinios, Pisistratidas, hoc est tyrannos nõ reges expulisse, non esse in sanguine aleam fortunæ: sed ciuitatis anchorã & tutelã.*

Rex, Sol.

Monarchia non est perpetua dictatura.

Opp. *Administratio ciuitatis ex lege vnius imperio præfertur, in fine huius capitis: ergo monarchia non est optimus status reipub. Ratio est quia lex sine affectu regit.*

Resp. *Opportunè de imperio legis mentio iam facta est, nam pollicitus sum de eo dicere. Affirmo igitur legis imperiũ hoc loco vnius dominatui nõ re ipsa præferri: nã et si dicat Philosophus nihil ita ratũ & firmũ esse oportere vt leges rectas & salutares, verba tamen quæ sequũtur hæc sunt. Pene eũ autẽ q̃ præest siue sit vnus, siue plures,*

Legis regimen Regis imperio non præfertur.

Pol. 2. cap. 6.

*ijs de rebus statuendi arbitrium volo, de quibus leges cumulatè & accuratè loqui non possunt. Quasi diceret lex deficit in multis: rex ergo gubernare debet, vt quæ non sint decisa lege regis iudicio relinquantur.*

## CAP. VIII.

*An cuiuslibet boni excellentia sit honore aliquo ciuili remuneranda?*

QVIS qualisque magistratus esse debeat in repub. nos modò certiores fecit Philosophus, sequitur nunc proximè vt de præmijs ciuitatis distribuendis disputet: nam frustra ab illo officium describitur, si beneficium non adiungatur; est enim in officio onus & labor hominis, est verò in præmio honos & splendor magistratus. Quærit ergo, An cuiuslibet boni excellentia sit dignitate aliqua ciuili remuneranda. Sed antequam de hac thesi definitè agam, quæ sunt confusiùs in textu ab Arist. discussa breuiter aperiam. Primum igitur instituto suo explicato finem cuiuslibet artis considerandum, maximè verò ciuilis esse ostendit: hoc autem vt opinor ideo facit, quoniam præmia ciuitatis finem vt mensuram habent. Hic finis (inquit) est commune bonum, quo tanquam normâ iustitia distribuens in dandis honoribus ciuitatis vtitur: id enim æquale est si legem iustitiæ spectes, vt quisque pro merito virtutis mercedem habeat. Sed quæritur an hæc distributio honoris ob excellentiam cuiusq; boni fieret. Disputandi causâ primùm hoc negat Arist. aitq; fieri non debere. Argumenta tria sunt. Primum, si ob excellentiam cuiusque boni distributio honoris fieret, sequeretur colorem aut magnitudinem corporis quæ sunt bona naturę aliquando remuneranda esse: sed hoc perabsurdum est vt aliquis honorificentior euadat, quia aut pulchtiore formâ aut vastiore corpore existat: non est ergo excellentia cuiusque boni, ciuili aliquo honore decoranda.

In præmio splendor magistratus.

Arist. eth. 1. cap. 1.

Contra honores bonis tribuendos. rat 3. Vid. Cic. Tusc. quæst. lib. 5.

Prętc-



Præterea sic est in ciuili scientia ac in alijs artibus: sed in alijs artibus actus & vsus solùm remunerantur: ergo etiam in ciuili scientia. Minor probatur exemplo tibicinis, in quo non contemplatio artis, sed fistulatio quæ est opus artis mercedem capit. Rectè Palęmon iudex inter Menalcam & Dametam factus.

Actus & vsus remunerantur.

*Non nostrum inter vos tantas componere lites:*
*Et vitulo tu dignus & hic, & quisquis amores*
*Aut metuet dulces, aut experietur amaros.*

Virg. Eclog. 3.

Tertium argumentum ab absurdo petitur hoc modo. Si distributio honoris secundùm excellentiam cuiuslibet boni fieret, tum omne bonum cum omni bono comparari possit: sed quàm ridiculum est, vt Milo propter vastitatem corporis cum Socrate propter excellentiam mentis concertaret? His positis quatuor bona enumerat quæ tum necessaria sunt in ciuitate, tùm digna honoribus ciuitatis: recensentur in textu, diuitię, nobilitas, libertas, & virtus: diuitię quia ex pauperibus solùm non constat ciuitas; nobilitas quia in ea lux quædam ciuitatis splendet; libertas quia ciues filij non serui fierent; virtus quoniam ciues boni non mali essent. His quatuor, reipublicæ homines prodesse solent: propter hæc ergo præcipuè remunerantur ciues. Sed id bonum tandem quod suo iure poterint vendicare homines, vt ostendat Philosophus, hîc introducit singulos veluti ambitiosè certantes pro honore: diuites sic loquũtur. Nos terras & maria possidemus: nobis ergo summi debentur honores. Nobiles sic, Nos auos & proauos Cæsares habemus: dignitates ergo maximas iure vendicamus. Liberi inuidentes istis, sic suas partes agunt. Nos maxima pars ciuitatis sumus: præmia igitur maxima habere debemus. Boni denique rectiùs pro se concludunt, nempe honorem esse propriũ virtutis. Nos ergo (inquiunt) honorem vt ius nostrum postulamus, & sanè (vt ait Aristoteles) iustè concludunt, quia boni & iusti viri lumina & columina sunt ciuitatis: iustitia enim in illis est virtus ad aliud, hoc est non sibi sed ciuitati studet. At dices multitudo hæc quatuor in se accumulatè habet; ergo maximis honoribus

Bona ciuitatis sunt, Diuitię. Nobilitas. Libertas. Virtus.

Prosopopœia Diuitum, Nobilium, Studiosorum, Multorum.

Eth. lib. 1 cap. 12.

Iusti viri sunt lumina & columina ciuitatis.

Eth. lib. 5. ca. 1.

colenda.

colenda. Respondeo in quouis statu reipub. satis definiri quis regeret, vnus, pauci, an multitudo: at si concurrant hæc omnia in vna ciuitate, (cui tum daretur imperium) nonnè est difficilis quæstio? Non certè: nam modò demonstratum est virtuti idipsum deberi. Sed procedit Philosophus disputando contra hæc omnia, docetque diuitias, genus, libertatem, non esse bona honorabilia per se nisi ad finem ciuitatis hoc est ad summum bonum referantur: huc ergò redeunt omnia quæ hîc à Philosopho discussa ac disputata sunt, nempè cuiuslibet boni excellentiam eatenus ciuili honore esse decorandam, quatenus ad commune bonum ciuitatis aliquid pensi ac momenti adferat; at verò si ab hoc bono declinent, si aditum ad virtutem obserent & occludant, tum quidem diutiùs nec bona dicuntur, nec præmia ciuitatis (id est honores) promerentur. Sed hactenùs ex textu Aristotelis, nunc verò pauca pro arbitrio de hac re dicemus. Quid quæris? An excellentia cuiusq; boni honore aliquo ciuili sit decoranda? Dic mihi, an de hac re dubitas? Quid ni tuâ pace dubitem? Ostende causam. Dicam, quia bona ferè omnia tolli, mala verò extolli in mundo video. Sed audi: non de facto sed de iure hoc loco quæritur. Argumentis ergò hanc causam doce. Adesdum paucis, & docebo. Notum id est omne bonum sub triplici bonorum genere comprehendi, nam aut fortunam, aut ipsam naturam, aut animi virtutem sapit; fortunæ bonum est, vt rerum copia; naturę, vt forma & pulchritudo; animi, vt iustitia & fortitudo: hoc loco omne bonum intelligo, sed ita vt ad commune bonum ciuitatis tendat, sic omni bono dignitas secundum magis & minus (vt aiunt) debetur. Nam diuites suam laudem, nobiles suam stirpem, vtriq; suum pręmium honoris habent. Imò hoc addo, bonum cuiusq; artis, sit & illa quidē leuis, habere suam gloriam. Hinc Apelles statuam insignis pictoris, hinc Polycletus sculptoris simulachrū meruit: hoc quidem politicū est in ciuitate, vt ne sutor excellens mercede careat, nā honos alit artes, & præmijs tanquam stimulis ad virtutis studiū incitamur. Probatur hoc ipsum quinq; argumentis. Primum

Bona Fortunæ, Naturæ, Animi. Eth. 1. cap. 8.

Cic. Tusc. quæst. lib. 1. Honos alit artes.



mum est à definitione iustitiæ, Secundum ab expositione cōtrarij, Tertiū ab inductione exempli, Quartum à fine & bono ciuitatis, Quintum à comparatione naturæ ducitur. A definitione iustitiæ, quia iustitia est habitus cuiq; tribuendi suū: at vis & splendor huius virtutis tollitur si in re quauis excellenti ciuitatis præmia denegentur. Ab expositione contrarij: nam quæ ratio est, vt insigniter malis infligatur pæna, & excellenter bonis nulla detur palma? Ab inductione exempli, quia Homeri suam laurum, Scipiones suam coronam, Cæsares suum triumphum, omnes ferè & singuli olim excellentes viri suum debitum honorem habuerunt. A fine & bono ciuitatis, quia hoc modo ciuitas beata & fortunata redditur. Nā Deus bone, quanta contentio inter ciues erit? Quanta emulatio? Quantum & quàm ardens studium virtutis, si omne opus bonum & excellens magistratus voce, manuq; ciuitatis honoretur? Et ex aduerso quàm languidę fient musæ? Quàm frigida virtutis studia? Quàm rara hominum excellentiū exempla, cum desit honor cuius vmbrā tàm auidè à naturâ sequimur? A comparatione naturę, quę rebus diuinis loca meliora dedit, vt cœlum angelis, capita humana animis: quòd si hæc fiant à natura, cur ciuitas hæc ipsa non faceret imitata naturam? Sed hîc duæ cautiones adhibendæ sunt, altera respectu magistratus qui tribuit, altera respectu eius qui honorem petit; illa est vt solùm bonum excellens idemq; tendens ad bonum commune honore alat, hæc vt nemo sui iudex se in arcem honoris temerè intrudat. Nam vt quo altiùs ascendit simia eò magis apparet turpitudo partium: ita quo sublimiùs assurgunt stulti, eò magis conspicitur cōtaminatio morū. Dignitas enim ostendit virum, & honorem qui vi aut fraude acquiritur timor & ignominia concomitantur.

Præmia cuiq; bono tribuenda. rat. 5.

Cautiones duæ.

Simia & stultus magistratus comparantur.

Bias.

Magistratus Virum indicat. Eth. lib. 5. cap. 1.

Excellentia cuiuslibet boni ad commune bonum tendētis est remuneranda propter

- Præscriptum iustitiæ, quo hoc mandatur.
- Studium virtutis, quod sic augetur.
- Honorem ciuitatis, quæ sic beatior redditur.
- Amorem ciuium, qui sic fideles & excellentes efficiuntur.
- Exemplum naturę, cuius veluti dextrâ res excellentes remunerantur.

Distinctio.

Opp.

Eth.1.cap.12. Opp. *Laus & honor soli debentur virtuti, vt in primo Ethicorum: ergo excellentes in alijs generibus bonorum hac iustè vendicare non possunt.*

Resp. *Laus & honor soli debentur virtuti per se, & alijs etiam propter virtutem: hinc est quòd docuerit Philosophus diuitias, libertatem, solertiam ingenij, nobilitatem non vi sua demereri honorem, merentur tamen vt ad bonum commune ciuitatis tendunt.*

Opp. *Ridiculum est vt Pan fistulator, vt Gordius bubulcus gregis, aliyq; sordidissimæ artis homunciones appetant honorem: ergo indignares est vt excellentia cuiusq; artis boniq; remuneretur.*

Resp. *Pan fistulator inter deos, & Gordius bubulcus inter reges fuit, & certè non est ridiculum vt Fabius à fabis in senatum veniat. Ars nulla sordida est quæ in bonum tendit, & sanè in omni arte bonum remunerari debet: sunt tamen multi honoris gradus, & sortem in suo genere bubulcus habet.*

Gradus honorum in repub.

Opp. *Liberalis forma in Helena bonum excellens fuit, nemo tamen præterquam Paris Helenam honore est dignatus.*

Resp. *Forma in Helena bonum excellens fuit, sed ad bonum cõmune non tendens honorem non meruit.*

Opp *Solùm diuites, nobiles, liberi & studiosi in textu honoribus digni ab Aristotele habentur: sed Sanniones, cauponarij, sutores & bubulci inter illos annumerandi non sunt: ergo honorbus digni non habentur. Præterea propter res abiectas arteſq; viles quas tractant,* Pol.3.cap.3. *Arist. anteà ciues esse negauit: sequitur ergo quòd non sint participes honoris, qui solùm ciuibus concedi debet.*

Resp. *Primùm respondeo hos sub illis vt minùs dignos sub dignioribus comprehendi: Tum dico non hominem sed actionem hominis, non materiam artis sed excellens opus artificis à ciuitate spectari, nec non in suo genere & gradu remunerari. Postremò affirmo quòd quamuis non sint actu ciues, participes tamen fieri posse dignitatis, si prudenti ac iusto magistratui sic visum fuerit: si enim excellant in sua arte, si tendant ad bonum vtile aut honestum ciuitatis, in arbitrio est magistratus vt fiant ciues, adeoq; iustis honoribus perornentur.*

Non homo sed actio hominis in ciuitate spectatur.

## Dubium.

*Vtrum in ferendis legibus vtilitas potius bonorum quàm totius multitudinis spectari debeat?*



TANTONE amore legum tuarum ardebas (Lycurge) vt potiùs in perpetuo exilio viueres quàm eas in patria tua violatas cerneres? Factum hoc tuum profectò laudo, nam corruptio legis est confusio ciuitatis. Est enim lex norma & anima reipub. quâ regit benè & viuit beatè. In ferendis ergo legibus quis potest dicere quàm cauti, quàm iusti, quàm sapientes esse debeamus? Sed quid ago? Solùm hoc loco quæritur, an in ferendis legibus vtilitas bonorum potiùs quàm totius multitudinis spectari debeat. De hac re audiamus Aristotelem. Id rectum est inquit in legibus scribendis quod ad totius ciuitatis vtilitatem, & ad rem omnium ciuium communem pertinet. Id rectum est quidem, nam legumlatores non vni, non paucis, sed toti ciuitati consulere ac prouidere debent. Hoc probo à natura legis, ab vsu ciuitatis. A natura legis, quia quid aliud lex est quàm lingua totius ciuitatis, quę eâdem voce omnibus non paucis loquitur? Ab vsu ciuitatis, quæ tyrannos appellat eos qui in suis decretis aut sibi aut paucis consulunt. Quid enim hoc aliud est quàm aliena inuadere, bonaq; publica ad priuatorum vsum turpissimè auertere? At dices, legumlatores maximè contendere vt ciues bonos & honestos efficiant, sequi ergo videtur quòd in ferendis legibus potiùs bonorum vtilitas quàm multitudinis spectari debeat. Agnoscimus quidem hunc conatum, hoc studium in legumlatoribus requiri, vt contendant bonos omnes & singulos efficere; at prudentiæ hoc est cum videant bonos homines esse leges sibi, in sanciendis legibus magis multitudini quàm paucis studiosis prouidere. Sunt enim boni pars minima ciuitatis; at multitudo imaginem & formam totius habet.

Plut.in Lycurg.

Lex lingua ciuitatis.

Cic.2.de legi. Plut.de doct. principi requisita.to.2.

## Distinctio.

In legibus ferendis potiùs vtilitas populi quàm paucorũ bonorũ cõmodum spectari debet, quia

- Lex est regula vniuersalis non singularis.
- Populus est maxima pars cuitatis.
- Legumlator ad finem ciuitatis, qui est bonum commune, leges dirigeret.
- Si hoc non fieret, inuidiâ populus exardesceret.

Opp. *Docet in textu Philosophus leges esse optimas quæ ad statum ciuitatis coaptantur: sed est status ciuitatis in quo nec vtilitati bonorum, nec vtilitati multitudinis studetur: ergo frustra hanc controuersiam intulit. Minor probatur, nam tyrannis est status ciuitatis, qui nec bonis nec multitudini consulit.*

Resp. *Respondeo de rectis non de obliquis reipub. formis hîc disputari. Præterea dubitant nõnulli an in ipsa tyrannide vtilitas multitudinis penitus negligatur: hoc Politicum non est, vt aiunt quidam, nam sub specie pulcherrimarum legum in vsum populi, ciuitatis bona latrocinantur tyranni.*

Opp. *In aristocratia quæ est bonorum imperium, leges potiùs in bonorum quàm in populi vsum sunt condendæ: ergo in aliquo statu potiùs bonorum vtilitati quàm multitudinis consulendum erit.*

Vtile Publicum, Priuatum.

Resp. *Optimates in democratia tyrãni essent, si sibi magis quàm populo consulerent: fateor tamen leges in eo statu ad bonorum vsum aliquando fieri, sed ita tamen factæ, vt magis ad publicum quàm priuatum vtile referantur.*

Opp. *Bonum ciuitatis est verè bonum honestum: ergo in ferendis legibus potiùs bonis viris quàm multitudini est consulendum.*

*Ratio tenet, quia bona fortunæ studiosis maximè debentur, vt in Ethicis docuit Philosophus, nam bona fortunæ sunt solùm bona respectu virtutis.*

Resp. *In cõsulendo multitudini magis quàm bonis bonum honestum non contemnimus, imò id maximi facimus & æstimamus. Nã vt ægris non sanis parantur medicinæ: ita infirma multitudini non bonis legum sanctarum destinantur tabulæ. Quippè boni (vt suprà diximus) sunt leges sibi, at populus legis voce magis opus habet, vt aut ignorans melius instruatur, aut errans tutius in viam reuocetur.*

Boni sunt leges sibi. Pol. 3. c. 9. Plat. 4. de legib.

CAP.



## CAP. IX.

*Vtrum ostracismus in benè instituta ciuitate sit approbandus? hoc est, an liceat insigniter excellentes viros ad tempus in exilium mittere & relegare?*

VAM absurdè, quàm inconsideratè nunc agis Aristi? Modoné excellentiam cuiusq; boni dignam imperio? Nunc dignam exilio putas? An iustè Hannibal est relegatus, qui animi fortitudine omnes Carthaginẽses? An iustè Aristides est pulsus patriâ, qui animi æquitate omnes Athenienses vicit? Quid? An ideo heroici & excellentes viri patriâ carerent, quia alios virtutibus antecellunt? absurdum est non audio, impium est non fero. Credo equidẽ Arist. te hoc non dicere, existimo enim potiùs quosdam interpretes in sententia tua exponenda turpiter errare; nam si tu hoc diceres nunquam profectò beatum virũ dignũ imperio, vt suprà, nunquam regẽ inter ciues deum inter homines iudicasses, vt hîc apertè loqueris. Quare ne contagiosum virus in tabẽ ac pernicie rerũpub. Machiauellitæ ex hoc loco suxisse videantur, audiamus primum syllogismũ, quem in fronte huius cap. ipse de hac re contexueris. Quicunq; aut vt rex inter ciues, aut vt Deus inter homines viuit, is in exiliũ nõ est relegãdus: sed vir heroicè excellens alios aut vt rex inter ciues, aut vt deus inter homines viuit: ergo vir heroicè excellens alios in exiliũ non est relegandus. Maior aperta est, nã exulare & simul viuere cum ciuibus non cohærent. Minor in textu constat, quia (vt inquit Philosophus) vir excellenter bonus non est pars ciuitatis, neq; vt ciuis legibus subijcitur. Non est pars, quia omnes partes bonitate vincit; legibus nõ subijcitur, quia insigniter bonis (vt ait Plato) lex nõ est imposita, quippè illi sunt leges sibi: si ergo non sit pars sed maior parte, vt rex inter ciues, si legi non subijciatur sed ipse lux legis vt Deus inter homines haberi debeat; concludo non esse pellendum à ciuitate quam regeret, non esse relegandum

Plut. in Annib. Aristi.

Cap. 6. & 8. Omnia firmamenta Machiauellitis præripiuntur.

Plut. in Lycur. & Aristide.

Plato. 4. de legib.

dum à patria in qua luceret; hinc consentaneum putauit Arist. vt legumlatores egregiè excellentes viros ab omni seruitute legis exciperent, nam aliter legumlatoribus vt olim Leo alijs animantibus respõdere possunt. Leo (vt allegoricè narrat Antisthenes) leporibus in concione postulantibus æqualitatem omnium, Ego (inquit) vestris legibus obediam si mihi demantur vngues. Optimi viri sunt tanquam leones (id est) reges inter ciues, illorum virtutes sunt tanquam vngues, quarum excellentia hoc postulat vt legum seruitute liberentur. Sed animus Arist. in altera parte huius cap. totus est in ostracismo exilioq; bonorum approbando. Audi vnam distinctionẽ & accuratè quid sibi velit tandẽ intelliges. Duplex est vt suprà diximus reipub. administratio, recta, & non recta; in recta ostracismus non permittitur; in non recta approbatur. Quòd in recta non permitteretur, sic syllogismis probo. Quicunq; ad conseruandum bonum & finem ciuitatis tendit nõ est à ciuitate relegandus: sed heroicè & insigniter bonus ad cõseruandum bonum finemq; ciuitatis tendit: ergo heroicè & insigniter bonus à ciuitate non est relegandus. Similiter quicunq; est lux, lex & norma virtutis à ciuitate non est arcendus: sed vir egregiè bonus est lux, lex & norma virtutis: ergo vir egregiè bonus à ciuitate non est arcendus. Est lux; quia vitæ exemplo splendet; est lex, quia alios dirigit; norma, quia actiones aliorum moderatur. Porrò, quicunq; dignus est imperio exilio vulnerari non debet: sed vir excellens virtute dignus est imperio: ergo vir excellens virtute exilio plecti nõ debet. Postremò, quicunq; proximè accedit ad Deũ is non est à ciuitate exterminandus: sed vir excellenter bonus proximè accedit ad Deum: ergo vir excellenter bonus à ciuitate nõ est exterminandus. Huc addi potest, quòd quicunque existit impensè malus sit nece dignus: ergo quicunq; existit insigniter bonus luce ciuitatis illustrãdus. Aduersas nunc partes agam, & quæ sunt apud Philosophũ pro ostracismo dicta, paucis ostendam. Argumẽta quatuor sunt, primum sic se habet. Quicunq; fini ac bono ciuitatis infesti sunt ostracismum iure patiuntur: sed qui opibus, gra-

Allegorica Leonis respõsio.

Contra ostracismum rat. 4.

Vir egregiè bonus dux, lex, norma virtutis.

Argumenta quatuor pro ostracismo.



gratiâ, potentiâ maximè excellũt alios, bono ac fini ciuitatis infesti sunt: ergo qui opibus, gratiâ aut potentiâ maximè excellunt alios, ostracismum iure patiuntur. Assumptio probatur, quia his bonis superfluentes æqualitatem ac proportionem (quæ inter ciues est alenda) violant & corrumpunt, vndè maxima contentio inuidiaque populi nascitur. Si hîc tyrannidem, oligarchiam, aut popularem furorem intelligas, politicum & quodammodò iustum in illis esse existimes, si ob hanc causam virtute prælucentes relegentur; nam quid magis tyrannidem in istis impedit quàm vis & splendor heroicę virtutis? Sed Christe bone, quàm latè hoc malũ serpit? Discede Athenis iuste Aristides, si Timon crudelis in ciuitate regnet. Alterum argumentum in textu sequitur, nempè quòd Argonautæ Herculem suum ducem olim reliquerint, propterea quòd excellentiorem seipsis illum esse putarint: excellentia ergò vt æqualitati ciuium maximè infesta bonoque ciuitatis inimica seueris legibus est coercenda. Tertiò arguit Philosophus ab exemplis Periandri, Tharsibuli, & aliorum tyrannorum. Historia sic est. Mittit Thrasibulus tyrãnus legatum ad Periandrum, vt eius cõsilium de administratione reipub. caperet; legato Periander respondet nihil, sed inter ambulandum eminentiores spicas baculo decussit, easdemq; segeti adæquauit. Hoc cum legatus Thrasibulo nunciasset, statim intellexit tyrannus eô consilium Periandri tẽdere, vt excellentiores ciues è medio tolleret. Hoc inquit Philosophus nõ solùm tyrannis expedit, sed in oligarchijs & democratijs suum locum habet. Sic Athenienses Samios, Chios, Lesbios; sic reges Persarum Medos, Babylonios, aliosq; frequenter extenuarunt, quibus veluti pẽnas virtutis & honoris inuiderunt. Quid? An solùm Persę, an solùm Turcę hæc pariunt oua? Non certè: nam iam in christianas respub. hæc fraus irrepsit, scilicet vt qui maiores spiritus virtutis habent, ostracismi testâ notati aut ad exilium aut ad crucẽ continuò designentur. Somniant enim Cęsares se nõ esse saluos si Pompeianos secum Romæ permanere sinant, at in exilio virtutis quæ spes salutis? In effusione sanguinis quæ salus ci-

Vide. Pol. 5. cap. 3. & 8. & 9. & 11.

Apollon. Rhod. 1. Argonautic.

Dion. Halic. lib. 4. Simile de Tarquinijs refert Liu. dec. 1 lib. 1. Ouid. de Fast.

Apostrophe. Ostracismus in christianas Respub. pedetentim irrepsit.

Sueton in Tiber. cap. 55.

uitatis ineſt? Poſtrema ratio à ſimilitudine ducitur. Nam quemadmodum pictor pedem ſuâ tabulâ nõ feret, qui legitimam menſuram & proportionem corporis excedit; & vt nauium opifex partem reliquis iuſto maiorem eſſe non patietur; & deniq; vt magiſter chori illum cantare non ſinit qui omnes reliquos ſonorę vocis magnitudine vincit: ita in repub. non eſt ferendus ille qui reliquos omnes bonorum ſuorum excellentiâ ſuperat & excedit. Oſtraciſmus ergo in ciuitate eſt approbandus, non ſolùm vt radicitùs extirpetur malum, ſed ne in tumorem inuidiamq; populi excellens incidat & incurrat bonum. His demonſtratis tria in calce iſtius capitis conſideranda ſe offerunt; primum, quòd dicat Ariſt. conſultius eſſe ab initio ita rempub. inſtituere, vt tali remedio non omnino egeat; alterum, quòd in optimis formis reipublicæ hoc non ſit abſolutè iuſtum; poſtremum, quòd inſigniter bonus vt rex perpetuus in ciuitate viueret. Primò, arguitur Ariſt. hoc genus exilij nõ approbaſſe. Secũdò, in rectis reipub. formis idipſum non poſuiſſe. Tertiò, monarchiam de qua iam proximè diſputat meliorem eſſe cæteris inſinuaſſe. Nam ſi vnus optimus ſecundùm Ariſt. vt rex perpetuus in ciuitate viueret, ſi quoq; vt Deus ſuæ vitæ exemplo ad virtutis ſtudium ciues alliceret, proculdubio ſecundùm Ariſtotelem monarchia (in qua ſimpliciter optimus magiſtratus requiritur) reliquis omnibus ciuitatis formis præponeretur.

Tres gnomæ Ariſtotelicæ.

Tria ex illis conſequentia.

## Diſtinctio.

Oſtraciſmus cõſideratur, vel reſpectu
- Iuſtę adminiſtrationis, & ſic approbari no debet, vt probatur apertè quinq; ſyllogiſmis in textu.
- Non rectæ adminiſtrationis, & ſic quodammodo approbari poteſt ob rationes quas anteà attuli-mus.

Oſtraciſmus quid. Vide Plut. in Ariſtid. Alcibiad. Themiſt. Alex. Genial. lib. 3. cap. 20. Bud. in Annot. Eraſ. in Chil. Mach. in Liu. l. 1. cap. 28. & 29.

*Oſtraciſmus eſt genus quoddam exilij ab Athenienſibus olim inuentum & inſtitutum, quo per decem integros annos vltra modum potentes viri à patrijs ſedibus pellebantur: facta publica hac pœna fuit, per teſtas quaſdam in quibus exulum nomina inſculpta erant. Cauſæ iſtius pœnæ fuerunt inſignis eminentia alicuius viri, metuſq; ſeditionis futuræ ſi tantus nominis ac dignitatis*



*nitatis ſplendor animos oculoſq; ciuium perſtringeret.*

Opp *In iuſta adminiſtratione reip. oſtraciſmus eſt admittendus: ergo male defenditur contrarium. Antecedens probatur, quia contingit ſæpe in iuſta adminiſtratione ciuitatis aliquos opibus, gratiâ, potentiâ ita prævalere, vt ſi non coerceantur ocyùs, metus ſeditionis ſequatur: at lenius remedium excogitari non poteſt ad hoc malum quàm oſtraciſmus: ergo oſtraciſmus in iuſta adminiſtratione ciuitatis eſt admittendus.*

Reſp. *Si abundantiâ rerũ, ſi fauore populi, ſi potentiâ, altioùe modo ita intumeſcant in ciuitate aliqui, vt metus ſeditionis indè ſequatur, potiùs pecuniæ quàm animæ, dignitatis quàm ciuitatis iacturam ſentiant; & ſanè metus aut ſuſpicio ſatis iuſtæ cauſæ non ſunt vt plectantur ciues: ſed ſi illorum copia, fauor, potentia ad interitum ciuitatis tendant, tum quouis iuſto modo deprimi & coerceri debent. Alij huic argumento reſpondent excellentiam bonorum animi hîc ſolùm intelligi: at illa à ciuitate benè inſtituta nullo modo exulare debet.*

Iactura dignitatis, ciuitatis.

Excellentia bonorum animi non pellenda.

Opp. *Ariſt. in textu apertè defendit hanc quæſtionem non ſolùm ad deprauatas ſed etiam ad rectas reſpub. pertinere: ergo in rectis formis ciuitatis licet oſtraciſmum exercere. Antecedens probatur ex verbis Philoſophi quæ ſunt iſta. Quæſtio (de hac cauſa loquitur) à nobis poſita vniuerſè ad omnes reipub. adminiſtrandæ formas etiam rectas pertinet.* «

Reſp. *Ariſt. eô loci non intelligit heroicè inſigniterq; bonos à rectè inſtitutis ciuitatibus arcendos eſſe, quippè illorum operâ bonum commune & honeſtum conſeruatur; ſed hoc intelligit, quòd vtile ſit etiam rectis adminiſtrandæ formis vt potentes, diuites, gratioſi, ſi ſeditionis flammulas factionibus nutriant, oſtraciſmo notati exterminentur.*

Opp. *Egregiè bonus à bene inſtituta ciuitate exulare debet: ergo oſtraciſmus in rectis reipub. adminiſtrationibus admitteretur. Antecedens probatur, quia in Ariſtocratia ſi vnus aliquis virtute cæteros vincat eſt expellendus: at ariſtocratia eſt recta forma adminiſtrandæ ciuitatis: ergo in recta adminiſtrationis forma oſtraciſmus poneretur. Maior patet, quia ſi vnus aliquis longè excellat cæteros, tum tendit ciuitas ad monarchiam: nam ſi ſit talis*

*requirit Arist. vt tanquam rex inter alios viuat: at tendere ad monarchiam est corrumpere aristocratiam, quod facinus in eo statu est morte nedùm ostracismo dignum. Hæc quoq; dici possunt de democratia, quæ quoq; forma inter rectas respub. annumeratur.*

Resp. *Egregiè bonus non corrumpit sed conseruat bonum & finem aristocratiæ, nam etsi radijs virtutis magis cæteris fortasse splendet, sponte tamen se semper iustè & decorè gerit. Quippe bonus non timore pœnæ sed virtutis amore se legibus submittit. Præterea splendor & eminentia virtutis non est causa cur boni intumescant, sed potiùs vt ipsi imitatione similes & pares fiant: vbi dixit Arist. quod tanquam rex inter alios viueret, intellexit vt quidam exponunt quoad consilium non quoad imperium, quoad candorem vitæ non quoad honorem regni.*

Rex quoad Consilium, Imperium.

Argumenta in alteram partem quęstionis quæ probant in non rectis reipublicæ formis ostracismum iustè exerceri posse.

Opp. *Ostracismum & exilium pati pro excellentia virtutis est malũ pro bono sustinere: sed malũ pro bono sustinere est iniustũ: ergo ostracismum & exilium pati pro excellentia virtutis est iniustum.*

Resp. *Vt clementiam defendere apud Neronem turpis habetur causa: ita virtutem colere in praua ciuitate res digna habetur pœnâ. Sed vt clementiã defendere est turpe non respectu materiæ sed personæ: ita virtutem colere dignum est pœnâ non respectu boni quod fit, sed loci in quo malum non bonum colitur. Cum ergo istiusmodi administrationis salus in hoc maximè consistat, vt abigatur virtus, quodammodo iustum apparet si in tali forma ostracismus toleretur.*

Opp. *Immane est vt virtutis studium perniciem progignat: ergo nec in malis formis reipub. magistratus bonorũ exilium permittet.*

Iactura Virtutis, Fortunæ.

Resp. *Gloria est non ignominia, vita bonorum non pernicies vt à malorum colluuie separentur. Nam etsi fortunæ paruam iacturam ferant, virtutis tamen occasum illorum posteritas non videbit.*

Opp. *Defectio maximi boni nomen ciuis non meretur: ergo excellentia eiusdem pœnam exulis non requirit. Ratio sequitur à loco Topico, nam contrariorum contraria est ratio.*

Resp. *Defectio maximi boni nomen & locũ ciuis in prauis reip. admi-*



*nistrationibus meretur, & excellentia quasi pestis quædam ab illis expellitur; nam quid malo infestius quàm studium virtutis? Adhortatus est Seneca Neronem ad clementiam, sed periit: imò (quod magis est) dulcioribus modis adhortata est mater, sed à tyranno occisa & laniata fuit.* Suet. in Neron.

## Dubium.

*An naturalis sit monarchia præstantis virtute viri?*

VERBA tua Arist. in fine huius capitis me vehementer mouent, namq; sic concludis. Reliquum igitur est (quod « videtur ita comparatum esse à natura) vt omnes huic (id est « excellenti viro) pareant, idque libenter, & quidem ita vt tales « viri (id est virtute præstantes) in ciuitatibus sint perpetui re- « ges. Hæc verba me mouent (vt dixi) quoniam paulò antea multitudinis imperium paucorum studiosorum & vnius potentiæ multùm prætuleras. Sed in hac re diutiùs non ludam, scio equidem te de medijs officijs illîc, hîc de summis dicere: hoc vnum tamen mihi velim expedias, cur dicas ita comparatum esse à natura vt vni excellenti viro libenter à ciuibus & sponte obtemperetur. Hæc parùm cohærent certè, quippè natura necessitatem, voluntas libertatẽ habet. Vis tu hoc esse naturale & tamen concludis esse voluntarium? quæ hæc est contradictio? Nulla; nam imperij naturam, obsequij voluntatem causam effectricem censeo, est enim in imperio quædam necessitas, nam sic conseruatur natura; est in obsequio humana libertas, nam ciuium sic retinetur concordia. Quòd verò sit à natura rationes & argumenta, quæ antea attulimus de monarchia, satis dilucidè comprobarunt. Quare ne sim molestior iam verbis studiosum lectorem ad illam partem expositionis refero, vnam solùm ratiunculam hîc addam, quam tum omisi, nempè quòd sicut inferiores potentiæ vireſque animi naturaliter intellectui propter excellentiam eiusdem subijciuntur: ita à natura comparatum est vt omnes ciues vni, si excellat virtute, subsint & obsequantur. Ex his videat diligens ac studiosus lector & quo animo

Officia Summa, Media.

Vt potentiæ animi intellectui, sic omnes ciues vni subijciuntur. Pol. 1. cap. 3. Eth. 1. cap. 6. Pla. in Timæo. Gal. 13. therapeutic.

Aristoteles de monarchia fuerit, & quam apertam viam de illa disputandi latiùs iam patefecerit.

Distinctio anteà tradita fuit.

Opp. *Nulla virtus est a natura: ergo monarchia vnius propter virtutem non est dicenda naturalis. Antecedens est Philosophi 2. Ethicorum. Argumentum sequitur, quia aliâ ratione hoc loco non dicitur naturalis.*

Eth.2.cap.1.

Resp. *Non propter virtutem quæ est habitus, sed propter sui conseruationem quæ est naturalis actus, vnius monarchia hoc loco à natura dicitur. Quare etsi virtus ipsa non sit naturalis, ciuitatis tamẽ conseruatio secundùm virtutem est naturalis: hoc inde euenit, quia virtus magis conseruat, vitium magis corrumpit naturam rerum.*

Opp. *Hæc quæstio antè discussa est: ergo otiosè hîc iterum demonstratur.*

Resp. *Illîc generatim de omni monarchia, hîc speciatim de excellentis viri imperio agitur; illîc quæritur an monarchia sit optimus status ciuitatis, hîc verò an vnius optimi viri imperiũ sit naturale.*

Opp. *Imperium talis viri (vt ais) est naturale: ergo obsequium quoque erit naturale. Ratio sequitur, quia imperium & obsequium sunt relata quæ eodem modo afficiuntur.*

Obsequium ciuitati naturale, homini liberum.

Resp. *Non negamus vtrumq; esse si ciuitatis, at pernegamus si solius hominis respectum habeas. Naturale est imperium respectu ciuitatis, quia in eo sui conseruationẽ & salutẽ habet, at in obsequio ciuiũ libertas nõ aliter quã in potentijs animi ab intellectu cernitur.*

## CAP. X.

*Vtrum species monarchia rectè assignentur?*

Scopus.

NACTVS occasionem ex his (quæ modò de excellenti virtute viri dixit) Philosophus de monarchia seu vnius imperio pluribus nunc agit, partẽq; vltimã huius libri in eo statu fusiùs explicando consumit. De monarchia primũ agit secundũ D. Thomam, quia illa constitutio ciuitatis est omniũ optima & veluti mensura reliquarũ perfectissima. Hęc forma administrationis in quinque



que species hoc loco diuiditur, nẽpè in Laconicam, Barbaricam, Aesymnetiam, Heroicã & Pambasileam: quæ omnes & singulę tam distinctè & tam perspicuè tractantur in textu, vt longius verborum & expositionis filum aut pensum trahere, esset tædio & molestiâ animos lectorum nimis defatigare. Si genus huius diuisionis scire desideres, existimo analogi esse in significata, nam secundùm prius & posterius (vt aiunt) nomen monarchiæ his formis conuenit; hoc liquidò constat in principio alterius capitis, vbi Philosophus has omnes ad duo capita reuocare contendit. Sed vt ordine de singulis agamus. Monarchia Laconica verbo definiri potest dictatura seu imperatoria potestas in bello iusta & necessaria. Laconica dicitur, quia Lacedæmonij illâ, sæuiente hoste, vtebantur. In hoc regni genere non absolutam rerum omnium, sed circumscriptam ac definitam autoritatem reges habere debent. Hoc probat Philosophus ab exemplo Agamẽnonis, qui cum maledictis ab Achille incesseretur contumeliam illam ferebat patienter in concione populi, at postquã egressus est ad bellum hanc legem tulit.

Monarchia Laconica, Barbarica, Æsymnetia, Heroica, Pambasileia.

Monarchia Laconica.

Homer. Ili. ad. 1.

*Quem longè à pugna ad naues discedere cernam,*
*Non volucrum effugiet morsus, rictusq; voraces,*
*Mortis me penes arbitrium est & summa potestas.*

Homer. Ili. ad. 2.

Quid multis? Laconica monarchia est imperium militare cum summa potestate vitæ ac necis: hoc imperium est tam vtile, tam necessarium in omni republica, vt sine eo neque hostium fulmina dispelli, neque intestinæ seditionis semina funditùs extirpari possint. Obseruandum hîc est, quòd Aristoteles in textu doceat, reges in hac forma non solùm potestatem vitæ ac necis, sed etiam rerum diuinarum religiosam quasi curam sibi mandatam habuisse; quasi diceret, bellici imperatores non omnia pro suo arbitrio agerent, iram & furorem (manes ipsius belli) semper ardere non permitterent, clamore hostis, effusione sanguinis semper non caperentur, hoc potiùs cogitarent se Deo vindici omnium subiectos esse, vt illius metu perculsi armis ad salutem, non autem ad perniciem iustè & religiosè vterentur

Rex Spartæ præfuit rebus diuinis, bello gerendo.

Ira & furor Manes belli.

Religio in Bello.

vterentur. Religionem ais requiri in milite? rerumque diuinarum curam in Marte? Insanis profectò & deliras multùm, confusio in bello, religio in pace viuat. Antiquum obtines. Sed audi, bellum iustum esse debet: ergo religione non careret. Qui enim ad verum bonum ciuitatis tendit, si à perenni fonte bonorum omnium penitus declinet? Sancta olim apud ethnicos iura belli, firma & inuiolata pacis fuerunt fœdera. Sed (Deus bone) vbi religio Reguli, qui potiùs quàm fidem hosti violaret, ad hostis dira tormenta se reciperet? Secunda species monarchiæ Barbarica dicitur, herili imperio admodum similis & cognata. A tyrannide hæc in tribus maximè differt, primùm quia inuitis non imponitur, secundò quia in ea secundùm leges viuitur, tertiò quia rex non vt tyrannus à suis defenditur. Primum probat Philosophus exemplo Asianorum, qui seruilioribus ingenijs nati, herile imperium facilius quàm Europæi ferunt; & certè multi ita sunt à natura ad duram seruitutem constituti, vt quamuis seueriùs aliquando tractentur, morem tamen suis dominis sine omni grunnitu murmureque gerant. Sic olim Persæ, sic hodie Moscouitæ sub suo rege viuunt, non inuiti ei obtemperant, non inuiti mores legesque patriæ obseruant, non inuiti personam sui regis satellitio defendunt: at in tyrannide contrà hæc omnia fiunt: à tyrannide ergò hæc species regni naturâ differt. Tertia monarchiæ species Aesymnetia dicta vnius definitur imperium suffragio concessum & confirmatũ. Distinguitur à barbarico, quòd illud iure hæreditario traditur, hoc verò suffragio demandatur. Sic olim Mitylenæi insulares illi Pittacum vnum è septem sapientibus contra exules suum regem elegerunt, quem postea vt hîc scribit Arist. Alcæus poeta & Antimenides furiosis carminibus irriserunt. Quarta regalis imperij species est heroica, quę administratio heroum temporibus per successionem, vt ius hæreditarium floruit. Huius imperij primas causas opinione sua recenset Philosophus, nempè magnificentiam in collocandis multis beneficijs, sapientiam in nouis excogitandis scientijs, amicitiam in propulsandis hostibus, prudentiam in dis-

Cic. de off. lib. 1. & de senect. 2. Barbarica. Discrimina Monarchiæ Tyrannicæ, Barbaricæ.

Isocr. in Pan.

3. Æsymnetia. Dictatura.

4. Heroica.

Vid. Pol. 5. c. 10. Iustin. l. 1.

persis



persis congregandis hominibus: nam cum principio rerum excellentes & egregij viri optimè de populo sint meriti, aut artes inueniendo, aut ab iniurijs hostium defendendo, aut barbaros & more belluarum vagantes in mænia & vrbes congregando, factum est vt illis illorumque propagini regna in perpetuum concederentur. Hinc Saturnus, Iupiter, Hercules, Apollo, Bacchus, Minerua & Ceres inter deos deasque antiquitùs numerati sunt: non ob aliam vt opinor causam quàm quòd inuentis suis vestigia perennis memoriæ posteritati reliquerint. Sed quid prophanas historias quæro? Legimus in sacris literis Nimrod aliâ viâ sibi procurasse imperium; venator enim robustus fuit, populosque vi & armis sceptro subegit. Sequitur in textu descriptio earũ rerum quę ad hunc statum heroici imperij pertinebant: primùm requirebatur vt summam authoritatem in rebus bellicis obtinerent, secundò vt sacrificiorum quorundam curam susciperent, tertiò vt quædam sacra sacerdotibus permitterent, postremò vt iurati in rempub. sanctè & religiosè officium obseruarent. Sed vt aliquid hinc fructus consequamur, pauca de his quatuor dicam, primùm sanè optandum est vt rex heroico spiritu fortitudinis suam patriam defendat, vt inuicto animo hostem inuadat, vt intrepida manu sceleratos ac seditiosos in ciuitate feriat; si Hannibal ad portas pulset opus est vt lacertis Scipio, si Catilina in vrbe maneat opus est vt verbis disertis Cicero animosè pugnet. Tum ciues in hostem ferociter volant cum suum regem fortiter pugnantem vident; in pace prudentia, in bello regia fortitudo cernitur. Vt ergo reges in pace quietis palmam habent: ita in bello rerum maximarum curam sustinere debent. De sacrificijs quæ hîc requirit Arist. nihil dicam, nam impia & superstitiosa fuisse scio: hoc vnum tamen dico, si ethnici reges sacrificia suis dæmonibus immolârunt, quantò solenniùs, quantò sanctiùs christiani reges in pace & bello diuinum numen adorarent? Constantinus imperator in ipso bello defixâ in Christum mente signum salutis vidit, at Iulianus Apostata fulmẽ à Iouis dextra demissum sensit. Quid sibi velit Aristoteles de sa-

Gen. cap. 10.

Quatuor obseruanda.

1. Fortitudo in rebus bellicis.

2. Sacrificia.

cris

3.Sacra Sacerdotibus permissa. 2.Chron.cap. 26.19. Leuit cap.10. Reges gerunt curã Ecclesię. Isaie. cap. 49. Daniel.c.5.5. 2.Mac.3.25.

cris quæ ad sacerdotes & non ad reges pertinent? Profectò nescio, illud tamen scio in Oziæ fronte leptã apparuisse, qui cum rex esset, vt sacerdos tamen incensum obtulit. Nadab & Abihu noua thuribula obtulerunt, sed dehiscente terrâ (horrendum est dictu) viui ad inferos ceciderunt. Meminerint reges, meminerint (inquam) Cæsares se non solùm politicæ ciuitatis, sed etiam cælestis regni, id est ecclesiæ curam commissam sibi habere; & vt illius ab Arist. patres; ita huius à domino nutritij & nutrices dicuntur Si conseruent, si alant, officium præstant: si verò spolient & expilẽr, manum quam Balthasar vidit in pariete, equum quem Heliodorus sensit in aere ante oculos ponant, suasq; manus & oculos à consecratis deo penitus remoueãt. Nam vetus illud est: Quę semel deo consecrantur, in humanos vsus cõuerti non debent. Postremũ q̃ hoc loco obseruandum ponitur, est quòd reges olim iurati in

4.Iuramenta.

regnum fuerint. Sceptrum regale virgula iustitię est, non signum inanis gloriæ. Qui sceptrum capit regnum habet, qui regnum habet sphæram grandem in dextra tenet, vt verò iustè teneat, ciuitas à rege sacrum iuramentum postulat, hoc autem idcirco facit, vt non tam potentia quàm conscientia in ciuitate imperet. Attendant ergo Cæsares, si in priuato conscientia mali sit mille testes, quot furias in animo sentiet magistratus, si iuramentum quo obstringitur ciuitati omninò negligat & contemnat? Si bona ciuitatis, si iura, si leges violet? Priuatorum facinora merentur crucem: ergo Cæsarum flagitia merentur gehennam. De quinta specie monar-

5.Pambasilea.

chiæ, quæ Pambasilea dicitur, proximo capite agit Philosophus: hanc autem per se tractat, & quia perspicua est, & quia aliæ quæstiones ad eam spectant, quæ huius capitis circuitu facilè comprehendi non possunt.

Distinctio quæstionis.

Potentia regum est aut
- Absoluta & libera, quâ rex in ciuitate vt pater in domo regnat, & hæc vel iusta Pambasilea, vel propè ad tyrannidem accedens Barbarica dicitur.
- Circũscripta, quæ est aut
  - Militaris, quæ Laconica
  - Popularis, quę Æsymnetia } appellatur.
  - Ciuilis, quæ heroica

Opp.



Opp. *Laconica & absoluta administrationis forma sunt veræ species monarchiæ, vt posteà docet Philosophus: ergo non est ista vera diuisio.*

Resp. *Non defendimus hanc diuisionem esse generis in veras species, sed vt anteà diximus analogi in sua significata, quæ modum & rationem specierum habent.*

Opp. *Barbarica administratio tyrannis est: ergo monarchiæ species dici non debet. Antecedens probatur, quia Barbari reges suos ciues vt seruos tractant. Argumentum tenet, quia monarchia & tyrannis naturâ differunt.* Pol.4.cap.10.

Resp. *Per Barbaricam administrationẽ hoc loco non immanitas & furor tyranni, sed authoritas regis seueri intelligitur. Multi reges hodie seuerius cum suis agunt, idq; politicè & sapienter: nam si gentes quas regunt propensæ sunt ad barbariem licentiamq; morũ, vt apud Indos & Persas, multum proculdubio populus contumax & rebellis fiet, si nullum seueritatis iugum & legem teneat.* Quid Barbarica administratio.

Opp. *Barbarica administratio & popularis illa quæ Aesymnetia dicitur in nullo distinguuntur: ergo vt species monarchiæ distinctæ non rectè assignantur. Antecedens probatur, quia reges in vtroq; genere earundem rerum curam habent, nempè bellicarum & diuinarum, vt in textu patet.*

Resp. *Hæc duo genera pluribus differunt quàm hoc argumentum docet, nam Barbarica administratio hæreditaria, Æsymnetia verò voluntaria dicitur: illa quoque perpetua, hæc solùm ad tempus manet; illa res omnes in ciuitate, hæc solùm res definitas (vt olim dictatura apud Romanos) tractat.* Distinctio Monarchiæ Barbaricæ & Æsymnetiæ. Dion. Halicar.

Opp. *Causæ monarchiæ heroicæ non rectè enumerantur: ergo malè de illa specie disputauit Philosophus. Antecedens probatur, quia vt Iustinus scribit, non sapientia, non fauor populi, non amicitia, sed ambitio, vis & furor magnorum hominum genuerunt imperia.* Iustin.lib.1.

Resp. *Aristoteles enumerat iustas non iniustas causas imperij, fatendum quidem est primos olim reges (vt ait Iustinus) suis proprijs possessionibus non fuisse contentos: hinc Ninus Assyriorum rex ambitiosus primum bellum gessit primumq; impressit nummum, quo Zoraastrem & Indos vulnerauit: quo vniuersum mundum turpi-* Causæ imperiorum. Iustin.lib.1.

ter

*ter corrupit, verendum sanè est ne vi & pecuniâ plura tententur, quàm iustioribus medijs comparentur imperia.*

## Dubium.

*An rex necis & vitæ potentiam in suos ciues habeat?*

Rom.13. Truncus Rex inter Ranas.

DISTRICTVM gladium rex suâ dextrâ tenet: at quorsum quæso si nullam vitæ, si nullam mortis potentiam in suos ciues habeat? Quid? an rex inter ciues vt truncus inter ranas viuit? An lictores, secures, gladios, cruces, tormenta habet vt multi seditiosi in ciuitate viuant? Certè ita non est, nam rex non inaniter suum gladium gerit, sed ita gerit vt

Rom.cap.13. non boni sed mali, non tamen omnes mali sed seditiosi bonoq; communi ciuitatis infesti aciem istius gladij sentiant. Sunt enim ciues mali qui sibi nocent, vt inuidi, qui legis pœnâ plecterentur: sunt ciues mali qui alios lædunt, vt seditiosi, qui regis hoc gladio tollerentur. Vis hæc vt probem? Sic paucis accipe. Partes putridæ totius corporis abscindi debent: ergo

Gladium principi stringendum rat.4. flagitiosi ciues. Argumentum probo, quia vt partes sunt respectu corporis: ita ciues sunt respectu ciuitatis. Si ergo medico liceat partes corporis obtruncare, multò magis principi licebit pernicioſos ciues occidere. Prætereà id licitum est quod recta ratio & iustitia iubent: sed recta ratio & iustitia iubent vt mali è medio tollantur: ergo malos è medio tollere est licitum. Assumptio probatur, quia ratio & iustitia maximè iubent vt communi bono ciuitatis consulatur, quod fieri non potest si insigniter mali in ciuitate viuant. Postremò

Seditiosi proditores belluis peiores. belluas licet occidere; ergo etiam & seditiosos ciues. Ratio sequitur, quia ferocitas peccati omnem vsum rationis tollit, hominesq; belluis deteriores facit. Si ergo belluas occidere liceat ad vsum hominis, facinorosos licebit condemnare ad salutem ciuitatis. Huc addi potest quòd sacra philosophia hoc ipsum iubeat, nam aliter quorsum in sacris diceretur, maleficos non patieris viuere, & iterum: obedite regi, nam frustrà gladium non gerit? Exempla in hac re non desiderantur, nam vbiq; gentium in omni imperio districtus hic gladi-

Rom.cap.13. us



us viuit. At dices, quid hæc ad Arist. Multũ sanè: nam in textu ait. Rex vitæ & necis potestatẽ habet. Hæc ergo scripsi vt nõ solùm hanc potestatem habere, sed iure eandem vendicare posse argumentis probem. Quid? an solùm reges hanc potestatem habent? Respondeo vi sua & per se habere. Cur ergo iudices alijq; magistratus hoc ipsum agunt? Respondeo, quia eandem authoritatem à regibus concessam habent. Dic quæso, non licet priuatis aliquandò suos hostes occidere? Certè non licet. Quid si videas proditorem insidiantem principi, non licet occidere? Licet; quî hæc cohærent? rectè: tum enim non vt priuatus homo de hoste meo, sed vt magistratus de hoste ciuitatis supplicium sumo. Expedi hoc vnum. Quid illud est? Si quis seipsum cędat, est hoc iniustum? Est certè. Rationem redde. Ratio in promptu est, quia sine ordine iustitiæ ciuitatis membrum partemq; tollit. Placet mihi valdè hæc tua conclusio, nempè quòd principes necis potestatem in malos habeant, quodq; nec priuatis vt suos hostes, nec desperatis vt seipsos occidant vllo modo licere putes.

Occidere an priuato liceat.

Insidiantem principi licet occidere.

Non licet cuiquam se occidere.

### Distinctio.

Quòd necis potestas penes regem sit probatur
- A similitudine partium amputandarum à corpore.
- Ab interitu ciuilis boni, si mali permittãtur viuere.
- A comparatione illorum cum belluis.
- A testimonio diuinæ philosophiæ, quæ malos è medio tolli & extirpari iubet.

Opp. *Quicquid est causa mali est quoq; ipsum malum: sed dare regibus potestatem necis est causa mali: ergo dare regibus potestatem necis est quoq; ipsum malum. Maior tenet à loco topico. Qualis causa talis effectus in bonis & malis. Minor probatur, quia regem crudelem & tyrannum reddit, vt leuissimis de causis infensus suos ciues feriat.* Lib.2.top.

### Resp.

*Potestas necis considerat-ur duobus modis, vel*
- *Simpliciter, & sic non est regibus concessa, nam non licet regi quem vult & quando placet occidere.* Potestas necis duplex.
- *Cum conditione, & ad hanc potestatem requiruntur*
  - *Iusta accusatio.*
  - *Aperta conuictio.* Ad pœnam requisita.
  - *Magna in remp. offensio.* (natio.
  - *Deliberatum iudiciũ seu condẽ-*

Opp. *Quicquid repugnat diuinæ iustitiæ approbari non debet vt bonum: sed talis potestas vitæ ac necis repugnat diuinæ iustitiæ: ergo talis potestas approbari non debet vt bonum. Maior patet, quia vera bonaq́ humana à prima veritate bonoq́ incommutabili fluunt, eoq́ tendunt & reuertuntur. Minor probatur, quia primum bonum omnibus rebus esse & bene esse dedit, idq́ conseruat (vt docent Philosophi) & non deperdit.*

Resp. *A prima veritate bonoq́ summo omnis humanæ veritatis ac bonitatis perfectio fluit, eôq́ (vt ais) reuertetur: id quoq́ agnoscimus, primam causam rebus omnibus essentiam eiusdemq́ conseruationem indulsisse, non tamen sequitur quin homo ab hac veritate & bonitate declinãs iustè vt deo ac ciuitati infestus puniatur. Causa ergo iustus mali non est in deo qui dat esse & benè esse, sed est in homine qui esse suum in non esse, bonum in malum commutauit: non est igitur cõtrariũ sed potius consonũ diuinæ iustitiæ malos è medio tollere.*

Causa pœnæ in homine, nõ in deo.

Diuinæ iustitiæ consonum, malos tollere.

Opp. *Quod per se malum est non licet: sed hominem interficere est per se malum: ergo non licet. Minor probatur quia hominem interficere est optimum naturæ opus & effectum corrumpere, quod per se malum esse videtur.*

Resp. *Hominem occidere est per se malum, sed pernicioſum hominem tollere est ciuitatis quidem bonum. Iudex non hominem sed vitium extirpare contendit, sed cùm in multis hoc fieri non potest sine nece corporis, sapienter præscriptum est vt potiùs pars vna pereat quàm vt totum præceps in discrimen ruat.*

Malum occidere homini malum, ciuitati bonum.

Opp. *Hæc potestas est contra charitatem: ergo non est licita. Antecedens probatur, quia charitatis affectio ardens est & omnes diligit, cuius vox est, nolo mortem peccatoris sed potiùs vt conuertatur & viuat. Si Christus peccatores mori noluerit, cur princeps, imago Christi, tot ciues perderet?*

Ezech. cap. 18.

Resp. *Ludis, nam etsi charitatis affectio se ad omnes diffundat, suaq́ vi non aliter quàm ignis singulos in se contendat vertere, rectè tamen cum hoc affectu seueritas iustitiæ constet & copuletur; nam charitas illa quæ permisit zizania vsq́ ad messem crescere, iussit messores suos eadem flammis tandem consumere. Quarè etsi Christus mortem ad tempus differat expectans pœnitentiam, si tamen non sequatur grauius morte præparabit supplicium.*

Charitatis affectio. Matt. 13. 30.

CAP.



## CAP. XI.

*Vtrum ciuitas melius ab optimo rege quàm ab optima lege administretur?*
*An rex potius successione quàm electione sit creandus?*

QVINque in hoc cap. proponuntur, enumeratio eorũ quæ antè de formis reip. dicuntur, optima ciuitatis administratio, defectio legis, successio principis, eiusdẽq́; fidelis conseruatio. Enumeratio in frõte huius ca. aperta est, nempè quòd constet monarchiæ esse 5. species, quarum prima heroica, altera Barbarica, 3. tyrannis quædam in electione multitudinis constituta, 4. Laconica quæ erat perennis quasi dictatura, postrema verè regia quæ quodãmodo paterna & domestica appellari potest. Hæc omnia genera ad duo reducit, nimirũ ad hoc vltimũ in quo plena potestas imperatoris cernitur, & ad Laconicũ, in quo an dux perpetuus sit vtilis ciuitati quæritur. Hãc enumerationẽ sequitur optima administratio, de qua mouetur hæc quæstio, an melius ab optimo rege quàm ab optima lege gubernetur respub. Primùm arguit contra administrationẽ legis, quæ solùm vniuersim de rebus loquitur. 2. arguit contra administrationem regis, qui plerumque affectibus vincitur ac superatur; quare vt lex gubernare non debet quia deficit in singulis: ita rex gubernare non debet quia perturbationum faculis inflammatur. 3. quod proponitur est defectio legis, in quo loco quæritur, An vnius vel plurium authoritate legũ defectiones melius resarciãtur. Melius per plures quàm per vnum probat, & quia populus plus videt quàm vnus, & quia multitudo incorruptior quàm vnus manet. Quartum quod in hoc capite tractatur est successio regis, vbi mouetur hoc dubiũ, vtrũ electione potius quã successione sit creandus princeps. Contra successionẽ inprimis disputat,

Cap. diuisio in. 5. partes.

Pambasileia similis familiæ.

De administratione.

Prima quæst. Eth. 5. cap. 10. Pol 3. cap. 7. & 12.

De legis supplemento.

Vid. Pol. 3. c. 7.

De successione.

Vid. Osorium de reg. lib. 3. & Sebast. Fox. de reg. lib. 3.

tat, docetque esse valdè periculosum vt ciuitas à successione regum dependeat. Verba Philosophi hæc sunt, Si nascantur filij patri dissimiles ac degeneres pernicioſum est eos regnare. Postremum quod hic agitur est, regis per suos satellites vtilis custodia, quæ ideo instituta est vt contumaciter iustum imperium recusantes coerceantur, & heroicæ personæ regum habeantur in tuto. Hactenùs de expositione textus, nunc ad quæstiones fusiùs tractandas venio: prima est, An ciuitas meliùs ab optimo rege quàm ab optima lege gubernetur. Video hic quosdam interpretes acerrimè inter se digladiantes de hac causa, quorum alij tutiùs à bono principe, alij meliùs à bonis legibus rempublicam administrari putant; sed somnia omitto, argumenta quæro, & sanè vt vno quasi ictu scopum attingam, nullam comparationem inter mutum & loquentem magistratum, hoc est inter regem & legem video. Quid enim lux aliud est quàm mutus magistratus, quid rex aliud quàm lex loquens & quasi ciuitatis anima? & vt norma nihil potest sine artifice: ita lex nihil potest sine rege, quippè prudentia regis moderatur legem. Sed hoc argumentis probo, quorum primum à defectu legis ad hunc modum ducitur. Lex solùm vniuersim loquitur, & sæpe in rebus singulis, contingentibus & futuris deficit: ergo lex non est optima moderatrix ciuitatis: quo dato sequitur longè meliùs ab optimo rege quàm ab optima lege rempub. administrari. Alterum argumentum est à simili, nam vt medicus non est ita iuratus in singula præcepta artis, quin aliquando pro sua prudentia agat: ita moderator ciuitatis non est ita astrictus legibus, quin sæpè pro suo arbitrio in ciuitate regat. Quippè vt ars medica, ita lex politica solùm vniuersa præscripta tradit. Quare vt medici multos perderent si solùm sequerentur artem: ita reges rempublicam labefactarent si solùm sequerentur legem. Concludo igitur, sicut melius est prudentem medicum quàm artem consulere, si sanitatem: ita melius est sapientem principem quàm legem consulere, si ciuitatem spectes.

De præsidio.

Prima quæst.

Magistratus Mutus, Loquens.

Pro rege rationes. 6.

Pol. 2. cap. 6.

Plato in politico.

Medici & Regis comparatio.

Ex arte semper imperare stultum.

Tertia



Tertia ratio naturam & officium vtriusque docet, nam lex est solùm muta regula rationis, & princeps est lux & vita ciuitatis: ergò multò rectius à bono principe quàm ab optima lege respublica gubernatur. Quartum argumentum sic se habet. Ciuitas rectè administrari potest sine lege, at sine magistratu non potest: ergò meliùs à rege gubernatur. Quintum argumentum est respectu ciuis, qui magis regi quàm legi seruit, quis enim scriptum timet? Quis sceptrum regis non veretur? Lex gladium non habet quo percutiat, at rex habet quo putrida ciuitatis membra partesque corruptas tollat: est ergò melior ciuitatis in vno rege quàm in multis legibus moderatio. Postremò lex à principe vim suam & authoritatem habet, non princeps à lege: ergò melius ciuitatem princeps quàm lex gubernat. At dicis, Aristoteles in textu contra hæc omnia arguit. Scio, sed ea quæ disputata sunt pro argumentis contra quæstionem adhibebo. Nunc autem ad alteram quæstionem (quæ est, An rex potius successione quàm electione adsciscatur?) explicandam venio: & certè vt paucis hanc rem attingam, principem successione constituendum esse planè res ipsa loquitur. Hoc autem probatur tribus modis, nempè ex parte regis, ex parte successoris, ex parte ciuitatis, quæ tria in longè meliore conditione futura sunt, si filius patri in regno succedat, quàm si electione alius creetur princeps. Ex parte regis sic probo, quia si rex norit filium sibi hæredem futurum eò diligentius ipse (naturâ impellente) curat omnia, putatque (si filium in solio regiæ maiestatis relinquat) idipsum ad se suumque nomen pertinere. His stimulis quasi commotus (videlicet naturæ, gloriæ, virtutis) sollicitè admodum suum sceptrum tenet, regnum opibus honoribusque ornat, leges sanctissimas iustissimasque condit, mores populi ad obedientiam pacemque fingit, nullum non denique lapidem mouet, vt omnia in ciuitate (tanquam propria) suo filio tradat; quod si aliter fieret, spes successionis tolleretur, negligentiùs oscitantiùsque tractarentur omnia: nam quis mortalium

Lex muta regula.

Quæstio secunda.

Pro successione rat. 3.

1. Ex parte regis.

2. Ex parte Successoris.

talium tam amicè ignotis quàm ſuis in poſſeſſione regni prouideret? Ex parte ſucceſſoris, quòd melius ſit hoc modo rempublicam adminiſtrari, ratio ſic ſuadet. Nam filius cum ab ipſis incunabulis regno ſit deſtinatus omni curâ ac diligentiâ enutritur, ardenti ſtudio parentum ad caſtitatem vitæ, ad veram gloriam, ad prudentiam rerum inſtituitur: his modis inſtructus mortuo patre ſceptrum religioſè tenet, honore tanto oblato non intumeſcit, regnum vt ius ſuum legibus defendit. O quàm optandum eſſet vt reges ſuos Regulos ſic hodie inſtituerent! Natura mouet, prouidentia iubet, reſpublica poſtulat vt ſic inſtituerent: indulgentia nimia eſt noſtrorum temporum, libertas nimia: quanta, Deus bone, eſt mollicies in educatione procerum? Quanta licentia morum? Hinc fit quòd accepto regno regum filij veluti nouo & inſpirato honore intumeſcant, hinc fit quòd ij non aliter quàm qui inopinatò ad tantum faſtigium euehuntur, leges violent, gazas ciuitatis expilent, ciues oppreſſione vulnerent, rerumque omnium ſæpè periculoſa naufragia faciant. Sed hic non de facto ſed de iure diſputo, nam ſi id fieret quod deberet fieri, hæc certè nullo modo euenirent. Poſtrema ratio eſt ex parte ciuitatis, in qua nulla maior eſt peſtis quàm ſeditio, quæ inter nobiles propter magiſtratus euenit: at hæc in iuſta ſucceſſione nulla eſt, quippè natura quaſi digito ſucceſſorem demonſtrans omnem litem tollit, ambitionis fomites extinguit, tragicos hiſtriones à theatro ciuitatis penitùs expellit: at in electione cupiditas & libido dominandi regnant, perpetuas flammas ſeditionis mouent, factiones alunt, ciuitatem in partes diſtrahunt, vrunt conſcientias ciuium, peruertunt leges, corrumpunt mores, hoſtibus ſe tradunt, ciuitatem produnt, vi, armis, inſidijs deuaſtant omnia. Ex omni ergo iam parte liquet melius eſſe vt patri in regno filius ſuccedat, quàm vt alius eligatur princeps. Huc addi poſſunt exempla gentium, ſeries & annales temporum, in quibus conſuetudo perpetua maiorum ſucceſſionem magis quàm electionem probat. Nihil hîc

Educatio nobilium.

3. Ex parte Ciuitatis.



hîc dicam de ſacris literis in quibus ſucceſſio approbatur, nam à Dauide ad Chriſtum ſucceſſio manſit. Huc quidam ad ſucceſſionem in regno quatuor cautiones poſtulant, nempè vt fœmina, vt peregrinus, vt deformis corpore, vt ſpurius non ſuccedant: in duabus ex his cautionibus rectè & ſapienter, in alijs ineptè & ignoranter agunt. Nam de ſucceſſione fœminæ quis dubitat, cum tot exempla maiorum, tot ſacræ leges, tot hiſtoriæ tam humanæ quàm diuinæ fœminarum ſucceſſionem vt iuſtam & legitimam nobis approbarint? Romani tulerunt legem vt fœminæ parentibus in iure hæreditario non ſuccederent, ſed beatus Auguſtinus hanc legem in tertio de ciuitate Dei, vt iniuſtam & contra naturam reijcit, adfertque exemplum de filiabus Salphat quæ iuſſu domini vt legitimæ hæredes ſuis parentibus ſucceſſerunt. Sed de hac cauſa ſatis in primo libro Politicorum diximus. Alteram quoque conditionem in qua requirunt vt corpore imperfectus non ſuccedat, quis eſt tam imprudens qui admittat? Nam etſi optandum eſt vt reges in compoſitione corporis alios (vt Saul ille ſuos fratres) ſuperent, ſi tamen non ſuperent cauſa iuſta ſatis non eſt vt à poſſeſſione ſceptri pellantur. Nam vt ſub ſordida veſte aliquando magna ſapientia: ita ſub illiberali ſpecie corporis magna vis mentis & virtutis lucet. Lacedæmonij olim ſtatuerunt vt claudus in regnum non admitteretur, at tandem hoc verum eſſe ſenſerunt, quòd melius ſit regem quàm regnum claudicare. Abſolon omnes ſuâ formâ vicit, at Abſolon mentem vitioſam habuit: non ergo in fronte ſed in mente formoſæ virtutes ſedent. Alias duas cautelas libenter fero, nempè vt neque peregrinus, neque ſpurius regibus ſuccedant: nam in altero grande periculum, in altero magnum indecorum ineſt; quid quæſo maiorem peſtem in ciuitate gignit quàm peregrini ſucceſſio? Quid maiorem labem quàm ſpuriorum adminiſtratio? Peregrinus enim ad natale ſolum animum intendit, ſpurius ſibi magis plerumque quàm regno conſulit.

Succeſſionis cautiones 4.

Succeſſio fœminæ probatur.

Numeri cap. 27.

Pol.7.cap.14. 1.Sam.9.2. Cic.Tuſc.qu. 3.ex Cæcilio. Plut.in Ageſilao.

Melius eſt regem quàm regnum claudicare. 2.Sam.14.25.

Reijcitur Succeſſio Peregrini Spurij.

## Distinctio primæ quæstionis.

*Vtrùm melius ab optimo rege quàm ab optima lege respublica administretur?*

Melius administratur ciuitas à rege propter:

- Defectionem legis, quæ res omnes contingentes rerumque futurarum euenta non cernit.
- Experientiã regis, qui defectiones legũ & errata corrigit.
- Prudentiam ciuitatis, quæ magistratum non solùm vt regulam sed vt animam requirit.
- Inconstantiam ciuium rerumque vicissitudines, quæ nouas leges quotidie & instituta postulant.
- Obedientiam facilem, quam ciues principibus potiùs quàm legibus persoluunt.
- Authoritatem, quam leges à principibus, non principes à legibus recipiunt.

Opp. *Quicquid affectibus caret melius ciuitatẽ regit quã illud quod affectibus agitatur: sed lex caret affectibus: ergo lex melius ciuitatem regit.* (Pol.2.cap.8. lib.3.cap.12.) *Maior constat, quia affectus cum sint motus animæ appetentis sub specie boni, aciem rationis retundunt, iudiciumq; rectum impediunt plurimùm.*

Lex non loquitur sine voce magistratus.

Resp. *Illa vacuitas affectus in lege, regis prouidentiâ compensatur. Praterea licèt affectus lenior in magistratum cadat, virtus efficacior tamen officij manet. Vt ergò gladius non ferit sine manu hominis; ita lex non loquitur sine voce magistratus: quare etsi lex sit incorruptior rege si affectum, est tamen in administratione ineptior si principatum spectes.*

Opp. *Regula iustitiæ ciuitatem regeret vt est in 5. Ethicorum: sed lex est regula iustitiæ: ergò lex ciuitatem regeret.*

Resp. *Regitur ciuitas bifariam, aut primariò, & sic à rege; aut minùs primariò, & vt aiunt instrumentaliter, & sic à lege regitur. Est enim rex principium, est lex instrumentum ciuitatis.*

Opp. *Lex iustior est rege: ergò lex gubernat. Antecedens probatur, quia lex est nihil aliud quàm vox aut norma iustitiæ.*

Lex iusta vt vrina sana.

Resp. *Lex appellatur iusta vt vrina sana, vox quidem iustitiæ est, sed non aliter quàm Echo per reflexũ vocis, quæ à magistratu editur; norma est quoque (vt ais) iustitiæ, sed iusta non aliter quàm iusta mensura dicitur.*

Opp. *Principes legum solũ ministri & custodes ab Arist. dicũtur: ergò in administratione ciuitatis principatũ legibus videtur dedisse.* (Pol.3.cap.12.)

Resp.



Reges ministri & custodes legum.

Resp. *Ratio non sequitur, quia reges ministri & custodes legum dicuntur, non quòd subseruiant, sed quòd earum vires ad honorem ciuitatis vtilitatemq; ciuium accommodent & exequantur: ministri, quia voces legum exponunt, custodes quia illas elingues elumbesq; gladio defendunt.*

## Distinctio secundæ quæstionis:

*An rex potiùs successione quàm electione sit inaugurandus?*

Successionẽ nobiliorem esse suadent:

- Natura, quæ certum hæredem regni digito quasi demonstrans omnes seditionis occasiones tollit.
- Experientia maiorum, quæ successionem per multas ætates & nationes vt meliorem recepit.
- Vtilitas:
  - Regis, qui cognito hærede maiorem curam ciuitatis gerit.
  - Successoris, qui ad expectatũ imperiũ venies min⁹ insolescit, minusq; suos ciues premit.
  - Ciuitatis, quæ naturali instinctu magis insitis quã assumptis regibus obtẽperare cupit.
- Lex diuina, quæ successionem magis quàm electionem in Leuitis & regibus approbauit.

Pro successione 6.

Opp. *Reges (vt anteà docuit Philosophus) absolutè boni esse debent: sed hæc perfectio virtutis certiùs per electionem quàm per successionem acquiritur: ergo electio magis quàm successio approbanda videtur.* (Hoc.cap.) *Minor probatur, quia vt habet Arist. secundo libro Rhetorices, nobiles multi à parentibus suis degenerant, & in deteriores mores prolabuntur; at in tota multitudine instar monstri est, si vnum studiosum & prudentem virum non inuenias.* (Rhet.lib.2. cap.30.)

Successio bipartita est:

- Simplex, quæ sine vlla suffragatione populi aut ciuitatis consensu est, & hæc in tyrannide exercetur.
- Composita, quæ præter ius naturale sanguinis, consensum ciuitatis, directionem legis, iuramentum, consilium, aliasq; ceremonias admittit; & hæc est omni electione eo melior quo certior, eo tutior quo multorum sapientiâ & consilio efficacior redditur.

Successio Simplex, Composita.

Opp. *Quicquid sit secundùm virtutem melius est eo quod sit secundùm naturam: sed electio fit secundùm virtutem, successio verò secundùm naturam: ergo electio est successione melior.* *Maior probatur, quia virtus est perfectior naturâ vt est in Ethicis.* (Eth.2.cap.1.) *Minor cõstat, quia electio fit secundùm prudentiam, quæ est omnium virtutũ nobilissima: at successio fit secũdũ naturã quæ est debilis & incerta.*

Natura virtute non incertior.

Resp. *Quamuis natura aliquando sit imperfectior virtute; incertior tamen non est. Prætereà respondemus non solùm naturam sed etiam virtutem, non sortem sed prudentiam in successione composita spectari, quippè ad hanc populi consensus optimorumq; senatus requiritur.*

Opp. *Quicquid spem aditumq; regni multitudini intercludit est & iniustum & periculosum: sed successio spem aditumq; regni multitudini intercludit: ergo successio est iniusta & periculosa. Maior*

Pol.3.cap.7. *constat, quia multitudo (vt docet Philosophus) quouis vno & melior & prudentior habetur.*

Resp. *Hìc non de illis quæ fieri non possunt, sed de his quæ possunt fieri disputamus: fatemur totam multitudinem collectim sumptam quouis vno & meliorem & prudentiorem esse; at fieri non potest vt tota multitudo simul collecta regnet, necesse ergo fuit inire illam rationem vt vnus regeret; hic autem vnus rex est, cuius successio non intercludit aditum imperij populo, cum fructum imperij solicitè & laboriosè cõmunicat; sic labor regis est, at honor ciuitatis.*

Opp. *Athenienses, Lacedæmonij, Charthaginenses, Romani magna illa mundi lumina diu floruerunt: at isti omnes electione suorum Consulum & regum vtebantur: ergo electio videtur esse nobilior.*

Electio ruinã peperit.

Resp. *Inductio ista non est satis firma cum generatim non concludat. Porrò existimant historici electionem principum in hisce imperijs ipsorum ruinam peperisse.*

Opp. *Successio ab Arist. in fine huius capitis reijci videtur: ergo malè secundùm Aristotelem defenditur. Antecedens in textu patet, vbi ait pernicioſum esse vt filij patri dissimiles regnum obtineant, hoc etiam addit quòd tam cæcus sit amor parentum in suos filios, vt aliquando ineptos successores post se relinquant.*

Resp. *Obiectio hæc est apud Philosophum disputandi causâ suscepta, cuius facilis est solutio, si successionis distinctionem anteà adductam spectes, in qua consensus ciuitatis & sapientum consilium ad regis administrationem requiruntur; ita rex si aliquandò à bono aut vero defecerit per suos à consilio viros prudentiùs reuocetur.*

Dubium.

*An satellitium regibus sit necessarium?*

Sacra



SACRA est persona regis, & sui præsidium necessariò postulat: armati sunt multi vt inuadant hostem, at satellitibus succincti septiq; sunt, reges vt propellant iniuriam: regnum certè quasi turris excelsa est in qua opes infinitę recluſę iacent, ad hanc arcem expugnandam certatim ambitiosi & seditiosi veniunt, huius custodem omni arte, fraude, malitiaq; tentant; si igitur desit præsidium magna arcis ruina, maxima regum iactura sequitur; at reges oportet esse viros optimos quos nemo læderet, at regnum est esca quasi aurea quam sibi ambitiosus raperet. Ciues sufficiunt ad defendendum regem, verum est si præsentes semper propulsarent hostem. Armati in bello non in pace viuerent; armati in pace viuunt ne bellum æstuaret. Metum ciuibus satellites incutiunt; verum est malis ne reges percutiant. Natura abhorret vt vi & armis teneatur regnum; imò natura abhorret vt vi & armis tentetur imperium. Animatos ad tyrannidem efficit custodia; imò protegit reges ne fiat iniuria. Reges virtus non clypeus tegeret; rectè vrges, si comes virtutis & regni inuidia non esset. Age satellitium regibus necessarium puto, at quantum hoc esse debet, & in quo ordine poni, adhuc non video. Facilis est istius dubitationis solutio, nam tantum esse debet quantum maiestas regis necessitasq; ciuitatis postulat. Non enim hodiè nostris principibus tales custodes satellitesq; comparare decet, quales olim Mitylenęi suis Aesymnetis id est dictatoribus, qualesq; Syracusani Dionysio suisq; tyrannis cõcesserunt, scilicet vt quousq; placet conseruent, & quando velint reges opprimant: sed ad nostrum satellitium requiruntur fides ne perfidi, fortitudo ne ignaui, vigilia ne oscitantes, robur corporis ne fugaces & tergiuersantes fiant. Distinctio.

Regnum turris est.

Amor incedit inermis, dormit armatus. Thom. Pontan.

In satellitio Fides, Fortitudo, Robur, Vigilia.

In satellitio spectãtur
- Necessitas, quæ est vt
  - Persona regum defendatur.
  - Metus malis injiciatur.
  - Iustitia floreat & conseruetur.
- Ordo, ad quem requiruntur
  - Animi.
    - Fides
    - Fortitudo
  - Corporis.
    - Labor
    - Robur

Opp.

Opp. *Occasio mali tollenda est in ciuitate: sed in satellitio est occasio mali: ergo est tollendū in ciuitate. Maior est Arist. quinto Ethicorum. Minor probatur, quia si rex affectibus æstuaret, periculum est ne sic armatus ad tyrannidem se verteret.*

Pol. 5. cap. 11.

Resp. *Satellitium non est occasio mali sed deprauatio mentis: vt ergo non est tollendus gladius, quia Alexander furens transfixit Clitum: ita non est tollendum à regno præsidium, etsi malus princeps furiosum aliquando sequatur affectum.*

Deprauatio mentis occasio mali.

Opp. *Necessarium id est sine quo aliquid esse non potest: sed rex & regnum esse possunt sine satellitio: ergo satellitium non est necessarium. Minor constat in textu; vbi docet Philosophus Dionysium à Syracusanis postulasse præsidium.*

Resp. *Aliquid est necessarium vel absolutè, vt causa sine qua res esse non potest: vel quodam respectu, vt affectio aliqua sine quâ res bene esse non potest: & sic satellitium regibus necessarium dicitur qui tutò non viuunt sine subsidio.*

Necessarium Absolutè, Respectiuè.

## CAP XII.

*Vtrùm quæ non sunt decisa lege magistratus arbitrio relinquantur?*

Regnum Sphæra.

HAEC vltima linea est quam noster Apell[illegible] hoc libro ducit: si circūflectas totā monarchiæ veluti sphęram & circumferentiam videas: in hac sphæra vnum centrum, multæ lineæ, motus æqualis ineſt. Per vnū centrum vnum regem, per multas lineas rectas leges, per motum æqualem iustam administrandi formam, per ipsam sphæram totam ciuitatem hoc loco intelligo. Centrum vnum sic rex, lineæ rectæ sic leges, motus ęquales sic administratio, sphæra rotunda sic ciuitas perfecta esse debet. Sed quid de hoc centro dicat Philosophus videamus, ordine percurram textum; primùm institutum de quo rege loquitur ostendit, quarè hic adhibenda est quædam distinctio,



ctio, quòd nomē regis duobus modis accipiatur, vel absolutè vel ex parte: Absolutè rex ille dicitur, qui imperium & in ciues & in leges tenet. Comparatè, qui restrictam authoritatem habet, nominatim vt duces Dyrrachij & Opuntis, quæ duæ ciuitates plenam authoritatem suis regibus (vt hic Aristoteles docet) non concesserunt. Hac distinctione factâ regem absolutè non comparatè sumptum intelligendum proponit, de quo primùm quærit, An in ciuitate vbi multi pares sunt æquum ac iustum haberi debeat vt vnus simpliciter præ ęteris imperium teneat? Vltrò citrò; de hac re disputat, & primùm arguit hoc ipsum iniustum esse: nam sicut fit de veste & cibo; ita fieri debet de honoribus ciuitatis: sed cibus & vestis æqualibus darentur æquales: ergo honores eodem modo pares paribus cōcederentur. Hinc alia dubitatio nascitur, scilicèt, An defectiones legum iudicio magistratuum sint relinquendæ. Requirit Philosophus in ciuitate & legem & magistratum, at si lex deficiat, magistratus iudicium & solertiam laudat: magistratus dico non hominis, nam homo inquit sine lege est veluti immanis & truculenta fera: hinc refellitur illa similitudo artis quæ in priore capite adducta est pro principatu hominis. Nam vt certior est scientia medici quàm opinio, & vt de fide medici dubitantes requirimus vt potiùs secundùm scientiam quàm ex arbitrio curet: ita gubernatores ciuitatis legem non aliter quàm medici artem sequerentur: Gubernatores ait, quia potiùs plures quàm vnum in defectibus & erratis curandis postulat: ad confirmationem huius rei Homerum introducit, qui in persona Agamemnonis plurimorum consilium approbauit: plurimorum consilium dico, nā aliter defectiones legum in rebus singulis commodè & sapienter resarciri non possunt. His iam hinc indè disputatis ad vltimum nunc tandem venit, idq; concludit quod in votis est, nempè vnum eximiâ virtute virum iure posse vendicare ciuitatis imperium, quòd verò hoc ipsum anteà negauerit, respectu non absolutè hoc ipsum fecit. Sed hactenùs de textu, nunc ad propositam quæstionem vlteriùs discutiendā venio, quæ est, An illa quæ non sunt decisa lege magistratus

Regis nomen Absolutè, ex parte.

Quæstio prima.

Contra monarchiam.

Quæstio secunda.

Magistratus non homo. Patri de reg. lib. 8. tit. 5.

Iliad. 10.

iudicio

Magistratus.

iudicio relinquantur? Magna vis legis est, at maior autoritas magistratus; in lege via est, at in magistratu vita; sine lege ciuitas languescit, at sine magistratu perit: est enim lex regula quâ dirigitur, est magistratus anima qua conseruatur: si ergo lex aliquandò erret, relinquitur magistratui vt erratum corrigat. Sed quid est defectio legis? Quæ cura magistratus? Quę ratio cur magistratus tantam authoritatem vendicet? Defectio legis est lapsus humanæ prouidentiæ, quæ in rebus singulis, contingentibus & futuris quodammodo cæcutiuit. Vetus est illud, Aliquando bonus dormitat Homerus. Nemo mortalium omnia tempora, mores, casus, euenta potest prospicere, fieri certè non potest vt mens Solonis omnes rerum vicissitudines, omnesq; mutationes morum præuideat: homo deus non est cui omnia præsentia simùl. Quod cum ita sit, conniuendum est si ipse Argus dormiat, si sapientissimus inter mortales erret; sit ergo prouidentiæ error defectio legis, quæ si contingat alio nullo modo aptius corrigi & emendari potest quàm solo iudicio boni magistratus. Cura igitur magistratus in hoc consistit vt deficiente lege æquitatem sibi comitem asciscat, difficiles causas lege non decisas iustè & prouidenter discutiat, sententiam de re dubia non incertam & vacillantem ferat, eamq; pro lege in similibus euentis posteritati relinquat. Ratio cur magistratus tantam authoritatem sibi concedi postulat confirmationem propositæ quęstionis in se comprehendit, quę quidem consistit in quatuor argumentis, quorum primum à descriptione, secundum à similitudine, tertium à maiore, postremum à diuisione ducitur. A descriptione magistratus qui est interpres & moderator legis, quod certè fieri non potest si legem aut errantem aut deficientem non explanet, non moderetur; nam interpretis est sensum rei dextrè exponere, moderatoris verò errata defectionesq; corrigere & emendare: si ergo in ciuitate causæ difficiles casusq; incerti & ancipites occurrant, quæ non definiuntur legibus, non ad legem, quia non existit, sed ad magistratum, qui semper in puppi ciuitatis sedet, confugiendum erit, à quo vt ab Apollinis Tripode sententiã æquitatis expectemus

Defectio legis.

Pro magistratu rat. 4.

Patri. de rep. lib. 1. tit. 5. & lib. 3. tit. 1. Floccus seu Fenestella in præfat. de potest. Rom.



expectemus. A similitudine hoc ipsum probatur. Nam vt deficiente ratione, quæ est lex naturæ, ad deum: ita rationis normâ deficiente, quę est lex ciuitatis, ad ipsum magistratũ confugimus; quippè vt medici defectus corporis: ita magistratus defectus legis & ciuitatis supplent & sanant. A maiore hoc modo. Si sit in potestate magistratus leges condere, multo magis penes magistratum erit legis defectum corrigere & moderari: sed est in potestate magistratus leges condere: ergo multo magis penes magistratum erit defectus legum corrigere & moderari. Propositio constat à maiore ad minus. Assumptio probatur, quia leges nihil aliud sunt quàm decreta magistratus ciuitatis calculis approbata. Postrema ratio à diuisione susceptа sic se habet. Quòd defectus legis relinquendi sunt vel populo vel magistratui: at populo relinqui non debent: ergo magistratui sunt relinquendi. Maior patet, quia inter populum & magistratum non est medium. Minor probatur, quia populum conuocare aut in senatum cogere ad omnem defectum legis sarciendum res quidem non tàm absurda quàm difficilis videtur esse: absurda, quia quid stultius est, quid inconsideratius quàm in sexcentis casibus, quos leges non definiunt, multitudinem consulere? Difficilis, nam quid laboriosius est quàm de singulis erratis legum, quę quotidiè & vbiq; emergunt, populum ad nouum concilium congregare? Sapienter ergo Aristo. hoc loco concludit omnia & singula quæ non sunt decisa lege iudicio magistratus esse referenda. Nam vt cum morbus corporis nos vulnerat, ad solum medicum: ita cum defectus legis nos mouet, ad solum magistratum confugere oportet. Vt enim in medico est scientia & spes salutis: ita in magistratu est experientia & salus ciuitatis. Discant hinc principes quanta sit moles regni, discant se leges tanquam claues suis manibus tenere, si rectè aperiunt ciuitatis portas pax & iustitia, sin malè lis & discordia regnant. Traduntur claues illorum manibus in signum potentiæ, caueant ne timor; traduntur leges in signum iustitię, caueant ne furor regat: si claues desint non vi sed arte sunt reserandæ fores, si leges desint non vi sed arte

sunt

Magistratus, Medicus. Plat. in Politico.

Apostrophe. Claues ciuitatis.

sunt componendæ lites; vis diros tyrannos, ars veros magistratus decet. O magni Cæsares grande est onus imperij quod humeris sustinetis, gloriola hæc vestra breuis est sed plena periculo, discite ergo prudentiam, discite iustitiam moniti: prudentiam vt illâ prediti leges condere, iustitiam vt illâ ornati legum defectus tollere possitis; sit vita vestra lux ciuitatis, & honor regni splendor virtutis: gloria nulla est vt viuat Cæsar, at gloria magna est si Cæsar iustè viuat. Concludam verbo:

Virgil.

*Omnia Cæsar erat, sed gloria Cæsaris esse*
*Desiit, & tumulus vix erat octopedum.*

## Distinctio.

Quæ legibus nõ sunt decisa magistratus iudicio sunt referẽda

Cic. de orat. lib. 1.

- Quia magistratus officium est leges moderari, omnesq; defectus supplere.
- Quia magistratus est oraculum ciuitatis, à quo ciues auxilium consilium que in rebus dubijs petunt.
- Quia magistratus authoritatem habet condendi; ergo multò magis corrigendi legem.
- Quia populus tam commodè & sapienter non potest hoc ipsum agere.

Opp. *Antè positum est ab Aristotele iudicium rerum ad populũ pertinere: ergo malè hoc loco defenditur contrarium.*

Resp. *Contrarium hîc non defenditur, nam iudicium sic pertinet ad populum, vt ciues iudices & magistratus fiant, non tamen vt in priuatis causis publicas sententias ferant: si ergo contingat aliquos ex multitudine ad dignitates ciuitatis promoueri, hij quidem actu possunt causas discernere nec non legum defectiones & errata corrigere.*

Opp. *Aristoteles in precedenti Cap. ait nihil faciendum esse regi sua voluntate, & in hoc Cap. hæc habet verba. Qui hominem iubet*
„ *imperare addit & feram; quasi diceret, lex vt recta norma, homo vt truculẽta & crudelis fera imperat. Ex his concludo defectus legum non esse homini relinquendos.*

Arist. de mundo ad Alex.

Resp



Resp. *Non solùm ait Philosophus in precedenti Cap. nihil agendum esse regi pro sua voluntate, sed hoc etiam addit pro sua libidine; quasi diceret nõ affectio sed ratio in magistratu regeret. Idipsum ad alterum locum respondeo, quòd per feram affectum non magistratum intelligat.*

Non affectio sed ratio in magistratu regeret.

Opp. *Defectio legis per magistratum non corrigitur sine ratione: ergo non sine lege. Argumentum probatur, quia ratio est lex naturæ vt est in quinto Ethicorum: & lex naturæ ratio, vt in primo de legibus.*

Resp. *Fallax est argumentum, nam mutatur sensus, quippè Philosophus legem ciuilem non naturalem intelligit.*

Lex Ciuilis Naturalis.

Opp. *Periculosum est nouas leges constituere: sed quæ non sunt legibus decisa pro arbitrio magistratus definire, est nouas leges constituere: ergo periculosum est quæ non sunt legibus decisa magistratus iudicio definire. Maior est Aristotelis in quarto Politicorum. Minor probatur, quia decretum magistratus habetur pro lege.*

Vid. Pol. a. c. 6.

Resp. *Primùm respondeo periculosum nõ esse nouas leges constituere si legum defectu desiderentur nouæ; hoc quoq; affirmo defectus legum resarcire non esse nouas leges constituere. Nam vt medicus qui morbum corporis tollit nouam sanitatem non introducit: ita magistratus qui legis defectum tollit nouas leges non constituit. Quòd verò dicis decretum magistratus haberi pro lege, respondeo id verum esse si populi consensu approbetur.*

Cic. pro Flac.

Opp. *Aliquando contingit defectum legis esse in rebus quæ statum totius reipublicæ spectant: sed in tali defectu omnia magistratus iudicio relinquere est valdè periculosum: ergo omnia quæ non sunt decisa lege non sunt magistratus iudicio relinquenda.*

Resp. *Argumentũ hoc est à secundùm quid (vt aiunt) ad simpliciter, quippe non sequitur hoc tollendum esse omninò iudicium quia in tali defectu est periculosum. Præterea respondeo in tali quoq; defectu magistratus authoritatem maximè valere: nam etsi populus præbeat consensũ, magistratus tamen rem totam definit suâq; sententiâ absoluit consilium.*

Laus Deo.

# LIBER QVARTVS.

## CAP. I.

*An politici sit reipublicæ optimæ ſpecies, differentias, vires, & leges deſcribere, tametſi talis nuſquam poteſt exiſtere?*

Refutantur calumniatores Ariſt.

IN iuſtam reprehenſionem incurrũt hîc interpretes, qui Ariſt. in hoc & ſubſequentibus libris nugas egiſſe aſſerunt; certè (ſi quid ſalis in politicis præceptis habeam, quod ſentio quàm ſit exiguum) exiſtimo tam nugas eum fugere, quàm qui res maximi ponderis ſcribere & demonſtrare contendit; quippè iam penetralia ciuitatis reſecat, arcana & veluti myſteria rerumpublicarum reſerat, genera, formas, vires, conditiones, leges cuiuſq; ſtatus & adminiſtrationis explicat; toto igitur corpore & omnibus (vt aiunt) viribus in hoc ſtudium incubui, vt ſicut in prioribus ita in his quoq; dilucidè nobis eloquatur Philoſophus. Scio equidem, nec non libenter agnoſco, multa in his libris eſſe denſis circumfuſa præcepta tenebris, ſcio etiam illum diu multumq; in re vna verſari; in quorum altero obſcuritas, in altero tædium ineſt; cæterùm in rebus pulchris ſciendi amor obſcuritatem, ſtudendi labor ipſum tædium tollet: hoc autem vt fiat certè ipſe conabor, vt tam luce interpretationis, quàm multiplicis quæſtionis varietate vtrumq; diminuatur. Sed ad Philoſophum iam exponendum accedo, qui poſtquam rempub. in rectam & non rectam diuiſerat, vtriuſq; ſpecies abundè ſatis explicuerat, ad alias nunc formas declarandas venit: & vt apertè agam, diuiditur hic liber in quatuor partes, quarum prima diuiſionem rerumpub. in genere, ſecunda ſingulas partes eiuſdem diuiſionis, tertia inter omnes

Multa in Politicis obſcura.

Pol. 3. c. 4. & 5. Quatuor huius libri partes.



omnes optimam ciuitatis formam, quarta vires in omni republica neceſſarias, nempè conſultandi, iudicandi, imperandi continet. In primo hoc capite demonſtrat Philoſophus quænam ſint à politico in hac ciuili ſcientia perpendenda, vndè deſumpta eſt hæc, quam ſuſcepimus, quæſtio, An politici ſit, reipub. optimæ ſpecies, differentias, vires, & leges deſcribere, tametſi talis nuſquam poteſt exiſtere? In tractatione huius quæſtionis à theſi ad hypotheſin progreſſus Ariſt. primùm oſtendit hoc requiri in omni ſcientia, vt non ſolùm commune obiectum ſed ſimpliciter optimum diſcutiat, vndè infert neceſſarium eſſe in hac ſcientia quoq; vt non ſolùm quid ſit reſpub. communiter, ſed quæ ſimpliciter ſit excellens, accuratè perquirat. Ratio generalis ſic ſe habet. Omnes artes (quæ verſantur circa commune aliquod ſubiectum) conſiderare debent quid ſit optimum, & quid cuiq; conueniat: ſed ciuilis ſcientia (quæ eſt omnium artium nobiliſſima) verſatur circa commune aliquod ſubiectum: ergo ciuilis ſcientia conſiderare debet quid ſit optimum, & quæ cuiq; accommodentur. In hac ratiocinatione per optimum perfectionem cuiuſq; artis, per ea quæ cuiq; conueniunt vires ac proprietates, quæ de ſubiecto demonſtrantur, intelligit Philoſophus. Exempli cauſâ, in hac ſcientia ſubiectum eſt ciuitas, perfectio optima reſpub. ad quam vt ad ſcopum omnes contenderent; proprietates ſunt, vt conſultare, cauſas diſcernere, iudicare, magiſtratus gerere, aliaq; ſimilia quæ ciuitatem ornant & abſoluunt. Hoc probat Ariſt. duobus ſimilibus in textu, quia vt eſt gymnaſticæ artis conſiderare non ſolùm quæ ſit optima exercitatio corporis, ſed qualis cuiq; conueniat, & vt medicinæ eſt docere non ſolùm quæ ſit optima conſtitutio hominis, ſed qualis cuiq; accommodetur: ita politicæ eſt ſcientiæ non ſolùm optimam rempublicam deſcribere, ſed vires, leges, proprietates, aliaq; cuncta, quæ omnibus cõueniunt, exactè demonſtrare; & quãuis reſpub. talis omnibus ſuis numeris abſoluta nuſquam terrarum orbis appareat, ſapienter tamen à Philoſophis delineari debet; quod ſequentibus argumẽtis partim ex Ariſtotele,

Quid requiratur à politico.

Non ſubiectũ commune modò, ſed & optimum in quaq; ſcientia diſcutiendum.

Ratio.

Pol. 1. c. 1. l. 3. cap. 8.

Proprietates ciuitatis.

partim ex alijs desumptis probo. Primum à comparatis est, Nam quemadmodùm philosophi in contemplatione naturę de æqualitate ponderis & vndiq; perfectâ elementorum cõmixtione non ineptè differunt, & vt medici de mirabili consensu & eucratia humorum, quæ nunquã in corpore humano extitit, acutè disputant: ita politici & sapientes viri de augustissimâ maximeq; perfectâ ciuitatis formâ præcepta tradunt, tametsi huiusmodi nusquam eminet aut emergit. Sed vt illi hæc duo quasi exactissima media eò ante oculos figunt, quò meliùs quanta sit à medio declinatio intelligant: ita hanc formã reipub. describunt politici, vt qualis sit administratio ciuitatis rectiùs percipiant; & hoc certè non est absurdum, imò potiùs vtile & fructuosum, cum sapientissimi olim viri nec non peritissimi ciuitatis idipsum fecerint; nam aliter quid sibi voluit Cicero tam excellentem nobis oratorem cum descripsit? Quid sibi voluit Plato tam diuinam reipub. Ideam cum effinxit? Quid sibi voluit Morus doctum illum libellum de Vtopia in lucem cum emisit, si res vltra sortem viresq; humanas positę ad mediocritatis normã nos non allicerent? Sagittarij lectissimi non semper iaculis attingunt scopum, satis est si metam aliquandò colliment: ita certè politissimi viri insignẽ hanc formam ciuitatis proponunt, vt eandem quasi metam intuentes ad summũ proviribus dies noctesq; ciues flecterent. Quemadmodũ ergo mathematici punctum indiuisibile, quod non est, describũt, vt omnes lineæ à circũferentia ad illud pertrahantur: ita politici diuinissimam quandam reipub. formam, quæ non est, definiunt, vt omnia vestigia ciuium eò quàm maximè fieri potest dirigantur. Huc illud quoque accedit, quòd Deus optimus maximus ita suas leges dederit, vt proprijs nostris ipsorum viribus compleri non possint: non est ergo absurdum ea nonnunquam proponere, quæ acquiri facilè & comparari nõ possunt, præsertim si in illis propositis magnes attrahendi lateat; hoc est, si in illis vis magna insit, quâ veluti manu virtutis rectâ ad excelsa perducamur. Postremò quantum interest reipublicæ, vt hoc ipsum fiat nemo

Optima dum proponimus, media saltem assequimur.



mo paucis dicere aut demonstrare potest: sufficiat hoc vnũ, quòd tali descriptâ ciuitatis formâ plurimi acriùs virtuti studeant, bonoq; communi seipsos accommodent. Nam quid magis accendit animum hominis quàm viuacissima forma & imago virtutis? Præconium Achillis ad studium fortitudinis magnum Alexandrum mouit, multò magis autem nos forma virtutis ad studium ciuitatis commoueret. Sed satis non est politico viro hanc formam reipub. describere, addere oportet vires, mores, proprietates, officia, leges. Pergit ergo Philosophus in textu, eosque refellit qui aut solam optimam aut solam communem reipublicæ formã descripserunt; non enim inquit sufficit scire quænam sit simpliciter optima, sed etiam oportet scire quænam sit bona, imò scire oportet quænam sit ex conditione atq; (vt dicam) ex suppositione bona; scire denique oportet, quo pacto sit ab initio constituta, quàm diu conseruata, quibus legibus instructa, hæc inquam omnia politicum scire oportet. Si rationes istorum quæras, sequuntur in textu. Primum formę ciuitatis sunt perquirendæ, aliter quomodo vna administratio ab altera differat, penitus intelligi quidem non potest. Iterum si leges (quæ sunt nerui ciuitatis) politicus ignoret, qui potest formam administrandi secundũ leges iustè præscribere? Si mores populi sedulò ac diligenter non consideret, quales tandẽ leges, quos ordines, quas consuetudines morumq; præcepta tradet? Si officia, dignitates, iudicia, consultationes, aliasq; vires ac proprietates ciuitatis negligat, quibus tandẽ modis aut rectè rempublicam instituet, aut diu eandem institutam ab interitu naufragioq; conseruabit? Qui ergo politicus esse contendit, operępretium est vt hæc omnia distinctè & accuratè intelligat, nam aliter ipse errans periculosè, nauem reipub. scopulis allisam perdit: quod si fecerit non erit facilè vel ipsas tabulas concussæ ciuitatis saluas in portum trahere, quippè (vt hîc ait Arist.) non est minoris operis ac negotij « reipub. administrandę formam corrigere, quàm ab initio no- « uam aliquam constituere. Si hæc sint vera (vt sunt verissima) « quanta est incuria nostrorum temporum, in quibus multi

Nihil quod ad ciuitatem pertinet à politico prætermittendũ.

Leges ciuitatis nerui.

Miseræ ciuitatis perditi magistratus.

Hypseâ cæciores ciuiles magistratus gerunt? Qui non aliter quàm muta simulachra sine voce, sine vita, sine motu in subsellijs amplissimis ciuitatis sedent: intelligo pistores, cauponarios, sutores, alioscq; infimæ conditionis homines, qui turpi fænore saginati loca aliquandò magistratuum in vrbe tenẽt. Tales sunt qui meliùs de poculis quàm de legibus, aptiùs de fabulis Æsopicis quàm de tabulis & statutis ciuitatis disputent. Quid multis? Ignorantia gubernatoris nauem, stultitia magistratus ciuitatem perdit.

## Distinctio.

- Contemplatio viri politici est duplex,
  - Exquisita, quæ est reipub. insigniter bonæ non existentis, quæ tamen contemplatio est necessaria, vt probatur
    - A comparatione aliarum artium summum aliquid demonstrantium.
    - Ab inductione doctissimorum tale bonum effingentium.
    - A similitudine sagittariorũ scopum proponentium.
    - Ab vsu ciuium meliùs hoc modo viuentium.
  - Communis, quæ est
    - Legum,
    - Morum,
    - Officiorũ
    - Actionũ,

  Et hęc quoq; est necessaria, quia aliter
  - Formas reip. non potest distinguere.
  - Bonos ciues non potest efficere.
  - Bonas leges non potest præscribere.
  - Turã ciuitatẽ nõ potest conseruare.

Subiecti necessitas.

Opp. *Frustra de non ente disputatur: sed respublica insigniter bona, quæ nusquam existit, est non ens: ergo de illa frustra disputatur. Maior probatur, quia omnis quæstio aliquam materiam subiectam habet. Minor probatur, quia respublica talis non est: at non ens, est id, quod non est: ergo respub. talis est non ens.*

De non ente aliquando

Resp. *Primùm negatur maior, ratio est, quia de nõ ente vtilis est aliquando disputatio, vt de infinito, de vacuo, & negatione contradicentium:*



vtilis est disputatio.

*dicentium: hoc autem contingit aut cum non ens pro ente defenditur, aut vt ens (quod est oppositum non enti) per comparationem oppositorum meliùs intelligatur. Ad minorem aio, rempublicam simpliciter bonam non esse non ens, quamuis non actu existit quidem. Quòd non existat, causa est corruptio hominis non defectio in ipsa essentia ciuitatis. Exempli causa; non sequitur si hoc modo arguis. Non est in hac vita immortalitas propter lapsum hominis: ergo immortalitas non est; ita non tenet si similiter dicas, non est absolutè perfecta ciuitas propter imperfectionem hominis: ergo ciuitas perfecta non est.*

Optima respub. non ens ex corruptione hominis, non defectione sui.

Opp. *Vana est expectatio quam nullus fructus sequitur: ergo vana est contemplatio talis ciuitatis cuius fructus nunquam percipitur. Ratio est, quia tædium parit talis contemplatio, animosq; ciuium defatigat, imò in desperationem finis assequendi vrget.*

Sine fructu tædium.

Resp. *Natura non est defatigata, etsi simpliciter optimam temperiem non cernit; sagittarius omnem spem non deponit, etsi semper scopum telo non attingit. Similiter studiosus ciuis hanc formam vt optimam temperiem & signum præclaræ ciuitatis ante oculos ponit, ad illam suas omnes actiones dirigit, mores conformat, vitam instituit, & quamuis varijs iactatus casibus non semper attingat, conatur tamen hoc modo vt quàm optimus esse videatur, non ergo tædium sed alacritatem, non desperationem sed spem maximam virtutis in ciuium animis hæc contemplatio generat.*

Spes alit.

Opp. *Scientia politica est vniuersalis, vt hoc loco docet Philosophus: sed scientia legum singulares actiones hominum (vt est in ethicis) spectat: ergo ista scientia leges non tractat.*

Eth. 5. cap. 3.

Resp. *Scientia politica consideratur bifariam, vel quoad theoremata & præcepta sua quæ tradit, & sic est vniuersalis & demonstratiua; vel quoad actum vsumq; ciuitatis, & sic vniuersalia præcepta ad mores ciuium, vt medicus ad morbos hominum accommodat: vtroq; modo accepta leges considerare debet, generatim videlicèt demonstrando optimam, speciatim conseruando bonam & communem.*

Duplex politices consideratio.

Opp. *Est iurisperiti leges legumq; differentias considerare: ergo ad politicũ non spectat. Argumentum probatur, quia iurisprudentia & scientia politica sũt distincta artes, muneraq; diuersa habent.*

Legum consideratio ad politicum definitiuè, ad iurisprudentem positiuè pertinet.

Resp. *Iurisprudentia & scientia politica cognatæ sunt & veluti subalternatim positæ. Respondent ergo interpretes legum considerationem pertinere ad politicum definitiuè, ad iurisprudentem verò positiuè. Ratio est, quia ille demonstrat ex officio quomodò leges positæ primis legum causis ac principijs conueniant, hic verò easdem promulgat & exequitur.*

Opp. *Omnes legum ac rerumpub. circumstantias considerare longam requirit experientiã: sed scientia politica experientiam non requirit: ergo omnes legum ac rerumpub. circumstantias considerare non debet. Maior constat, quia circumstantiæ legum ac rerũpub. in actionibus moribusq; hominum ponuntur.* Ars longa, vita breuis. *Minor quoq; patet, quia scientia politica in particularibus non versatur, vt docet Philosophus per comparationem huius scientiæ cum alijs artibus in fronte istius capitis.*

Circumstantiæ legum dupliciter considerantur.

Resp. *Circumstantiæ legum ac rerumpub. considerari possunt duobus modis, vel secundùm præscriptum artis, & sic politicus illas considerat: vel secundùm actum iustitiæ & æquitatis, & sic illas non tractat: accommodat tamen suam contemplationem ad singulas actiones moresq; hominum non secundùm experientiam, quam semper non quærit, sed secundùm scientiam rerum quam habet. Respondeo igitur necessarium esse politico viro vt legum ac rerumpublicarum circumstantias consideret quoad præscriptionem rationis, non tamen est necessarium semper vt consideret quoad executionem æquitatis, quam solùm magistratibus ciuitatis relinquit; hoc est (quod antea ostendimus) definitiuè ad politicum, positiuè ad magistratum hæc omnia consideranda spectare.*

Legum circũstantiæ quomodo considerandæ à politico.

## Dubium.

*An sit difficilius deprauatam rempub. corrigere quàm ab initio nouam constituere?*

Bruso. lib. 2. cap. 23. Dediscit animus serò quod didicit diu. Senec.

TIMOTHEVS insignis ille musicus olim à multis (quos suam artem docuit) duplicẽ postulasse mercedem dicitur, vnam vt obliuionem eorũ quę malè didicerant edoceret, alteram vt illorum animos suâ scientiâ probè institueret:

agnouit



agnouit vir prudens, non minùs laboriosum esse malè percepta dedocere quàm artis præcepta rectè perdiscere. Vt est in arte, ita est in ciuitate, quam deprauatam corrigere multò difficilius est quàm à fundamentis nouam constituere. Quippè si consuetudo (siue bona sit siue mala) altera natura fiat, si praua assuefactio ciuium altas radices agat, res non tam ardua quàm periculosa erit omnes fibras euellere, moresq; populi commutare. Nam vt planta adhuc herbescens flecti quidem facilè in rectum potest, succrescens verò in altum non potest: ita ciuitas recens instituta facillimè ad virtutem iustis legibus conformatur, malis autem moribus assuefacta rarissimè aut nunquam iniquam consuetudinem deponit. Qui optat ædificium esse stabile, à firmissimo fundamento debet incipere: ita qui velit ciuitatem rectam instituere, prima initia & quasi seminaria morum illum respicere oportebit. Nam aliter vt malè constructam domum non est minoris operis reparare quàm extruere: ita minorem non requirit industriam ciuitatis reformatio quàm ciusdem de nouo constitutio. Respublica Romana olim sapienter fundata accreuit multùm, florebat diu: at licentiâ Tribunorum popularis facta ad pristinam administrationis formã nullâ industriâ reuocari potuit. Magnæ molis erat Romanam condere gentem. At maior lapsam conseruare. Præcauere morbum res ardua non est perito medico, at laborantem curare est difficillimum: sic quidem politico viro facilè est nascentem rempub. perpolire, at labentem erigere opus magnum est & valdè difficile. Summa hæc est, laboriosius habetur malè percepta dediscere quàm benè præcepta discere: ergo difficilius est deprauatam rempub. corrigere quàm ab initio nouam constituere. Sic in textu Aristo. Iterum, malam consuetudinem deponere est longè difficillimum: ergo ciuitatem deprauatam corrigere est laboriosum. Adhuc, mutatio legum in ciuitate est periculosa: ergo multò periculosior est muratio morum. Præterea, facilius est domum à fundamento extruere quàm ruinosam resarcire: ergo difficilius est malam rempublicam emendare quàm nouam instituere.

Consuetudo altera natura.

Difficilius corrigere, quàm construere. Macch. in Liu. lib. 1. cap. 3. Virg. Æneid.

Prima ratio.

Vid. Pol. 2. c. 6.

Hoc ipsum probat exemplum Romanæ ciuitatis quæ lapsa non refloruit, & similitudo valetudinis quæ semel infirmata non facilè restituitur.

Distinctio.

Quòd difficilius sit rempub. deprauatam corrigere quàm nouam constituere probant
- Ratio in illis similibus quæ antea distinctè explicantur.
- Experientia, quâ legum morumque mutatio admodum esse periculosa vbique cognoscitur.

Correctio paucorum, Constitutio omnium.

Opp. *Correctio seu emendatio est paucorum, constitutio verò est omnium: ergo rempub. deprauatam corrigere non est difficilius quã nouam constituere. Antecedens patet ab interpretatione eorum quæ corriguntur & constituuntur de nouo. Ratio sequitur, quia facilius est pauca quàm multa in ordinem redigere.*

Resp. *Difficultas ista non est respectu paucitatis in rebus, sed respectu peruersitatis in hominibus, quos mala consuetudo magis quã moles premit. Quamuis ergo constitutio sit omnium, correctio verò paucorum: quoniam tamen in illa est quædam ciuium propensio ad bonum, in hac verò illorum deprauatio, hanc multò difficiliorem esse affirmamus.*

Generatio alteratione difficilior.

Opp. *Difficilius est ex non ente ens nouum facere quàm ens declinans restituere: sed constituere rempub. de nouo, est ex non ente ens nouum facere, corrigere verò est solùm rempub. declinantem restituere: ergo difficilius est rempub. de nouo constituere quàm eandem deprauatam corrigere & emendare. Maior constat, quia generatio est opus naturæ difficilius quàm alteratio. Minor probatur, quia constituere de nouo rempublicam est nouam generare, corrigere verò est solùm alterare.*

Natura potens vndique.

Resp. *Generatio non est opus naturæ difficilius quàm alteratio, si vim ac potentiam naturæ spectes. Ratio est quia natura non minus efficax est in internis quàm in externis rerum acquirendis formis. Respondeo igitur hoc argumentum non tenere à comparatione, imò affirmo deprauationem reipu. non solùm alterationem sed potiùs corruptionem esse reipub. Et vt est medico impossibile mortuum ad vitam reuocare: ita est politico valdè difficile rempublicam corruptam ad rectam administrationis formam reducere.*

CAP.



## CAP. II.

*An tyrannis sit deterrima inter labes reipublicæ?*

HOC caput in tribus consistit, nempè in descriptione tyrannidis, in reprehensione Platonis, & in demonstratione ordinis quem in sequentibus præceptis sequetur Philosophus. Sed antequam ad tyrannidem describendam venit, superiùs allatam diuisionem reipub. in rectam & non rectam pauciſſimis repetit, docetque se rectæ reipublicæ tres declarasse species totidemque non rectæ, quæ labes & transgressiones ciuitatis vocantur. Rectæ sunt vt regnum, optimatum imperium, & ea quæ communi nomine respublica seu politia dicitur; non rectæ vt tyrannis, paucorum potentia, & timocratia, in quas tres illæ priores aliquando labentes cadunt. Nam regni lapsus in tyrannidem, aristocratiæ casus in oligarchiam, politiæ ruina in populi furorem vertitur, horumque; conuersio iterũ in tres illos meliores status formasque; administrationis reuocatur. Sic tempora, sic imperia, sic rerũpub. status suas vicissitudines & conuersiones habent, fluit & refluit humana potentia, nunc in altum surgit, nunc tandem in cinerem commutatur, sic rotas agit natura, sic hominis prudentia cadit. Sed hęc in proximo libro (vbi de conuersionibus rerum pub. agitur) luculenter patebunt. Nunc sequitur tyrannidis descriptio seu eiusdem cum reliquis administrandi formis comparatio, vnde hæc quæstio quã nunc tractamus agitatur. Vtrũ tyrannis sit inter omnes reipu. labes longè deterrima? Deterrimã esse Arist. hoc loco affirmat, rationeque; ab oppositis ductâ sic probat. Quicquid optimo maximè opponitur idipsum est deterrimũ: sed tyrannis optimæ administrandi formę opponitur: ergo tyrannis est deterrima.

Cap. diuisio.

Pol. 3. c. 4. Ciuitas recta, non recta. Pol. 3. c. 5.

Vid. Pol. 3. c. 11 & Machiau. in Liu. lib. 1. c. 2.

Tyrannis deterrima labes in repub.

Propositio

Vide Pol. 3. Monarchia omnium administrationũ augustissima. Monarchiæ & Tyrannidis Antitheſis.

Propoſitio tenet à loco contrariorum, quorum oppoſita eſt natura. Aſſumptio probatur, quia tyrannis eſt peſtis monarchiæ quæ omnium adminiſtrationum eſt longè auguſtiſſima. Eſt enim monarchia beata ciuitatis conſtitutio, eſt tyrannis ipſa ciuitatis lues atque miſeria; eſt in monarchia rex aut conſilio admiſſus aut ſucceſſione deſignatus, eſt verò in tyrannide truculentus leo; in monarchia proponitur virtus, in tyrannide triumphat ſcelus; leges in monarchia apertè loquuntur, at in tyrannide oracula ciuitatis ſilent; in regno communi bono ſtudetur, at in tyrannide populus opprimitur. Quid multis? Opponuntur hæc duo per omnia: ergò monarchiâ exiſtente optimâ neceſſe eſt vt tyrannis omnium peſſima habeatur. Hactenùs ex Ariſtotele generatim, nunc ſpeciatim ex interpretibus hoc ipſum probo, & primũ ab inſtinctu naturæ, quæ tyrannidem vt monſtrum abhorret ac deteſtatur: videre hoc licet in multis, maximè tamen in homicidis, qui naturæ digitum & indicium tremebundi fugiunt. Quis quæſo hoc ignorat, interfectum præſente homicidâ ſanguinem effundere? At quæro ſanguinis effluendi cauſam; aliam certè dare non potes præter Deum ac naturam, qui homicidium & tyrannidem hoc modo produnt. Hoc modo execrantur oues lupum, quadrupedes leonem, aues aquilam, vrtica marina ſecurim, tota denique natura odioſam tyrannidem, & crudelitatem vt ſibi maximè pernicioſam & inimicam fugit. Eſt ergo tyrannis vt naturæ ita ciuitati infeſtiſſima. Nam vt ab effectis diſputem, qualis eſt & quàm miſeranda ciuitas in qua tyrannus regnat? Nonné in illa oppreſſio multitudinis, effuſio ſanguinis, ordinis confuſio, violatio legum, rerum omnium perturbatio ineſt? Caput Pompeij via placuit Cæſari, Ciceronis caput Antonij furori non ſatisfecit, triginta ſenatorum capita in primis ferculis offerebantur Mario, Nero Senecam præceptorem necuit, matriſque ſuæ viſcera (horrendum eſt dictu) vulnerauit; hos actus, has ſcænas tyrannidis tragædia habet. Vę ergò ciuitati in qua tyrannus regnat. Porrò quid (obſecro) magis infeſtum eſt humanæ naturæ quàm atrox & ferina crudelitas?

Contra tyrannidé rat.

Odioſiſſima apud omnes tyrannis.

Effecta tyrannidis.

Cor. Tac. annal. lib. 14.



litas? Ratio in homine non furor, manſuetudo non immanitas ſecundùm vim naturæ principatum tenet. Quanta eſt igitur declinatio à natura cùm leo ex homine, ex manſueto tyrannus fiat? Eſt ergo tyrannis non ſolùm contra naturam in genere, ſed etiam contra rationem in qua maximè eſſentia humana cernitur. Si hîc ſtragem multarum ciuitatum, quæ fulmine tyrannidis perculſæ ceciderunt, ante oculos depingerem, in immenſum accreſceret oratio mea, lachrimæ temporum, lugubres veſtes maiorum, miſerabiles voces & clamores multarum ciuitatum maximè execrabilem hunc ſtatum reipub. eſſe declarant. Teſtes huius rei ſunt omnes hiſtoriæ quæ Dionyſios, Phalarides, Nerones, Heliogabalos aliaque portenta mundi nobis deſcripſerunt. Nihil hîc dicam de ſacra philoſophia legeq; diuina, quæ Antiochum, Herodem, alioſque truculentos tyrannos viroſque ſanguinis frequenter meminit. Concludam verbo, tyrannis eſt quaſi vipera concepta in vtero ciuitatis, nam vt vipera in lucem non editur ſine ruptura matris: ita tyrannis non exiſtit ſine ruina & interitu ciuitatis. Eſt ergo tyrannis omnium adminiſtrationum peſſima ſiue cum bonis ſiue cum malis reipu. formis comparetur: cum peſſimam dico, intelligo paucorum potentiam, populique inſaniam & furorem prauitate ac pernicie ab illa ſuperari. Hinc occurrit ſecundum, quod in hoc capite tractatur, nempè inſinuata reprehenſio Platonis, qui dicebat popularem adminiſtrationem eſſe peſſimã, ſi comparetur cum rectis: ſin verò cum non rectis eſſe optimam. Quaſi diceret, rectarum rerumpublicarum eſt vna deterrima, cum tamen nulla ſit mala, & non rectarum eſt vna optima, cùm tamen nulla ſit bona; omnes enim rectę reſpublicæ ſunt bonæ quamuis gradus quoſdam perfectionis habent, omnes non rectæ malæ dicuntur quamuis vna illarum altera peior deteriorque in comparatione vnius cum altera in eodem genere habeatur. Tertium quod hîc agitur eſt demonſtratio ordinis quem in ſequentibus tradendis præceptis Ariſt. propoſuit. Primùm inquit diſtinguendum eſt quænam ſint differentiæ rerumpublicarum, deinde quænam reſpublica

Tyrannis idé ciuitati, quod vipera matri. Plat. pol. 3. ad finem.

Reprehenſio Platonis. Plat. in politico.

Methodus Ariſtotelica

ca sit communissima maximeque expetenda præter illam optimam quam descripsimus. Per optimam hoc loco non solùm monarchiam sed etiam aristocratiam intelligit, quia hæ duæ administrandi formæ eadem lege virtutis deuinciuntur, referunturque ad idem bonum ciuitatis. His expositis (inquit) videndum est quænam gubernatio cuiq; populo ac ciuitati conueniat,& qualis is debeat esse qui alijs præest; tandem verò cum horum omnium breuis ac dilucida facta fuerit mentio,conandum est vt causæ euertentes & conseruatrices rerumpub.adamussim atque ad viuum delineentur; quibus cognitis multò tutior in quouis statu reipublicæ administratio erit. Postremò ne seges ciuitatis penitùs negligeretur, ostendendum est quibus artibus quibusque moribus imbui & ornari debeat iuuentus, in qua flos reipublicæ crescit,spesque futuræ ciuitatis emergit.

## Distinctio.

Tyrānis quot nominibus sit pessima.

In tyrānide spectantur

- Persona gubernans, & sic est omnium administrationum pessima,quia per vim aut fraudē imperiū occupatur.
- Persona gubernata, & sic est omnium miserrima, quia populus opprimitur.
- Materia tractata,& sic est omnium deterrima, quia in illa virtus extinguitur.
- Finis proposita,& sic est omnium funestissima,quia bonum ciuitatis in priuatum vsum conuertitur.
- Comparatio facta, & sic est omnium perniciosissima, quia per omnia monarchiæ (quæ est optima constitutio reipub.) opponitur, vt superiùs multis argumentis apertè ostendimus.

Opp. *Quicquid aliquando est vtile & necessarium in ciuitate, id ipsum non est omnino pessimum: sed tyrannis est aliquando vtilis & necessaria in ciuitate: ergo tyrannis non est pessima. Maior constat, quia vtile cum honesto, necessarium cum virtute coniungitur. Minor probatur, quia tumultuante seditione ciuili vtilis & necessaria est dictatura, quæ nihil aliud est quàm approbata tyrannis, vt Romanæ leges olim definierunt.*

vide pol.4. cap.10. Dictatura est tyrannis approbata.

Resp.



Resp. *Tyrannis nunquam est aut vtilis aut necessaria, ne tum quidem cum seditio ciuilis & intestina sæuat; neque est dictatura violenta tyrannis, sed voluntaria, iusta, & approbata seueritas. Quòd verò dictatura tyrannis nominetur, hinc fit quia dictator in tempestate seditionis vitæ & necis potestatē habet, omniaq; in tanta reipub. procellâ pro arbitrio & non secundum leges regit: in hoc tamen à tyrannide differt, quod illa solum malos & seditiosos, hæc verò bonos & studiosos ad carnificinam trahat.*

Quomodo à tyrannide differat dictatura.

Opp. *Oligarchia & timocratia sunt deteriores tyrannide: ergo tyrannis non est deterrima. Antecedens probatur, quia illi status sunt deteriores in quibus plures tyranni regnant, quàm qui vnum solùm tyrannum habent: sed in oligarchia & timocratia sunt plures tyranni, in tyrannide verò est solùm vnus: ergò oligarchia & timocratia sunt deteriores tyrannide. Minor huius syllogismi patet, quia in oligarchia furor paucorum, in timocratia insania & furor totius populi principatum tenet.*

Numerus auget nefas.

Resp. *Vt aristocratia & democratia non sunt meliores reipub. formæ quàm monarchia, quoniam in illis plures, in hac vnus iustè & studiosè regnat: ita oligarchia & timocratia non sunt deteriores status ciuitatis quàm est tyrannis, etsi in illis plures, in hac vnus imperium raptim & pro arbitrio teneat. Ratio est, quia vt in monarchia vnita est vis virtutum, dispersa in cæteris: ita in tyrannide omnium vitiorum contagio inest, quæ in reliquis non rectis administrandi formis magis dissipatur.*

Non quot, sed quales

Vis vnita fortior.

Opp. *Quæcunq; administratio maximè ciuitati nocet est omnium deterrima: sed furiosa populi administratio maximè ciuitati nocet: ergò furiosa populi administratio est omnium deterrima. Minor probatur, quia in furiosa populi administratione tyrannidis vis maior inest, impetusq; vehementior ratione multitudinis, quæ vniuersim conspirans totam ciuitatem concutit & deperdit.*

Vide Bodin. de repub.

Resp. *A falsa suppositione hoc argumentum ducitur, nam omninò nulla est talis administratio, in qua tota multitudo vniuersim & collectim furit. Timocratia seu mala gubernatio populi est, in qua fautoribus populi tribunisq; plebis claues reipublicæ committuntur: sed in his magis dissipatur vis tyrannidis quàm si vni Neroni permitterentur omnia.*

Opp.

ca sit communissima maximeque expetenda præter illam optimam quam descripsimus. Per optimam hoc loco non solùm monarchiam sed etiam aristocratiam intelligit, quia hæ duæ administrandi formæ eadem lege virtutis deuinciuntur, referunturque ad idem bonum ciuitatis. His expositis (inquit) videndum est quænam gubernatio cuiq; populo ac ciuitati conueniat,& qualis is debeat esse qui alijs præest; tandem verò cum horum omnium breuis ac dilucida facta fuerit mentio,conandum est vt causæ euertentes & conseruatrices rerumpub. adamussim atque ad viuum delineentur; quibus cognitis multò tutior in quouis statu reipublicæ administratio erit. Postremò ne seges ciuitatis penitùs negligeretur, ostendendum est quibus artibus quibusque moribus imbui & ornari debeat iuuentus, in qua flos reipublicæ crescit,spesque futuræ ciuitatis emergit.

## Distinctio.

Tyrānis quot nominibus sit pessima.

In tyrānide spectantur

- Persona gubernans, & sic est omnium administrationum pessima,quia per vim aut fraudē impetiū occupatur.
- Persona gubernata, & sic est omnium miserrima, quia populus opprimitur.
- Materia tractata,& sic est omnium deterrima, quia in illa virtus extinguitur.
- Finis proposita,& sic est omnium funestissima,quia bonum ciuitatis in priuatum vsum conuertitur.
- Comparatio facta, & sic est omnium perniciosissima, quia per omnia monarchiæ (quæ est optima constitutio reipub.) opponitur, vt superiùs multis argumentis apertè ostendimus.

Opp. *Quicquid aliquando est vtile & necessarium in ciuitate, ipsum non est omnino pessimum: sed tyrannis est aliquando vtilis & necessaria in ciuitate: ergo tyrannis non est pessima. Maior constat, quia vtile cum honesto, necessarium cum virtute coniungitur.*

vide pol. 4. cap. 10.

*Minor probatur, quia tumultuante seditione ciuili vtilis & necessaria est dictatura, quæ nihil aliud est quàm approbata tyrannis, vt Romanæ leges olim definierunt.*

Dictatura est tyrannis approbata.

Resp.



Resp. *Tyrannis nunquam est aut vtilis aut necessaria, ne tum quidem cum seditio ciuilis & intestina sæuat; neque est dictatura violenta tyrannis, sed voluntaria, iusta, & approbata seueritas.*

Quomodo à tyrannide differat dictatura.

*Quòd verò dictatura tyrannis nominetur, hinc fit quia dictator in tempestate seditionis vitæ & necis potestatē habet, omniaq; in tanta reipub. procellâ pro arbitrio & non secundùm leges regit: in hoc tamen à tyrannide differt, quòd illa solùm malos & seditiosos, hæc verò bonos & studiosos ad carnificinam trahat.*

Numerus augeт nefas.

Opp. *Oligarchia & timocratia sunt deteriores tyrannide: ergo tyrannis non est deterrima. Antecedens probatur, quia illi status sunt deteriores in quibus plures tyranni regnant, quàm qui vnum solùm tyrannum habent: sed in oligarchia & timocratia sunt plures tyranni, in tyrannide verò est solùm vnus: ergò oligarchia & timocratia sunt deteriores tyrannide. Minor huius syllogismi patet, quia in oligarchia furor paucorum, in timocratia insania & furor totius populi principatum tenet.*

Non quot,sed quales

Resp. *Vt aristocratia & democratia non sunt meliores reipub. forma quàm monarchia, quoniam in illis plures, in hac vnus iustè & studiosè regnat: ita oligarchia & timocratia non sunt deteriores status ciuitatis quàm est tyrannis, etsi in illis plures, in hac vnus imperium raptim & pro arbitrio teneat.*

Vis vnita fortior.

*Ratio est, quia vt in monarchia vnita est vis virtutum, dispersa in cæteris: ita in tyrannide omnium vitiorum contagio inest, quæ in reliquis non rectis administrandi formis magis dissipatur.*

Vide Bodin. de repub.

Opp. *Quæcunq; administratio maximè ciuitati nocet est omnium deterrima: sed furiosa populi administratio maximè ciuitati nocet: ergò furiosa populi administratio est omnium deterrima. Minor probatur, quia in furiosa populi administratione tyrannidis vis maior inest, impetuſq; vehementior ratione multitudinis, quæ vniuersim conspirans totam ciuitatem concutit & deperdit.*

Resp. *A falsa suppositione hoc argumentum ducitur, nam omninò nulla est talis administratio, in qua tota multitudo vniuersim & collectim furit. Timocratia seu mala gubernatio populi est, in qua fautoribus populi tribunisq; plebis claues reipublicæ committuntur: sed in his magis dissipatur vis tyrannidis quàm si vni Neroni permitterentur omnia.*

Opp.

Opp. *Quicquid eſt legitimum idipſum non eſt deterrimum: ſed tyrannis eſt legitima: ergo tyrannis non eſt deterrima. Minor probatur, quia rectè vt definit quidam, Rex bonus eſt dextra, tyrannus verò eſt ſiniſtra Dei: nam ille clemẽtiæ, hic autem iuſtitiæ inſtrumentum dicitur: ſed iuſtitia Dei eſt legitima: ergo inſtrumentum eiuſdem, quod eſt aliquando tyrannus, iuſtam & legitimam authoritatem habet.*

Bonus rex dextra, Tyrannus ſiniſtra Dei. Vide Iob. 34. 30.

Reſp. *Duo in hoc loco conſideranda ſunt, diuina permiſſio & approbatio: Deus permittit ſæpè tyrannos regnare, at illorum regnum non probat, patitur Cainum occidere Abelem, Pharaonem perſequi ſuum ipſius populum, at Cainum in reprobum ſenſum tradidit, Pharaonem ſæuis fluctibus immerſit. Quòd verò tyrannis ſiniſtra Dei aut inſtrumentum aliquando dicatur, non arguit tyrannidem ob id eſſe iuſtam, ſed pœnam quam ciuitati inflixit eſſe legitimam.*

Per me reges regnant. Pro. 8. 15.

## Dubium capitis.

*An præſtet et labes reipublicæ ignorari à populo quàm à politico demonſtrari?*

AFFIRMAT Ariſt. in textu ſibi non ſolùm dicendum eſſe quænam ſint rectę adminiſtrandi formæ, ſed etiam quæ labes & maculę ciuitatis. Neſcio ſanè an hoc decretum Philoſophi magis proſit vel obſit populo, qui rerum malarum cognitione ſępè non aliter quàm piſcis eſcâ & hamo capitur. Ouidius meo iudicio meliùs diſſimulaſſet quàm ſcripſiſſet ſuam artem amandi, turpiter perfectò Albertus ille à ſecretis mulierum detraxit vela, ſanctior habitus eſt Cęſar qui miſerè confoſſus dextrâ pudenda naturę texit, erubuit Apelles cum pinxit Venerem: melius ergò videtur eſſe labes ciuitatis diſpungere ſilentis calamo, quàm ad viuum depingere Philoſophantis penicillo. Sed nugas ago, res longè aliter ſe quidem habet, nam mala cognita, vt eſt in prouerbio, faciliùs euitantur. Pręuiſa iacula minùs feriunt: ſi narratione rerum malarum vt piſcis hamo capiatur populus, vitium hominis eſt non ſcriptoris, nam apes ex ijſdem floſculis mel &

Mala non vitantur, niſi cognita.



& ceram ex quibus bufones toxicum venenum ſugunt: deſcribendę igitur ſunt labes & maculæ ciuitatis, primùm vt rectæ adminiſtrationis formæ hinc magis ſplendeſcant, nam oppoſita iuxta ſe poſita (vt docent Philoſophi) magis eluceſcunt, ſic deſcriptâ tyrannide auguſtior monarchia, ſic deſcriptâ paucorum potentiâ illuſtrior ariſtocratia, ſic deſcripto furore multitudinis beatior politia apparebit. Secundò ex deſcriptione iſta hoc commoditatis naſcitur, vt iuſtior & cautior ciuitas reddatur. Nam malis his demõſtratis rariores lapſus aut caſus habet. Tertiò vt in contemplatione naturę non ſolùm formæ, vires, motuſq; rerum, ſed etiam monſtra; vt in ſpeculatione medica non ſolùm ſalutares herbæ ſed etiam venena deſcribuntur: ita in adminiſtratione ciuili non ſolùm virtutes, ſed labes & peſtes reipub. delineari debent. Poſtremò his monſtris reipub. probè cognitis, tyrannorum impetus faciliùs repellitur, illorum iniuriæ, fraudes, inſidiæ faciliùs euitantur; quæ aliter oſcitantes nos opprimunt, & tanquam cęcos & imperitos rerum in gurgites malorum rapiunt. Vt ergo Philoſophi monſtra, medici venena, coſmographi magna terræ mariſque pericula deſcribunt, ne noceant: ita Ariſto. labes & peſtes reipublicæ demonſtrauit ne illis infectæ ciuitates pereant.

Quare deſcribendæ ciuitatis labes.

## Diſtinctio.

Quòd labes reipub. ſint deſcribendæ ſuadent rationes

- Ab oppoſitis, quia hoc modo rectæ reipublicæ formæ meliùs intelliguntur.
- Ab vtili, quia cautior hoc modo ciuitas efficitur.
- A ſimili, quia vt in medicina venena; ita in republica labes ciuitatis deſcribendæ.
- Ab vſu ſeu fine ſcientiæ, quia his cognitis iniuriæ, fraudes & inſidiæ tyrannorum faciliùs repelluntur.

Opp. *In benè adminiſtrata repub. non ſolùm mala ſed malorum cauſæ quoad fieri poteſt remoueri debent: ſed deſcriptæ labes ciuitatis ſunt malorum cauſa: ergo labes ciuitatis non ſunt deſcribendæ. Maior conſtat, quia fundamentum ciuitatis iuſtitia eſt. Minor probatur à ſimili. Nam vt idola Veneris & commenta Cupidinis iuuentutem: ita depictæ labes & tranſgreſſiones reipub. ciuitatem corrumpunt.*

Mala docentur cum deſcribuntur.

Pol.7.c.vlt. Pla.pol.2.Plu. de educ.lib.

*rumpunt. Quare vt illa secundùm Philosophum ab oculis & auribus remouenda debent, nè lædant iuuentutem: ita & hæc occultare oportet, nè perdant ciuitatem.*

Labes descriptæ malorum causæ acceptæ, non datæ.

Resp. *Descriptæ labes sunt causæ malorum acceptæ non datæ, quippe in illarum descriptione politicus non malum sed bonum ciuitatis prætendit. Si ergo scelerati ciues scorpionis ouа concipiant, regulosq; in patriam sibilantes ex ista conceptione pariant, ipsi quidem monstra fiunt, nam causam mali in seipsis habent. Argumentum à*

Nullum simile idem.

*simili rectè quidem docet (vt ait Philosophus) sed non omni ex parte & absolutè concludit. Nam etsi idola Veneris fabulæq; Cupidinis per oculos aureosq; iuuentutem aliquandò inficiunt, non tamen sequitur quòd descriptæ labes inficiant ciuitatem. Ratio est, quia in illa affectio & concupiscentia, in hac ratio & prudentia regnant.*

Opp. *Regis facinora dissimulari & occultari debent: ergo ciuitatis labes non debent demonstrari. Antecedens patet, quia si regis flagitia palàm fiant, contagio facile in præcordia populi permanabit: quippe, Regis ad exemplar totus componitur orbis. Argumentum*

Claud.de 4. cons. Honorij. Rex tota ciuitas.

*probatur quia rex nihil aliud est quàm tota ciuitas: ergo si regis facinora occultari debent, ciuitatis labes demonstrare non oportet.*

Reges peccant vt homines, non vt magistratus.

Resp. *Conspecta regum flagitia plurimùm offendunt, quia personam totius ciuitatis gerunt. Respondeo tamen argumentum non tenere, quia labes ciuitatis non sunt vt flagitia regis. Nam quamuis rex sit persona totius ciuitatis, peccat tamen vt homo, non vt magistratus. Præterea negamus regum facinora dissimulari debere, nam*

2.Reg.12. 3.Reg.18. Marc.6.18.

*hoc esset regibus placentia canere. Nathan adulterium Dauidis aperuit, sed occultè: Elias apostasiam Achab obiecit, & quidem apertè: Iohannes Herodi incestum non indulsit.*

Nostri macula temporis.

Opp. *Machiauellus infinita mala in ciuitatem inuexit describendo has labes, vt experientia docet: ergo describi non debent.*

Resp. *Machiauellus non vt labes sed vt rectas administrandi formas illas descripsit, multosq; rudes & inexpertos rerum flagitiosè pestiferâ ingenij calliditate fefellit.*

CAP.



## CAP. III.

*Vtrùm differentiæ rerumpub. rectè assignentur?*

TRIA hoc caput comprehendit, distinctionem rerumpublicarum, cõfutationem quorundam philosophorum, suæq; opinionis catastrophen & expositionem. In distinctione probat Arist. plures esse respublicas, earumque differentias naturæ vi ac specie distinctas assignat. Ratio in textu sic est. Illa specie differunt quæ partes specie diuersas habent: Sed respub. partes specie diuersas habent: ergo respublicæ specie differunt. Confirmatur hoc argumentum ab enumeratione partium ac multarum differentiarum, quibus ciuitas constat distinguiturq; : Nam ciuitas (inquit) in qualibet specie rei-pub. primùm ex familijs diuersis coalescit, deinde ex multitudine cohabitantium: quorum alij diuites, alij pauperes, alij medij & quasi vtriusque participes dicuntur: iterum horum alij armis, alij pacis studio & ornamentis sunt dediti. Sunt etiam ex plebe alij, quorum illi agriculturæ, hij mercaturæ, alijsq; artibus mancipantur. Nobilium quoque (vt ait) sunt aliæ differentiæ, nam inter illos alij genere, alij virtute, alij diuitiarum magnitudine excellunt, quales olim fuerunt Eretrienses, Chalcidenses, Magnesii, alijque Asiatici equis alendis dediti, qui suis ipsorum viribus, genere, opibusq; freti contra finitimos bella gesserunt, paucorumq, potentiam quasi ius quoddam sibi vendicarunt. Sed attende, hę quidem meo iudicio sunt communes differentiæ rerumpub. quas nunc tradit Philosophus, nam propriè & essentialiter (vt aiunt) diuersæ ciuitatis administrationes his differentijs nõ distinguuntur: opulẽti enim & pauperes, armati & studiosi pacis, genere nobiles & insignes virtute, agricolæ & mercatores, alijq; id genus multi in omni statu ac conditione ciuitatis viuunt.

Cap. diuisio in 3.

Quæ differant specie.

Rerump. differentiæ, Communes, Propriæ.

viuunt. Vt ergo penitiùs hanc rem partim ex Aristotele partim ex interpretibus consideremus, distinguendum est rerumpublicarum differentias esse vel communes vel proprias: communes sunt hæ quas diximus, ex quibus analogicè tot oriuntur rerumpublicarum constitutiones quot ciuium discrimina & conditiones habentur. Exempli causâ, si populus sit bellicosus, milites; si sit quæstui deditus, mercatores; si honori studeat, nobiles; si virtuti se accommodet, studiosi & excellentes viri principatum tenent: hinc politicus sapiens diligenter de moribus populi meditatus accuratiùs rempublicã constituet, aptiusque legibus conformabit. Communes ergò hæ differentiæ non sunt negligendæ, cum ex eisdem non solùm distinctio populi sed etiam forma

Propriæ differentiæ Generales, Speciales.

administrationis quodammodò cognoscatur. Propriæ differentiæ sunt (vt distinguunt interpretes) vel generales, vt recta & non recta, quemadmodum antea ostendimus; vel speciales, eædemque aut secundùm virtutem, vt ordo vnius ad omnes, nobilium vnio, consensio omnium: aut secundùm arbitrium, vt vnius libido, paucorum confusio, conspiratio & furor populi. In ordine vnius ad omnes monarchia, in recta nobilium vnione aristocratia, in honesta consensione omnium democratia populique iusta gubernatio cernitur. Ex

Respublica mixta.

his tribus coalescit alia quæ mixta respub. appellatur, qualis nunc vbiq; gentium maxima ex parte floret; hæc omnium bonorum aggregationem in se continet, hæc regiam maiestatem, hæc dignitatem consularem, hæc popularem consensum habet. In regia maiestate vnius capitis ciuilis

Gubernandi nexus.

ordo, in consulari dignitate primariarũ partium ad hoc caput vnio, in populari consensu totius corporis perfectio, & vt ita dicam consummatio ponitur. Sunt etiam qui rempublicã hoc modo distinguunt, scilicet vt sit recta & non recta, recta iterum simplex vel mixta, simplex autem vel summa, vt regnum; media, vt optimatum imperium; infima, vt iusta populi potentia; mixta denique, quæ ex his tribus secundùm leges virtutis constituitur. Sed quid opus

Reipub. scita distinctio.

est verbis? Eundem sensum hæ duæ diuisiones habent: hoc solùm



solùm animaduerti velim, vt legumlatores in definiendis rerumpublicarum formis has differentias accuratè considerent: aliter enim administrationes diuersas ciuitatis nec rectè distinguere, nec probè instituere & ordinare possunt. Alterum quod in textu sequitur est quorundam philosophorum refutatio, qui duas solùm primarias reipublicæ species posuerunt, nimirum popularem & paucorum potentiam, ad quas reliquæ omnes (vt aiunt) reducuntur. Hoc probant duplici similitudine: nam vt omnes venti ad Boream & Austrum, omnesque concentus musices ad harmoniam Doricam & Phrygiam reuocantur: ita ad popularem statum paucorumque imperium omnes reliquæ administrationes ciuitatis reducuntur: exempli causâ, politia ad popularem statum, optimatum potentia ad paucorum imperium; quippè, sicut venti omnes in alijs climatibus cæli ita Boreæ Austrique vires participant, vt plerumque eodem nomine appellentur; nam Zephirus Borealis, Eurus Australis dicitur: ita reliquæ ciuitatis formæ ac status in populari paucorumque potentia communicant, vt ijsdem nominibus sæpè insigniantur. Sed hæc (vt docet Philosophus) non est satis aperta rerumpublicarum distinctio. Tertium ergò quod in hoc cap. agitur nunc adfert, nimirum suæ opinionis catastrophen & expositionem, quæ est quòd superiùs allata reipublicæ diuisio sit longè melior quàm ista philosophorum confusa distinctio. Diuisionem suam repetit nempè in rectam & non rectam, rectam iterum in tres species, non rectam in tres labes vt suprà, diuidit. Et vt apertiùs hæc intelligantur, adfert quãdam similitudinem ex harmonia ductam, quippè vt ex concentu vocum secundùm artem magis minusq; intensarum vna optima symphonia, ita ex consensu ciuium secundùm virtutem viuentium vna optima monarchia aut aristocratia nascitur. Sed vt voces celeriùs tardiusque intensę ab optimo concentu aut leuiter aut simpliciter declinant: ita administrationes ciuitatis molliùs duriusq; constitutæ, aut parùm, vt populi gubernatio; aut omninò, vt labes vitiaq; ciuitatis à nobilissima imperandi forma remouentur.

Secunda pars cap.

Pars tertia.

Pol. 3. c. 4 & 5.

Musicæ & politiæ harmonia.

Distinctio.

Differentiæ reipublicæ sunt, aut
- Communes, quæ sunt vt paupertas, diuitiæ, militaris scientia, & pacis ornamenta, agricultura, mercatura, aliaque similia.
- Propriæ, quæ sunt aut
  - Generales, vt
    - Recta.
    - Non recta.
  - Speciales, aut
    - Secundũ virtutem, vt
      - Ordo vnius ad omnes.
      - Nobilium vnio.
      - Omnium cõsensio.
    - Secundũ vitium, vt
      - Vniꝰ dominãdi libido.
      - Paucorum confusio.
      - Populi furor & conspiratio.

Opp. *In quinto cap. tertij libri hanc distinctionem tractauit Philosophus: ergo otiosè iterùm hoc loco tractatur.*

Resp. *Illic generatim, hîc speciatim agitur; illic solum species reipublicæ, hîc differentias tradit; illic pollicetur se uberiùs de his rebus actũrum, hîc verò idipsum præstat & absoluit.*

Opp. *Ordo, vnio & consensus sunt affectiones seu accidẽtia: ergo non sunt veræ differentiæ ciuitatis, nam differentiæ sunt ex essentia rerum, accidentia autem non sunt ex essentia, vt Porphyrius docet.*

Resp. *Sunt accidentia respectu hominis, sed non respectu ciuitatis: nam insunt in homine vt in subiecto, sunt verò in ciuitate vt in definito.*

Lib.3.cap.5.

Opp. *Aliæ sunt magis propriæ differentiæ reipub. ergo istæ malè assignantur. Antecedens probatur, quia vnitas, paucitas & multitudo ad bonum commune relata ab Arist. vt veriores traduntur.*

Vnitas materia, Vnio forma monarchiæ.

Resp. *Omnis (inquit Philosophus) administratio est aut vnius aut paucorũ aut totius multitudinis, hinc tamen non rectè colligitur quòd vnitas, paucitas & multitudo sint veriores differentiæ. Nam illic Arist. potiùs materiam quàm formam, numerum quàm naturã ostendit: non enim in vnitate, paucitate aut multitudine, sed in horũ ordine, vnione & consensu ciuitatis forma & essentia constat.*

Opp. *Vnio & ordo sunt generales formæ ciuitatis: ergo rectè hoc loco vt speciales non assignantur. Antecedens patet 1. Politicorum.*

Resp. *Vnio & ordo sunt generales formæ ciuitatis, at vnio nobilium & ordo vnius ad totam ciuitatem speciales & distinctæ differentiæ habentur.*

Opp.



Opp. *Partes ciuitatis sunt homines: sed homines non differũt specie: ergo partes ciuitatis nõ differunt specie, vt hîc in textu dicitur.*

Pol.1.c.1.l.4. cap.4.

Resp. *Partes ciuitatis sunt aut materiales, vt homines, & sic nõ differunt specie; vel formales, vt diuites aut pauperes, nobiles aut plebei, & sic specie differunt. Nam etsi hi omnes homines dicantur, distinctionem tamen à rebus quæ naturâ differunt in definienda ciuitate sortiuntur.*

Partes ciuitatis Materiales, Formales.

## Dubium.

*An equi ad bellum alendi sint in ciuitate?*

ALEXANDER generosum Bucephalum, Perseus Pegasum volantem habuit. Darius hinnitu equi ad regnum Persarum rapitur. Eretrienses, Chalcidenses, Magnesij, alięq; ciuitates Asiaticæ hoc loco vt periti equitatus commendantur. Verba Philosophi hęc sunt. Nobilium (inquit) differentię sunt iuxta opulentiam & magnitudinẽ census, sunt enim alij equites, quod munus nemo facilè sustinere potest nisi sit diues: quapropter priscis olim temporibus quæcunq; ciuitates equestri ordine excellebant, in his paucorũ potentia gubernabat, nec non equitatu bella contra finitimos exercebat, vt Eretrienses, Chalcidenses, alijque quos modò nominauimus. Hîc quatuor consideranda veniunt, qui equos in ciuitate alerent, quis modus, quod præmium, qui finis horum omnium: persona in primis verbis patet, Nobilium (inquit) differentiæ sunt &c. modus in verbis sequentibus insinuatur, Quod munus (inquit) nemo facilè sustinere potest nisi sit diues; præmium sequitur, nempè paucorum potentia; finis autem est bello ciuitatem defendere & conseruare. Sed vt hæc paucis confirmemus, affirmo equos ad bellũ esse alendos in republica; primùm quia sunt animalia generoso spiritu, tum quia sunt dociles ad pugnam, hinc quia sunt faciles ad sessorem, postremò quia sunt fortes & animosi ad victoriam. Vt verò nobiles hos alant tria suadent, patria, opes, & amplitudo nominis: patria quæ opus habet: opes quæ facilè hoc onus ferunt: amplitudo nominis, vt verè equites armigeríque in defensionem ciuitatis prodeant. Nam cur nobiles

Quatuor consideranda.
1. Persona.
2. Modus.
3. Præmium.
4. Finis.

Equi à nobilibus alendi.

ordinis equestris viri dicerentur, si neque equos ad vsum reipublicæ alerent, neque ipsi vt equites armati in turmam hostium prosilirent? Vbique nobiles diuitias quærunt, habent ergo quo alant; vbique honores rapiunt, habent ergo cur alant; si hostem patriæ respiciunt, habent in quem finē alant. Honorificum olim hoc nomen fuit apud Romanos, qui primùm hunc ordinem instituerunt: cur igitur apud Anglos non vigeret, cur apud omnes non floreret?

Distinctio.

In equis alendis spectantur 4. videlicet

- Quis alat, nempe vir nobilis, qui ob honores acceptos maximè ciuitati obstringitur.
- Modus, qui est rerum copia in viro nobili, quâ facilè hoc onus sustinetur.
- Præmium, quod est potentia seu ordo equestris, qui huic operi debetur.
- Vsus, qui est vt bellum expeditiùs fiat, fortiusque ciuitas conseruetur.

Opp. *Nimis abiectum est & planè absurdum vt nobiles res sordidas & illiberales tractent: sed equos alere est res sordidas & illiberales tractare: ergo abiectum & absurdum est, vt viri nobiles equos alant.*

Vide Macch. in Liu. lib. 2. c. 16. & 18.

Resp. *Ridiculum est quod obijcis, nam non intelligimus hoc loco vt nobiles sentinam stabuli verrant & expurgent, aut vt equis suis fœnum pabulumq; præbeant; sed vt suis ipsorum sumptibus ad vsum reipub. nutriant, ijsdemq; fortiter insidentes cum opus postulat contra hostem (vt olim equites Romani) pugnent.*

Opp. *Vsus equos alendi publicus & communis est, nempè salus patriæ: ergo potius tota ciuitas, quàm nobilitas his sumptibus premeretur.*

Resp. *Hæc ratio non sequitur, cum omne membrum ad bonum totius contenderet; si ergo viri nobiles sint quasi oculi reipub. illorum est ciuitati in istis euentis consulere ac prouidere, non tamen negamus quin tota ciuitas aliquid in hunc vsum conferat, tum verò maximè cum nobiles in hac re deficiant.*

CAP.



## CAP. IIII.

*An decreta populi pro legibus habeantur?*

ANTEQVAM ad quæstionem propositam pleniùs describendam venio, res quæ in textu continentur dilucidè ac breuiter percurram: & quanquam Arist. in hoc libello non aliter quàm lepus ante canes se in rotas gyrosq; vertit, vt dum multi eiusdem in circulo vestigia quærant, ipse in latibulum & sedem fugiat; indefessè tamē & pedetentim vt aiunt persequar donec illum veribus latētem seduli & studiosi venatoris oculis subijciam. Credo equidem multos interpretes tremulas suas manus ab his tabulis (vberioribus cōmentarijs depingendis) retraxisse, vel quòd eandem sæpiùs tractatam viderint, vel quòd autorem hinc indè veluti cursitantem non prehenderint; sic dum silent, aut saltem apertè non loquuntur, Athenæ vtilissimis maximeq; necessarijs quęstionibus defraudātur: sed hæc excusatio otiosæ interpretationis nulla est, nam neq; res sæpiùs quàm oportet tractatur, nec incertus vagatur Arist. nisi hoc esse vagari intelligant, quæstionem in vna parte ponere, & in alia libelli parte causas assignare. At hoc euenit solùm ex copiâ rerū, quæ obiter in subtili contextu & connexione quęstionum occurrunt. Fusiùs de hac re hoc loco scripsi, quia pleroſque expositores in hac parte veluti oscitantes & somniculosos vidi. Sed hæc obiter: nunc ipsum aggredior Philosophum, qui in hoc Cap. tria proponit, dubitationē de populari & paucorū potentia, enumerationē partiū, quæ ad omnem ciuitatem requiruntur, diuisionem popularis potētiæ in sex species, quæ suo loco & ordine explicantur. Dubitatio est, an imperium populare paucorumque potentia solùm magnitudine & paucitate differant, hanc anteà ex Arist. breuitèr attigimus, docuimusque vt hîc docet philosophus populare esse imperium in quo pauperes, ingenui, & liberi,

Capitis distributio.

Dubitatio. Pol. 3. cap. 5. Populare, paucorum Imperium.

Paucitas, vel multitudo administrationis accidentia.

Rat. 3.

siue sint multi, siue sint pauci: paucorum verò potentiam esse in qua diuites & opulenti dominantur, sint illi etiam multi vel pauci, multitudo enim & paucitas sunt istarum administrationum accidentia; contingit enim in ciuitate esse multos pauperes diuitesq; pauciores: non ergo multitudine & paucitate, sed affluentiâ rerum & inopiâ hi duo status distinguuntur. Hoc probat Philosophus à numero, à consuetudine, & ab exemplo: à numero, Si (inquit) vniuersi in ciuitate sint mille & trecenti, horumque mille sint locupletes, qui nullam partem gubernationis trecentis concederent, hæc administratio tamẽ paucorum potentia diceretur, quamuis in ea maior numerus ac multitudo imperet. Ratio est, quia non multitudo & paucitas, sed diuitiæ & paupertas has duas administrandi formas speciesque distinguunt. Consuetudo,

Sic Indi. pol. 7. cap. 14.

Æthiopes.

qua hoc ipsum probat Arist. fuit Aethiopum, qui secundùm magnitudinem corporis, aut oris pulchritudinem suos honores distribuere solebãt. Exemplum est Ionum, id est rusticorũ, qui liberis & ingenuis per vim quandam præfuerunt.

Ione.

Secunda pars cap.

Sed hęc in textu sunt apertissima. Secundum quod agitur est enumeratio partium quę ad omnem ciuitatem requiruntur, in qua enumeratione primùm plures partes ac species reip. esse à similitudine animalis hoc modo probat. Quemadmodum se res habet in animali, ita se habet in ciuitate: sed plures sunt partes & species animalis: ergo plures sunt partes ac

Vt animantis, sic & ciuitatis plures sunt partes.

species ciuitatis. Comparationem hanc probat ab illis partibus animantis quæ distinctionem formarum faciunt, qualia demùm sunt sentiendi, nutriendi, & mouendi instrumenta; sẽtiendi vt oculus & lingua; nutriendi vt os & venter, mouendi vt pedes aliaq; organa, quibus in mouendo animalia vtuntur. Hac comparatione factâ partes ipsas recenset, quę sunt

Partes ciuitatis decem. de his pol. 7. c. 8. Vide. Plat. pol. 2.

numero decem; Prima, est agricolarum, qui agros curant; Secunda artificum, qui ciuiles artes profitentur; Tertia mercatorum, qui in foro versantur; Quarta mercenariorum, qui vt serui ad opus faciendũ pecunijs conducuntur, & has Plato eruditè (vt ait Arist.) demonstrauit. Cæterùm in hoc illũ reprehendit, quòd solùm ex necessarijs partibus constare ciuitatem



tatem existimauerit, addit ergo & alias partes; Quinta igitur est multitudo militum seu propugnatorum, qui patriam defendunt; Sexta est iudicum, qui iura tractant; Septima virorum à consilio, qui de negotijs reipublicæ consultant; Octaua magnatum, qui suis diuitijs opem ciuitati ferunt; Nona magistratuum, qui officia, honores reipublicę tenent; Decima studiosorum, qui vitæ exemplo alijs prælucent. Tertium iam sequitur, nempè popularis potentiæ in suas

Distributio potentiæ popularis.

species distributio, quòd verò eiusdem sint plures species hoc modo probatur. Quæcunque habent partes naturâ diuersas, eadem species quoque diuersas habent: sed tam paucorum potentia quàm popularis, partes diuersas naturâ habent: ergo tam paucorum potentia quàm popularis species diuersas habent. Assumptio in textu ab inductione confirmatur, exempli causâ; popularis status habet agricolas, artifices, mercatores, nautas, piscatores, & his finitimos, à quibus variæ species administrandi oriuntur, vt Tarenti & Bizantij per piscatores, vt Athenis per classicam & naualem multitudinem, in Ægina & Chio per mercatores, postremò per traiectores in Tenedo. Quòd verò paucorum potentia ex varijs quoq; partibus constet, ostendit, quia nobilium alij diuitijs, alij honoribus, alij virtuti, alij literis & sapientiæ student. His positis, popularis imperij quinq;

Popularis imperij quinq; species.

species tradit; prima in æqualitate administrationis ponitur, hoc est cum totus populus simul regit, vt alter alterum authoritate non vincat. Secunda in quadam inæqualitate versatur, scilicet vt iuxta censum definitum hæreditatis cuiuis honor tribuatur. Tertia est cum totus populus non secundùm arbitrium sed secundùm legem dominatur, illis solùm exceptis qui generis labem aut impedimentum habent. Quarta est in qua ciuis à non ciui authoritate, & lege distinguitur, nec non cuiuis pro virtutis merito dignitas reipublicæ demandatur. Postrema est cum tota multitudo imperet, omniumque æqua potestas sit subeundi magistratus; sed ita, vt leges non regant sed decreta populi pro legibus habeantur. Hoc autem maximè tum fit (vt ait

Arist.)

Aristoteles) cùm quidã fautores populi (quales olim tribuni plebis apud Romanos fuerunt) adulantur multitudini eamque sæpe ad tyrannicam ac intolerabilem potentiam traHom.Iliad.2. hunt. Concludit igitur Philosophus à testimonio Homeri & authoritate veterum philosophorum, qui rectè istiusmodi potentiam populi, vt illegitimam & iniustam reiecerunt: quippè non est (inquiunt) verè respublica in qua leges silent solaque decreta furiosa populi dominantur. Hactenus de expositione textus, nunc de quæstione agitur, quæ est, An decreta populi pro legibus habeantur? Vna species est popularis potentiæ, quam vt iniustam hoc loco reprehendit Philosophus, ea scilicet in qua populus sine legibus imperat & dominatur. In ea inquit Demagogi & assentatores veluti Syrenes dulcis sermonis lenocinijs populum superbũ & tyrannum faciunt, eumq; ad abrogandas leges suaq; ipsorum confirmanda decreta facilè inducunt. Sed talem democratiam nullo modo esse rectam administrandi formam speLeges in vniuersis, decreta populi in rebus singulis versantur. Ius Ciuile, Prætorium. ciemq; affirmat, rationẽ addit, quia edicta seu decreta populi pro legibus non haberentur, quippè decreta in rebus singulis, leges in vniuersis ponuntur: hinc quæstio modò recitata fuit, An decreta populi pro legibus habeantur? In omni statu reipublicæ recto & non recto multitudo inest, magnãque partem ciuitatis occupat, adeo vt sine ea nec magistratus creari, nec leges fieri, nec concilia celebrari, nec vlla publica negotia tractari possint: semper enim habenda est ratio multitudinis, ne contempta, contumax & seditiosa fiat. Cæterùm vt leniùs demulcenda est aliquandò ne sæuiat, ita prudentiâ magistratuum sæpè est coercenda nè insolescat; quippè citò legum habenas populus licentiâ vitæ effeDecreta populi admittenda ad tempus, non habenda, vt leges. Confirmatio triplex. Pol.2.cap.6. lib.3.c.7.& 11. minatior factus excutit, omnemq; legem vt magistratum spernit: sint ergo decreta populi, sint quædam edicta multitudinis, sed valeant ad tempus non pro legibus habeantur. Rem paucis probo: à natura legis, ab imperitia multitudinis, à miseria ciuitatis in qua solùm edicta populi principatum habent. A natura legis, quia lex omnis vniuersa est, at decreta populi in rebus singulis & incertis versantur: lex firma, iusta,



sta vna & immutabilis manet; at decreta multitudinis infirma semper, sæpè iniusta, nec nõ Chamæleonti simillima habentur; non ergo legum pondus & authoritatem habent. Ab imperitia multitudinis, quia cùm partes ciuitatis sint, vt partes animalis, aliæ ad victum, aliæ ad motum, aliæ ad sensum & rationem, vt suprà docuimus; populus in ijs partibus annumeratur, quæ ad victum motumq; requiruntur, non autem in illis quæ sensus & rationis excellentiâ præstant, quales sunt boni & prudentes viri qui oculi ciuitatis luminaque dicuntur: nõ est ergo in populi decretis tanta vis rationis tãtaque prouidentia, vt illorum decreta pro legibus in tabulis reipub. sint insculpenda. A miseria ciuitatum, in quibus edicta populi principatum tenent, quia quid miserius est, quid in repub. funestius, quàm à nouis statutis sententijsque leuis multitudinis dependere? Multi sunt casus, multa variaq; euenta rerum, flexibiles quoque sunt voluntates hominum, maximè imperitorum, quales sunt plerumque multitudinis. Nam si quoties istiusmodi vicissitudines rerum, ciuiumq; eueniant, toties continuò noua decreta, nouaq; phantasmata populi excuderentur; quàm misera sit illa reipublicę administratio, nemo est tam rudis & inexpertus rerum, qui non apertè videat. Vix toleranter ergo insaniunt, qui in cõuersione rerumpub. edicta populi (affectus non rationis impetu constituta) pro legibus æri (vt aiunt) incidi ac insculpi volunt. Si hoc iubeant legumlatores, vt duobus malis propositis leuius admittant, leniusque cor ciuitatis fodiant: videntur illi quidem mihi flãmulas vitando fumis demum suffocari. Nam quid aliud est in turbine reipub. populi decreta sapientum consilijs anteferre, quàm dapibus reiectis, miserrimè inediâ contabescere? Ieiuna enim est mensa multitudinis, & sine sale; In mensa verò sapientum, Philosophiâ fercula condiuntur. Considerandum tamẽ hic est, quòd dissentientibus inter se magistratibus, oculisque reip. quasi effossis, liceat populo prudentiori decreta ponere, eademque ad tempus pro legibus retinere; cum tamen ciuitas à scopulis ad portum, à procella ad quietem redeat, decreta illa ciuiBellua multorum capitum. Multitudinis voluntas plerumq; flexilis. Plebiscita quando valeant.

tati,

tatis consensu commutentur, eorumq; loco fiant leges sine quibus omnis (vt hîc concludit Philosophus) infirmatur & eneruatur politia.

Distinctio.

Tractantur in hoc Cap. quatuor,

- Definitio
  - Popularis potentiæ, quæ est status ciuitatis, in quo penes liberorum multitudinem est summa administratio & potestas rerum.
  - Paucorum potentię, quę est status, in quo penes diuites est summum imperium.
- Enumeratio partiũ ciuitatis, quæ sunt aut
  - Generales, vt
    - Diuites.
    - Pauperes.
  - Speciales vt multitudo
    - Agricolarum,
    - Opificum,
    - Mercatorum,
    - Mercenariorum,
    - Militantium,
    - Consultorum,
    - Iudicum,
    - Magistratuum,
- Diuisio popularis potentiæ in quinq; species, quę apertè à nobis distinguuntur.
  - Nobilium, qui splendent aut
    - Diuitijs.
    - Virtute.
    - Genere.
    - Doctrinâ.
  - Bonorum, qui vitæ exemplo lucent
- Quæstio. An decreta populi pro legibus habeantur: probatur autem non haberi,
  - A natura legis.
  - Ab imperitia multitudinis.
  - A miseria ciuitatis in qua edicta populi solùm dominantur.

Argumentum contra primam partem capitis.

Opp. *Diuitiæ & paupertas sunt accidẽtia ciuitatis: ergo democratia paucorũq; potentia ijsdem non rectè hoc loco definiuntur. Antecedens patet, quia diuitiæ, & paupertas fortuitò hominibus eueniunt. Argumentum probatur, quia accidentia non possunt verè definiri.*

Resp. *Non per diuitias inopiamq; rerum distinguuntur hi duo status & administrandi forma, sed per diuersam imperandi rationem eorum, qui istis varijs modis affecti sunt: quare etsi diuitiæ & paupertas sint accidentia illa quidem ciuitatis, diuersæ tamen diuitum pauperumq; administrantium rationes nõ accidentia sed differentiæ distinctæ rerumpub. esse ponuntur.*

Argu-



Argumentum contra secundam partem capitis.

Opp. *Plures sunt partes ciuitatis: ergo nõ rectè hoc loco enumerantur omnes. Antecedens patet ex primo lib. vbi pastoralem artem, & ex secundo vbi sacerdotalem dignitatem vt partes ciuitatis recensuit.* Cap. 5.

Resp. *Pastores ad agricolarum multitudinem, sacerdotes ad bonorum & studiosorum collegium, sapientes doctiq; viri ad nobilium classem reduci debent.*

Argumenta contra tertiam partem capitis.

Opp. *Æqua potestas singulorum ciuium esse non potest: ergo prima species democratiæ malè definitur. Antecedens probatur, quia fieri non potest, vt pariter infinita multitudo in æquali censu diuitiarum honorumq; consistat.* Æqualitas Census, Honoris.

Resp. *Per æquam potestatem intelligit Philosophus æqualem libertatem magistratum obtinendi in repub. quare etsi sit inæqualitas rerum, proportio tamen eadem esse potest honorum, & sic intelligitur Philosophus.*

Opp. *Secunda species democratiæ requirit certum diuitiarum numerum, vt ad magistratum admittatur ciuis: ergo propriè popularis status dici non potest. Antecedens patet in textu. Argumentum probatur, quia maior pars multitudinis caret diuitijs, quarum defectu laborantibus aditus ad omnem in repub. amplitudinem intercluditur.*

Resp. *Respondent quidam has species analogicè hoc loco definiri, at dici potest quòd Arist. hîc censum ponduśué diuitiarum admodum paruum, & exiguũ requirat, sicut manifestè apparet in textu.*

Opp. *Tyrannis est nulla species democratiæ: sed vltima quæ hîc traditur species est tyrannis: ergo non est species democratiæ. Maior constat, quia sunt distincta genera ciuitatis. Minor probatur, quia populus in ea addictus assentatoribus omni abrogatâ lege pro arbitrio, & libidine dominatur.* Timocratia par tyrannidi. vide pol. 5. cap. 10.

Resp. *Negat Philosophus in textu hanc esse veram speciem popularis potentiæ, quia in ea populus secundùm decreta sua, non secundùm leges, & instituta maiorum viuit.*

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Decreta populi sunt leges: ergo pro legibus habenda. Antecedens*

*tecedens probatur, quia decreta populi sunt viuendi regula ex consensu totius ciuitatis facta & approbata.*

Tribunitiæ rogationes non sunt leges.

Resp. *Si per populum totam ciuitatem intelligas, verum est quod dicis: at si per populum solam partem eamq; non primam intelligas, hoc verum esse negamus.*

Opp. *In populari statu populus est tota ciuitas: ergo in populari statu decreta populi pro legibus haberentur.*

Resp. *Argumentum non tenet: nam etsi populus tota ciuitas dicatur, est tamen in ea administratione dignitatis ordo, vt alij aliis præsint imperentq;, quorum consensu non dato decretum pro lege haberi non debet; æqualitas ergo dignitatis est in populari statu, non quòd omnes & singuli actu in participatione dignitatis sint pares, nã hoc esset perabsurdũ; sed quòd omnes & singuli æquales esse possint, & hoc iustum in prima specie democratia habetur.*

## Dubium.

*An assentatores aulici sint causæ tyrannidis?*

Assentatio bestia nocentissima. Laert. l.1. c.6.

OMNIVM nocentissima bestia est assentatio, maximè in aula principis. Nam vt fulmen ossa sæpè diffringit illæsâ cute: ita assentatio regum præcordia vulnerat sub specie amicitiæ. Assentatio enim dulcissimam vocem Syrenis, at voracissimum ventrem Charybdis habet: blanda est & tamẽ aspera, dulcis & tamen amara, candida & tamen nigra; quid multis? Facie humanâ est, & tamen vipera: de hac alibi dixerim, hîc ergo non multus ero. Quoniam autem Arist. in textu assentatores tyrannorum comites esse affirmat, illosq; causas esse cur pro ratione libido, pro lege voluntas, pro institutis maiorum placita & decreta populi dominentur: non grauabor verbo demonstrare hęc monstra esse ipsas calamitates & pestes rerumpub. in quibus admittuntur; primò hoc ipsum probo à natura assentatoris, qui est specie amicus, hostis verò animo, totus dissimulator, & insidiator vitæ: quod si ita sit, non aliter, quàm ignis omnes, quibuscum agit, in suam naturam conuertere & transferre nitetur; at si reges virosq; principes (apud quos maximè viuit & versatur) semel inficiat; periculum est ne ipsi dissimulatores fiant, rationisq; imperio relicto passiones animi, & affectus sequantur. At quid

Assentatores rerumpublicarum pestes. Assentatoris natura. Vid. Plut. de discr. adul. & amici.



quid aliud est secundùm affectum regere quàm regnum in tyrannidem commutare? Verumenimuerò si lactantia vbera assentantium viri primarij suxerint, veluti aspidum aculeis icti statim in lethargum & altum soporem incidunt, in vallo phantasinatum perpetuò somniant, qui sint & vndè oriantur obliuioni tradunt, indulgent affectibus, contemnunt leges, ciues corrumpunt, ciuitatem fallunt, toti tyranni & crudeles fiunt. Nam vt ab effectu Gnatonicæ artis hoc ipsum probem, constat insidiosam esse assentatorum vitam, eoq; tendere, vt oculi principum primùm cęcutiant & effodiantur: quo facto principes primùm ad philautiam & amorem sui, tum ad contemptum & odium aliorum ruunt: hinc fraus, perfidia, imperiosa voluntas, velox appetitio vindictæ, abrogatio legum, aliaq; sexcenta mala in ciuitatem fluunt, quæ potiùs tyrannidem, quàm pacatum reipub. statum & administrationem arguunt & repræsentant. Postremò vt ab exemplo agam, quid Neronem castissimè educatum crudelem fecit? Assentatio. Quid Cæsarem contra patriam rebellare fecit? Assentatio. Quid Rehoboam regem Israeli tyrannum fecit? Contemptio grauissimorum senatorum, & perditorum iuuenum assentatio. Domestica possum hic adferre exempla, Richardum secundum, & Richardum tertiũ, quorum vtrumq; multùm læsit assentatio; sed ita vt ille vulneratus resilierit, hic verò tyrannidis suę tragędiam trucu- lentam (in qua ipse actor fuit) nobis Anglis commẽdarit. O vtinã principes ab istis laruatis Gnatonibus & parasitis aures suas tandem auerterent, eorumq; carminibus & fascinationibus diutiùs non crederent! vnus Clytus præferendus est sexcẽtis Aristippis; at proh dolor, Clytus ab Alexandro hastâ transfigitur, Aristippi in aulis multorũ principũ dominãtur.

Secundùm affectum regere idem, quod tyrannidem exercere.

Assentationis effecta.

Suet. in Cæs. cap. 78 79. 3. Reg. 12.

Epiphonema.

Quin. Curt. lib. 8.

Distinctio aperta est in probatione causæ.

Opp. *Reges Ætnam reipub. sustinentes opus habent placidis viris aliquandò, quorum salibus & facetijs recreentur: sed tales sunt assentatores: ergo assentatores regibus sunt permittendi. Minor probatur, quia tales dissimulando & mentiendo sæpe animos principum affectibus titillant.*

Non est idem affabilis, & assentator.

Resp. *Hæc ratio rectè probat affabiles, viroſq; placidos, non aſſentatores seu paraſitos in aulis principum esse permittendos; ſales enim non fraudes, facetias ingenij non inſidias ſpargere & exercere oportet. Porrò negamus Minorem huius ſyllogiſmi; nam affabiles non diſſimulant, non mentiuntur, quæ duo ſine intentione mali esse non possunt. Quod verò res nouas & admirabiles effingant, hoc faciunt, vt audutores ſuos delectent ſolùm, non vt decipiant: vt recreent, non vt prodant irretiantq;.*

Loqui placentia.

Opp. *In tyrannide ſunt dolor, luctus & moleſtia: ergo eiuſdem cauſæ non ſunt aſſentatores. Argumentum probatur, quia aſſentatores placida & iucunda quærunt atq; loquuntur: ſed euẽta tyrannidis ſunt his contraria: ergo tyrannidis non ſunt cauſæ.*

Ridentem dicere verum Quid vetat? Horat.

Resp. *Aſſentatores ſunt non qui ſemper iucunda aut iocoſa loquuntur, ſed qui aliquandò ſub ſpecie grauitatis & prudentiæ res quaſi magnas & ponderoſas tractant. Respondeo igitur argumentum non tenere; nam quamuis dolor, luctus, milleq; moleſtiæ ſequantur tyrannidem, aſſentatores tamen qui aliud ſentiunt, aliud loquuntur, eiuſdem cauſæ exiſtere quidem possunt: Ratio eſt, quia ſub pallio diſſimulationis oua concepta malitiæ tegunt, ex quibus dẽtatos ſcorpiones pariunt, & ſæpe in præcordia bonorum ciuium immittunt.*

## CAP. V.

*An formâ ciuitatis mutatâ eædem leges ad tempus ſint retinendæ?*

ARISTOTELES in hoc cap. Philoſophus breuitate vtitur, & admodum pauca de paucorum potentia eiuſdemque formis, nunc quidem loquitur. Si ordinis rationem quæras, velim memineris hæc duo genera reipublicę, nempe populare, paucorumque imperium, ab Ariſtotele iuxtà copulari. Vt ergo de populari modò, ita nũc de paucorũ adminiſtratione diſſerit. Analyſis textus hæc eſt, quòd paucorum potentię quatuor ſint ſpecies. Prima definitur gubernatio eorum qui magno rerum poſſeſſarum cenſu

Quatuor ſpecies Oligarchiæ. Prima.



cenſu & vbertate alios ciues ſuperant, tales ſunt Cræſi Lucullíq; in multitudine, qui ſuis ipſorum ſumptibus magnificè magiſtratus gerunt, pecuniaſq; ſuas in gloriam totius ciuitatis expendere conantur. Ad hanc dignitatem ſolùm Plutus non Irus, diues non inops peruenit: exemplum huius rei domi eſt, ſi prętores pręfectoſq; Londinenſes conſideres, qui in vrbe ad ampliſſima honoris ſubſellia plebis conſenſu non eliguntur, niſi gemmam in mente, aurum in manu habeant. Secunda ſpecies paucorũ potentię eſt eorum adminiſtratio qui exili rerum cenſu & copiâ prævalentes ſibi in officio alios pro arbitrio ſumũt, maximè verò tales à quibus vberiorem commoditatem ſperant: ſed hæc forma adminiſtrationis eſt minùs propria, minuſq; honeſta, cũ in ea quęſtus non virtus quæritur; nã ſi ſecundùm virtutẽ alios eligerent, qui magiſtratum gerant, potiùs optimatum imperium quàm paucorũ potentia hæc forma diceretur. Tertia ſpecies in textu verbo definitur, cum patre defuncto filius dominatur, hoc eſt, cũ diuites aut fauore populi, aut alio quouis modo ius ſucceſſionis in adminiſtratione ciuitatis obtinẽt. Hęc forma laudabilis eſt ſi in ſucceſſione virtutis poſſeſſio inſit, legiſq; ratio habeatur. Quarta ſpecies eſt cum diuitũ filij per ſucceſſionem reip. ſine lege & virtute imperant, ſed iſta gubernatio eſt longè omniũ deterrima, & non aliter tertiæ ſpeciei opponitur quàm tyrannis monarchiæ, & vltima ſpecies popularis (quę eſt tribunitia) alteri quę virtute geritur; quippè in his tribus nimirum tyrannide, tribunatu, paucorumq; prauâ ſucceſſione virtutes ac leges exterminantur, earumq; loco furor, vis & libido regnant. Vltimũ quod in hoc ca. agitur eſt admonitio quædã, quòd nos latere non debeat, poſſe contingere vt reſp. nõ ſit legibus popularis, quã tamẽ moribus popularẽ eſſe obſerues, & ex diuerſo, hoc autẽ euenit vt coniecturã Ariſt. facit ob mutationẽ rerũpub. nã cum grauiſſimis de cauſis vna adminiſtrandi forma in aliã mutatur, verbi cauſâ, popularis in paucorũ potentiã, ſapientiæ eſt caſdẽ ad tẽpus retinere leges, ne ſubitanea mutatio populũ offendat motũq; quaſi violentum ciuitatis efficiat: hinc quæſtio naſcitur,

Magiſtratus Londinenſes nulli, niſi diuites.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Admonitio.

Quæstio. Vide. Macch. in Liui. lib. 1. cap. 15.

nasc itur quam nunc discutio, An formâ ciuitatis mutatâ eędem ad tempus leges sint retinendæ? Quemadmodum rarissimè inueterata consuetudo dissuitur: ita difficillimè ciuitatis forma commutatur. Verùm si tandèm maximis de causis commutetur, magnoperè cauendum est nè filia matrem deuoret, hoc est, nè noua alteratio ciuitatem perdat. In mutatione reipub. satius est testudinis tarditatem quàm velocitatem leporis imitari; lentè festinandum est (vt aiunt & in rebus tantis sat citò si sat benè. Romani olim Tarquinio rege expulso, atq; monarchiâ in aristocratiam translatâ leges prioris status sapientèr ad tempus retinuere, quod etiam factũ est cùm senatus in populare imperium declinauit. Hoc quidèm fecerunt meâ opinione sapientes viri, vt paulatim ad nouos mores nouasq; leges populus allectaretur, qui subitaneo impetu impulsus furit, qui lenitèr persuasus emollescit. In mutatione ergo reipub. conniuendum est in multis, ignoscendum sæpè, nonnunquam ferendum, & tolerandum malum, si ad antiquas leges (quæ nuper oracula ciuitatis erant) à multitudine prouocetur: nam si aliter fieret, statimq; mutato statu ad nouis obediendum legibus cogerentur ciues; verendum est nè fumus suffocatus in flammas seditionis prorumperet, suoq; violento motu ciuitatis fundamenta conquassaret. Philosophus in Ethicis suadet, vt nouæ leges populi moribus (vt Lesbia regula lapidibus) concinnentur, hoc est, non temerè nouis legibus mutandi sunt mores hominum, sed paulatim ad rectum sunt deflectendi; Quòd si hoc in condendis legibus præcipiat, quid velit in mutandis illis (quas diuturna consuetudo firmauit) præscribere? Facilius quidem est nouam ciuitatẽ nouis legibus effingere quàm ab antiquis ciuium animos distrahere & alienare. Ratio est, quia illud vix semen, hoc verò radicem & fructum habet. Præterea sicut apud Ægyptios lex erat vt medici ad tempus non mouerent humores, sed vim naturæ expectarent: ita quidem optandum est, vt custodes ciuitatis antiquas leges eò vsq; permittant donec sapientis suasu aliquantulùm mores populi commutentur. Nam vt in mouendis humoribus corporis

Liu. l. 1. dec. 1. Totidem lictoribus, rege sacrificulo retentis.

Vide pol. 2. c. 6.

Eth. lib. 5. c. 10.

Pol. 4. cap. 1.

Ægyptiorum lex.

Periculosa commutatio. Bos lassus fortiùs figit pedẽ



poris ante definitum tempus magnum periculum naturæ: ita in mutandis legibus ciuitatis ante persuasionem populi grande reipub. dispendium imminet. Qui ergo consultò & sapientèr status rerumpub. mutant, extemplo (vt aiunt) innouationi legum non studebunt, sed vmbras populi sequentes sphæram reipub. sensim ac paulatim vertunt, donec ad optatum punctum digito quasi attingendum veniant, cardineśq; ciuitatis multiplici conuersione in definito statu figant & confirment; hoc enim modo ciues deliniti facilè quò velis pertrahentur, legesque nouas, quas fanxeris, sine omni murmuratione sustinebunt. At dices, quæ est hęc mutatio reipub. si eædem leges, si ijdem mores maneant? Nonnè sunt leges nerui reipublicæ, à quibus sensum motumq; ad suum bonum habet? Fierinè ergo potest, vt ciuitatis forma mutari dicatur antiquis legibus non mutatis? Attende, sicut ab extremo ad extremum nemo peruenire potest, nisi per medium: ita ab vna forma ciuitatis ad alteram populus adduci non potest nisi per medium; hoc ergo volumus vt iustis de causis aliquandò mutetur reipub. status, sed ita vt per media non per extrema ista conuersio, & commutatio fiat. Maneant ergo antiquæ leges, & ad tempus valeant; præualeant tamen sapientum voces, quarum moderatione veluti modulatione quadam dulci affectus & mores populi alterentur; quod cùm eueniat, valeant voces, pręualeant leges, seueriusq; resistentes legibus castigentur. Legimus de odio illo dei ac hominum Iuliano apostatâ, qui postquam primùm à salutis tessera ac religione desciuerat, Christianos omnes viros honestos callidè & astutè dixit, illorum sanctam religionem errorem non hæresim appellauit, eos etiam in curia à suo latere secundùm antiquas leges viuere permisit: demùm verò maiore conceptâ inuidiâ illos à palatio abegit, tandem mutatis moribus per licentiam populi nouis legibus constitutis ad carceres & cruces raptari iussit. Si Iulianus apostata mutato regno in tyrannidem his medijs sub prætextu virtutis vsus, populum ad approbationem suæ tyrannidis allectauerit, quantò meliùs quantoque sanctiùs boni principes in

Ab extremo ad extremum non peruenitur, nisi per medium.

Iulianus Apostata. In Ecclesiasticis annalibus.

mutãdis deterioribus rerũpub. formis in iuſtiores his modis vterentur? Prudentia hæc eſt in bonis, aſtutia verò in malis: nam in ſtudioſis ad bonũ commune, in facinoroſis ad publicam perniciẽ tendit. At vrges antiquas leges fortaſſe malas omninò eſſe: quid tum? Ergo ſine omni mora ſunt abrogandæ. Rationem nego, non quòd mala non tolli, ſed quod ad tempus (nè maiora creentur pericula) tolerari debeant. Vis ergo antiquas leges in mutatione ſtatus vbique expungi? Volo, ſed ita, vt multitudo ijſdem expunctis non inſaniat; imò leges retinere & eiſdem non obſequi tumultum & inſaniam parit: non parit modò ſapientes magiſtratus præſint, qui populi affectus moderentur: at leges non ſunt leges quas violare licet: verũ eſt ſi ratio, & non affectio gubernet.

Prudentia in bonis, aſtutia in malis.

Plena ſermocinatio.

## Diſtinctio.

Explicantur in hoc Cap. duo.

- Diuiſio paucorum potentiæ in quatuor ſpecies, quæ ſunt adminiſtrationes vel ſecundùm
  - Magnum cenſum diuitiarum, ad quem pauperes non poſſunt pertingere.
  - Paruum cenſum, in quo ſtatu eſt electio.
  - Fauorem populi, in quo ſtatu eſt ſucceſſio.
  - Arbitrium imperantis, in quo leges iniuſtè abrogantur.
- Quæſt. quæ eſt, An leges antiquę ad tẽpus in mutatione reip ſint retinendę? quòd probatur à
  - Similitudine naturæ & artis.
  - Periculo mutationis.
  - Ab aſſuefactione multitudinis.
  - Prudentia magiſtratus.
  - Vſu ſeu bono ciuitatis, vt dilucidè patet.

## Opp. contra primam partem capitis.

Opp. *Secunda ſpecies paucorum potentiæ non diſtinguitur à ſecunda ſpecie popularis imperij: ergo perperàm hæ ſpecies vt diſtinctæ definiuntur. Antecedens probatur, quia vtraq; ſpecies eſt (vt patet) in qua ſecundùm exilem paruumq; diuitiarum cenſum homines dominantur.*

Cenſus definitus, indefinitus.

Reſp. *Quamuis in vtroq; ſtatu cenſus diuitiarum paruus requiratur, differunt tamen quia in ſecunda ſpecie popularis potentiæ cenſus paruus & definitus, in ſecunda verò ſpecie paucorum potentiæ cenſus paruus & indefinitus proponitur. Præterea in hoc alia eſt diſtinctio, quòd in populari potentia non ſit penes magiſtratum alios ſibi eligere: at in hac forma paucorum potentiæ alios aſſumere pro arbitrio licebit.*



Opp. *Paucorum potentia eſt in qua diuites principatum tenent: ſed in ſecunda ſpecie diuites principatum non tenẽt: ergo ſecunda ſpecies paucorum potentia non eſt. Minor probatur, quia diuites non paruum ſed magnum cenſum ponduſq; diuitiarum habent.*

Diuitiæ ex forma oligarchię.

Reſp. *Paruus cenſus dicitur comparatè non abſolutè; paruus enim eſt non ſimpliciter ſed reſpectu eorum qui maiorem habent.*

Paruus cenſus Comparatè, Abſolutè.

## Contra quæſtionem propoſitam.

Opp. *Diuerſi ſtatus, ac formæ ciuitatis à diuerſis legibus dependent: ergo mutato ſtatu ciuitatis eaſdem leges non conuenit retinere. Antecedens patet, quia leges cuiuſq; ciuitatis formam & ſtatũ loquuntur. Argumentũ probatur, quia ſine legibus cõſentaneis adminiſtrandi formæ diſtrahuntur ciues in contrarios & diuerſos fines.*

Leges ad ſtatum accommodantur. pol. 3. cap. 7.

Reſp. *Leges in mutatione ciuitatis conſiderantur bifariam, aut defectiuè, vt aiunt, aut perfectiuè: antiquæ leges retinentur quidem ſed defectiuè, vt calor naturalis in corruptione vitæ; nouæ autem leges ponuntur ſed perfectiuè, vt forma plantæ poſt corruptionem ſeminis. Non ergo retinentur leges, vt viuãt, ſed vt deficiant; non vt valeant in moribus populi confirmandis; ſed vt nouis confirmatis penitus declinent.*

Opp. *Contraria eidẽ ſimul ineſſe non poſſunt: ſed leges diuerſarũ formarũ ſunt contrariæ: ergo ſimul eidem ciuitati ineſſe non poſſunt.*

Ariſt. cap. de oppoſ.

Reſp. *Contraria accipiuntur duobus modis, aut intensè (vt aiunt) & ſic ſimul non inſunt: aut remiſſè, & ſic ſimul ineſſe poſſunt. Similiter de legibus cõtrarijs in mutatione ciuitatis dicimus, quarũ illæ (nempe antiquæ) in declinatione, hæ verò in perfectione ponuntur.*

Opp. *Si ſubitò mutetur morbus in valetudinem non nocet corpori: ergo ſi ſubitò mutetur depranatus ſtatus reip. in bonũ nõ nocet ciuitati. Ratio tenet propter ſimilitudinẽ corporis naturalis & ciuilis.*

Mutatio in melius optanda.

Reſp. *Similia nõ tenent per omnia, quamobrem ratio non ſequitur. Præterea rariſſimè cõtingit, vt de repente ſemel amiſſa acquiratur ſanitas: immò potiùs in hoc ſimilitudo & rationis proportio tenet, quòd ſicut corpus naturale naturaliter non ſtatim corrumpitur:*

Similia non tenent per omnia.

*rumpitur: ita corpus ciuile (quod est ciuitas) prudenter non statim commutatur. Nam vt aqua calida sensim ac paulatim priorem naturam, & substantiam perdit: ita vna administrandi forma in aliam mutata successiuis (vt aiunt) passibus vires amittit. In hoc ergo prudentia magistratus cernitur, quòd leges antiquæ ad tempus tanquam vmbræ corporis retineantur; non vt illas obseruent ciues, sed vt illarum defectus intuentes ad alium ciuitatis statum, moresq; alacriùs properent ac festinent.*

Dubium capitis.

*An deterior sit simplex oligarchia quàm mixta?*

Oligarchia Simplex, Mixta.

OLIGARCHIA simplex & absoluta est, in qua paucorum affectus non ratio, impetus nõ intellectus regnat. Est autem mixta, in qua opulenti homines & leges dominantur. Tres primę species paucorum potentiæ sunt mixtæ, vltima verò simplex, & absoluta dicitur. Comparatione iã factà quæritur, An hæc illis habeatur deterior? Respondet Philosophus deteriorem esse, idq; probat tribus argumentis, quorum primum est ex parte legis, alterum ex parte magistratus, postremum ex parte finis. A parte legis, quia in ea lex deficit, in alijs verò oligarchiæ formis lex principatũ tenet. Ex parte magistratus, quia in ea regunt tyranni, in alijs non item. Ex parte finis, quia in ea non bonum commune, vt in cæteris, sed bonum priuatum quæritur. Si ergo in ista administrandi forma neq; leges, neq; ratio, neq; magistratus, neq; iustitia, aut æquitas vllum locum habeant, sequitur prę cęteris longè pessimam deterrimamq; habendã esse.

Oligarchia simplex mixtâ deterior.

Distinctio patet.

Opp. *Aliæ species oligarchiæ opponuntur maximè virtuti: ergo sunt pessimæ, & ex consequenti vltima species non est deterior. Antecedens probatur, quia omnis oligarchia opponitur aristocratiæ, quæ solâ iustitiâ, & æquitate regitur.*

Resp. *Quamuis maximè diuitum in omni oligarchia habeatur ratio, est tamen quædam boni maliq; inter eiusdem formas proportio & comparatio: non enim tam opponuntur iustitiæ illæ administrationes, in quibus secundùm leges viuitur, quàm hæc, in qua non lex, sed paucorum libido dominatur.*

Opp.



Opp. *Aliæ formæ oligarchiæ sunt deteriores: ergo iniqua est ista comparatio. Antecedens probatur, quia aliæ sunt malis legibus armatæ, vltima verò species leges non habet.*

Resp. *Hæc ratio sequeretur si omnes magistratus in alijs formis oligarchiæ essent penitus iniusti viri, omnesq; leges iniquæ: at ita non est, nam in paucorum potentia multi sunt studiosi ciues, multæq; leges vtiles ac necessariæ, vt Aristoteles sæpe insinuat.*

## CAP. VI.

*An nothi sint ciues?*

NE sterilior, ieiunioráque videatur hęc (quę modò præcessit de formis popularis paucorumque potentiæ) explicatio, vtriusque nunc causas & rationes ostendit Philosophus. Et quoniam prima species democratię in qua æqualitati ac libertati studetur, communis est reliquis, eandem iam prudens omittit, primoque in loco secundi generis rationem exponit. Hoc genus est, vt anteà narrauimus, in quo paruum ac definitum censum diuitiarum possidentes ad magistratus honoresque reipub. peruehuntur; quales sunt agricolæ, artifices, & id genus alij, qui tenues, & exiles facultates habent. In hoc statu inquit non ex arbitrio hominis, sed ex præscripto legis viuere oportet. Ratio est, quia angustis facultatibus ciues prædi ti satis otij ab opere non inueniunt, vt reipub. onus perpetuamque curã sustineant: paruus ergo census causa est in hac forma democratiæ cur leges imperent, quippe ciues penuriâ quâdam laborantes non possunt nisi certis ac definitis temporibus reipub. vacare & inseruire. Alterum genus popularis potentiæ, cum nullâ census adhibitâ ratione cunctis reipublicæ munera ac dignitates patent, illis hominibus solùm exceptis, qui neque naturæ notam inustam, neque fortunæ manum sinistram sentiunt, quales sunt nothi, serui, alijque id

Democratiæ species.

A magistratu gerendo prohibentur

1. Pauperes.

2. Nothi.

genus pauci. In hoc quoque genere dominantur leges, ratio est, quia vectigalia satis opima non suppetunt, vt qui magistratus gerant otiari possint. Tertium genus est in quo ab administratione ciuitatis serui solùm excluduntur. In hoc etiam statu secundùm leges viuitur, quia satis diuitiarum ad otium non suppeditatur. Postremum democratiæ genus est, in quo totus populus secundùm arbitrium, & non secundùm præscriptum legis viuit, quem statũ populi assentatio genuit, licentia auxit, furor multitudinis confirmauit.

3. Serui.

Quemadmodum in 1. parte huius cap. de formis democratiæ, ita in vltima parte de formis oligarchiæ agit Philosophus, earumque rationes similiter paucis perstringit. Primum ergo genus paucorum potentiæ seu oligarchiæ est illorum diuitum administratio, qui neq; tam amplas facultates habent, vt ijsdem neglectis cessare & otiari possint, neq; tam exiguas, vt à ciuitate suum victum coacti quærant; quod cum ita sit, necesse est legem non ipsos in hoc statu ciuitatis imperare. Alterum genus oligarchiæ est, cum minorem habentibus censum accessus ad remp. patet, sed ita, vt valentes plurimùm sibi alios in subsidium contra multitudinem assumant, legemq; sanciant, quâ videantur iustè socios minoris census eligere, vt cum opus sit contra populũ tutiùs præmuniantur. Tertiũ genus paucorum potentiæ est, in quo viri potentes regnant, qui ne in posteris occasum & eclipsin nominis atq; honoris videant, legem successionis constituunt. Postremum genus est, quando aliquot in ciuitate supra modum diuitijs aucti imperium rapiunt, & non aliter, quàm tyranni sine lege viuunt. Hæc plena analysis, & expositio textus: nũc quæstio sequitur, quæ est, An nothi sint ciues? Si vrgeas nothorũ hoc loco nõ meminisse Arist. respõdeo in describẽdo 2. genere potentiæ popularis apertè idipsum quod quærimus insinuasse. Verba hęc sunt. Omnibus licet ad rempu. accedere, quos modò generis exceptio non repellat. Per generis exceptionem, Sepulueda alijq; docti interpretes nothos intelligunt. Sed de nomine nõ certamus, rẽipsam quęrimus. Instituta est olim in omni ciuitate sancta & indiuidua viri fæminæq;

Oligarchiæ genera.

Quæstio. Vide pol. 3. c. 3.

Sepulueda.



nęq; cõiunctio, vt certa proles, libera & immunis quasi seges reip. nasceretur: qui ergo hanc coniunctionẽ violat, qui hoc fœdus quasi dextrâ naturæ percussũ dirimit, qui alterius thorum spumâ suæ turpitudinis cõtaminat, is primũ cõtra naturã, tũ contra iustitiã, postremò contra seipsũ delinquit: cõtra naturã quæ hunc nexũ parit, contra iustitiã quæ eundem iam partũ alit, contra seipsũ qui se hoc scelere odiũ ciuitatis facit. Indigna res ergo est vt spurij, qui sunt effectus tantorũ scelerum dignitatem in repu. obtineãt participesq; ciuitatis (quæ est societas tantum liberorum) fiant. Præterea quid aliud est spurios degenereq; ad concionẽ, & senatum ciuitatis admittere, quã libidinis quasi faces accẽdere, laxasq; habenas corruptoribus virginũ, adulteris, incestuosis, alijsq; monstris hominũ concedere? Qui cũ viderint suos spurios furtiuo semine conceptos, natosq; iniustè nõ minùs in ciuitate florere, quàm filios legitimè partos, libereq; educatos, ad Platonicã remp. ac communitatem vxorũ, ad immanitatẽ suorum scelerum, ad omnẽ licentiam vitę precipitantiùs ruunt. Porrò cum omnis rectè instituta ciuitas præcipuam curam sui nominis ac famæ habere debeat, non est decorum, imò potiùs impiũ est spurios ad sua subsellia, consilia, honores, officiaq; adscribere & conuocare. Nã præter exemplum mali, quod posteris hoc modo relinquitur; capitale odiũ inter istos ac bonos ciues nascitur, quippè ęgrè & indignabũdè homines studiosi ferẽt, vt sibi nothi in participatione ciuitatis pares & æquales fierent. Huc illud quoq; accedit, quòd spurij ab ipsis (vt aiunt) crepundijs homines nequissimi moribusque dissolutissimi plerumq; euadant: at tales libertate donare ciuesque constituere est iniustam & facinorosam rempublicam efficere. Si rationes requiras cur spurij maxima ex parte sint alijs deteriores, respondeo ex Philosopho, primùm quia à malis principijs oriuntur, secundò quia plerumq; minùs studiosè, quàm legitimè nati educantur, postremò quia tam sanctę societatis nexu reciso vires iustitię in eorũ pręcordia abundè non fluunt ac diffunduntur. Si ergò mali malos plerũq; generent, si mali malos aut effœminatiùs, aut negligẽtiùs à teneris annis instituant, si

Adulteri in naturam, in iustitiam, in seipsos flagitiosi.

Spurij ad magistratum non admittendi. Ciuitas non nisi liberorum est societas. Pol. 1. c. 4 l 2. c. 1. l. 3. cap. 4.

Redit ad authores genus, stirpemq; primam degener sanguis refert. Senec. in Hippol. Pol. 1. cap. 4

Sap.4.3. si à malis malos ſuſceptos influētia æternæ iuſtitiæ rariſſimè foueat, radijſq; virtutis minimè adornet, iuxta illud, Spuria viticulamina nō agēt radices altas; cur ſpurios ciues facimus? Cur illorum nomina in albo ciuitatis inſcribimus? Adhuc ſi iuſtè illegitimè natis hæreditatem negamus, cur ciuitatem ſpurijs concedimus? Poſtremò maiorum exempla nos in hac re doceant, quippe Romani, Athenienſes, Lacedæmonij, aliæque permultæ olim ciuitates ſecundùm normam iuſtitiæ viuentes nothis libertatem, ac communicationem ciuitatis pernegarunt, imò quod maximum eſt, Deus adulteros dignos morte, ſpurios indignos ciuitate iudicat: ergo ciues non eſſent, neque ciuitatis beneficijs fruerentur.

Plutin Themiſt.

## Diſtinctio.

Duæ ſunt præcipuè iſtius capitis partes,

- Diſtinctio democratiæ & oligarchiæ in ſuas ſpecies cum expoſitione rationum, quibus tot eſſe probantur.
- Quæſtio, quæ eſt, An nothi ſint ciues? quòd verò non ſint probant argumenta
  - A vi naturæ, quæ in nuptiali ſocietate iuſtitiæ ſtudet.
  - Ab incōmodo ciuitatis, quia dato quòd nothi ſint ciues, licentia vitæ ſequeretur.
  - A decoro, quia ciuitas famę nominiſq; maximam rationem haberet.
  - A moribus nothorum, quia ſunt plerumque mali.
  - A minore, quia hæreditas negatur nothis, ergo ciuitas.
  - Ab exemplo ciuitatum, quę ſuis legibus hoc ipſum confirmant.

### Opp. contra primam partem.

Opp. *Hæc diſtinctio democratiæ, & oligarchiæ antè tractata fuit: ergo nugatur Ariſtoteles.*

Reſp. *Non tam diſtinctio, quàm diſtinctionis ratio hîc à Philoſopho demonſtratur.*

### Opp. contra quæſtionem.

Opp. *Innocuis ac innocentibus negare libertatem eſt iniuſtum: ſed nothi ſunt innocui & innocentes: ergo nothis libertatem ciuitatis negare eſt iniuſtum. Maior conſtat, quia proprium iuſtitiæ eſt innocentes non lædere. Minor probatur, quia non eſt voluntarium in nothis quòd ſic generentur.*

Reſp.



Reſp. *Non ſolùm malum tollendum eſt in ciuitate, ſed etiam occaſio mali: peccatum ergo parentum in ſpurijs coercetur, non quòd offenderint ſpurij, ſed vt libidinoſi hac pœnâ inflictâ ab hoc ſcelere deterreantur. Præterea alij reſpondent ciuitatem in hoc non ſolùm peccatum, ſed etiam indecorum fugere, quæ res infamiâ plena eſt, vt nothi (qui ſanguinis labem in fronte gerunt) in altis ciuitatis ſedibus præluceant.* Tollenda cauſa ſceleris, vt ceſſet ſcelus.

Opp. *Nemo ſine culpa puniri debet: ſed nothi ſunt ſine culpa: ergò nothi puniri non debent.*

Reſp. *Reſpondeo non eſſe abſurdum puniri aliquem priuatiuè (vt aiunt) ſine culpa ſua, etſi poſitiuè hoc fieri videatur iniuſtum: nam ſecundùm iura aliquis puniri poteſt ſine culpâ, nullus tamen caſtigari debet ſine cauſa. Culpa parētum eſt, qui commiſerunt facinus, ſed quoniam eiuſdem facinoris labes in ſpurio hæret, non abſurdè priuatione ciuitatis in eo deleri debet.* Puniri Priuatiuè, Poſitiuè.

Opp. *Macula generis in ſpurio ſplendore virtutis deleri poteſt: macula ergo generis non eſt ſufficiens cauſa priuationis. Ratio ſequitur, quia virtus in omni ciuitate eſt præferenda.*

Reſp. *Fieri poteſt vt ſpurius aliquādo virtutibus animi alijs præluceat; verùm quoniam hoc rarò contingit, ciuitas hanc legem vniuerſalem fecit. Quare etſi ſpurius aliquis admittatur ad ciuitatem propter diuinam ſapientiam, quâ omnes vincit, exceptio legis eſt, nō violatio. Nam vt vna hirundo non facit ver: ita vna vel altera diſpenſatio non vniuerſam vim legis & efficaciam tollit.* Vt Hercules inter Deos.

Opp. *Multi ſunt ſpurij ignoti ciuitati, qui vt legitimè nati eiuſdem libertate donantur: ergo ſunt ſpurij ciues.*

Reſp. *Ratio hæc fallax eſt à ſecundum quid (vt aiunt) ad ſimpliciter: nam vt hoc argumentum non ſequitur, homo mortuus eſt cadauer, ergo homo eſt cadauer: ita iſta ratio non cohæret, ſpurius ignotus eſt ciuis: ergo ſpurius eſt ciuis.*

## Dubium.

*An liceat magiſtratibus mercedem ſumere?*

CVrita irruis in tribunatum Saturnine? Cur rapis officium? Noui quid velis: expectas mercedem. Impie regnum lucro quæris? Imò quid ni cum illud liceat? Quid ais peſſime? Sermocinatio.

Aurea messis magistratum gerere. Plut. Vide pol. 3, c 4.

pessime? Licere dicis? Dico. At quâ fronte quæso? Eadē cèrtè quâ hîc Philosophus; quâ hîc Philosophus ais? quid tandē ille? Illum loquentē audi. In hoc statu (intelligit popularem) administrant pauperes, propterea quòd otiari possunt dum mercedē capiunt. Quid hinc? Ergo licet magistratibus mercedem sumere. Rapax est hoc argumentum furioso tribunatu dignum, nam nihil minùs hîc voluit Philosophus, quàm vt nummos magistratus sumeret: quippè vltimum genus democratiæ (vnde hæc verba capis) hîc maximè reprehenditur, quia tales in eo magistratum gerunt, qui coguntur mercedem petere & expectare. Si vis vt probem, hæc topica argumenta sume. Est periculosum ciuitati vt magistratus mercedem capiant: ergo non licet. Iterum, est iniustum ac indecorum ipsis magistratibus accipere: ergo non licet. Tertiò, est ciuibus scandalum oppressione plenum: ergo non licet. Postremò non licet, quia acceptio mercedis potiùs bonum priuatum, quàm publicum & commune auget, quo nihil in ciuitate pestilentius esse, aut cogitari potest. Quòd sit periculosum ciuitati probo, quia tum affectio non ratio in magistratu regnat. Quòd sit indecorum magistratibus probo, quia corrupti & iniusti hinc nominātur. Quòd sit ciuibus scandalū probo, quia hoc exēplo ipsi oppressi oppressores fiunt. Quòd bonum publicum negligatur, augeatur priuatū probo, quia bona quæ in thesaurū ciuitatis fluerent, in sacculos paucorū rapiuntur. Huc addi possunt seueritas maiorum in puniendo, veritas diuina in prohibendo hoc scelere, quæ duo argumētorum loco adhibita docerent magistratus nostrorum temporum aures & oculos ab affectibus admittendis claudere, ambasq; manus ab accipiēdis pecunijs auertere & cohibere.

Non licet magistratui mercedem sumere. Rat. 4.

Regressio.

### Distinctio.

Quòd non liceat magistratibus mercedem accipere, probatur

- Periculo ciuitatis.
- Indecoro seu dedecore magistratus.
- Scandalo multitudinis.
- Incommodo ciuium.
- Exemplo maiorum.
- Testimonio sacrarum literarum.

quæ omnia dilucidè patent.

Opp.



Opp. *Pauperes in populari statu magistratus gerunt: sed pauperibus licet mercedem accipere: ergo magistratibus licet mercedem accipere. Maior est Arist. in definitione democratiæ. Minor probatur, quia nullo accepto præmio magistratus dignitatem pauperes sustinere non possunt.*

Resp. *Regalis vox Pyrrhi Æacidarum regis fuit: Nec mî aurum posco, nec mî precium dederitis. Iustis laudibus posteritati commendatur Fabritius qui omnium magistratuum inter Romanos pauperrimus magnifica regis munera recusauit. Respondeo igitur in democratia magistratum pecuniâ corrumpi non debere: magistratus enim non in accipiendo munere, quod est malum; sed in exequendo munere, quod est bonum, ponitur & conseruatur. Ad probationem Minoris dico, quòd Aristides Athenis, Romæ Fabritius splendidiùs opibus animi officia sustinuerint, quàm alij infiniti, qui opibus fortunæ abundarunt.* Cic. off. lib. 1. Val. Max. l. 4. Tit. 3. Sic Curius. Cic de senect. Magistratus est munus exequi, non accipere. Cic. 3. de off.

Opp. *Labor magistratus in exequendo officio magnus est: ergo ei præmium iustè debetur: quòd si debeatur, cur iustè datū nō accipiat?*

Resp. *Sophistica est hæc ratio à mutatione sensus, nemo enim magistratui iustè laboranti negabit præmium, quippè hoc meretur; vænale tamen habere officium, suamq; dignitatem turpi quæstui tanquam meretricem prosternere, magistratū gerentibus pernegatur.* Pol. 3. cap. 9.

## CAP. VII.

*An in simplici aristocratia idem sit vir bonus ac ciuis bonus?*

DIRECTE pergit Aristoteles in definiendis diuidendisq; generibus reipublicæ: nam postquam diuisit statum popularem atque paucorum potentiam in suas formas, rationesque, vnde tot formæ oriuntur, adduxit; aristocratiam (quę ordine iam sequitur) definit, eamque in quatuor species analogicè distribuit. Non hîc morabor in contentione illa, quæ est inter Aristotelem alioſque Philosophos de numero rerumpub. in principio huius capitis, hoc satis est quòd alij quatuor, vt Socrates & Plato,

Cap 5. Plat.pol.8.in initio. Plat.pol.4.ad finem.

Plato,alij quinque,Arist. verò sex genera reipub.(quæ 3.lib. recensentur)constituerit.Non opus est pluribus:quatuor hîc species aristocratiæ enumerãtur,sed vt dilucidè philosophemur,distinguendum est de aristocratia,quòd alia sit simplex, alia mixta:Simplex est administratio ciuitatis quę ex optimis viris simpliciter,& ex virtute cõstat:In qua(vt hîc docet Philosophus)simpliciter idẽ est vir bonus,& bonus ciuis,ex quibus verbis quæstio deprompta est, de qua statim disputabimus.Mixta aristocratia est tripartita:vna, in qua virtus cũ diuitijs in administratione ciuitatis cõiungitur, quæ forma ab oligarchia differt,quia virtutẽ suũ obiectũ habet;& à politia, quæ communi nomine respub.dicitur, quoniam diuitias solùm nõ admiratur. Altera est forma,in qua virtus,diuitiæ,& populus vnà dominantur,qui status ex optimatum,paucorũ, & populari potentia constituitur, vt olim Carthaginensis reipub. administratio fuit. Postrema species aristocratiæ est status, in quo nullâ diuitiarum ratione adhibitâ virtus, & populus principatum tenent, quæ forma administrandi ex optimatum & populari statu componitur; & hoc modo Lacedæmoniorum ciuitas gubernata fuit, vt hîc testatur Aristoteles.Hactenùs de expositione textus:Quæstio est,An in aristocratia simplici idẽ sit vir bonus ac bonus ciuis? Affirmat Arist.esse.Sed quid agit?in tertio libro cõtrarium docuit. non docuit: nam quamuis illic communiter loquutus de ciuitate virum aliquando malum, ciuem bonum esse posse ostenderit, absolutè tamen & simpliciter de aristocratia disputans virtutem solam dominari voluit.Imò illic quoque in votis habet,vt sola virtus imperet: verùm quoniam hoc fieri non potest, quin sit in ciuili corpore vitiorum contagio, vt in corpore naturali humorum confusio; coactus aliam virtutem officij, aliam boni viri constituit. Quid? Si fieri non potest,quin sit in turba hominum vitiorum contagio,quorsum hoc loco de simplici aristocratia differit, in qua omnes simpliciter optimos requirit? Hoc est profectò de non ente disputare, & muscas meâ opinione sub nomine rerum maximarum capere. Fateor equidem simplicem aristocratiam nusquam

Nariſtocratia gi ſimplex, Mixta.

Mixta Aristocratia triplex.

Quæstio. Pol.3.cap.3.

Pol.3.cap.5.

Virtus officij boni viri.



nusquam exiſtere, fateor etiam nullibi omnes ciues ſtudioſos virtutis eſſe;montes tamen non parturiunt,neque inanis eſt Ariſt.de his rebus cõtentio,cùm non quid ſit ſed quid debeat eſſe diligenter perquirat. Hanc ergo nobiliſſimam formam proponit, non vt muſcas ſed vt ciues capiat,hoc eſt,vt homines in ſtadio huius vitæ lubricè vagantes ad ſincerum ſtudium virtutis moueat: cuius ſapiens conſilium ſi ſequeremur, dic cauſam cur vera ariſtocratia non floreret; poteſtas enim non deeſt,voluntas ſolùm corrupta negat. Hoc ergo poſito, quòd eſſe poſſit talis reipub.adminiſtratio, ſequitur in ea eundem eſſe virum bonum,ac bonum ciuem: quod ad hunc modum hoc ſyllogiſmo probo. In quocunque ſtatu reipub. ſola virtus colitur, in eo idem eſt vir bonus ac bonus ciuis: ſed in ſimplici ariſtocratia ſola virtus colitur: ergo in ſimplici ariſtocratia idem eſt vir bonus ac bonus ciuis. Conſequutio maioris probatur, quia ſolâ virtute ciuibus propoſitâ neceſſe eſt vt omnes ſint boni, aut ſaltem non ciues: quippe eſſentia ciuitatis ac ciuis in adoratione ſolius virtutis conſtat. Alia ratio à comparatione eſt, nempe cum in alijs rectis rerumpub. formis hoc maximè requiratur, vt ciues ſtudioſi virtutis fiant, probabile eſt in ariſtocratia hoc iuſtis legibus pręcaueri,vt nõ ſolùm magiſtratus qui pręſunt, ſed omnes ciues qui ſubſunt,numen virtutis ac pietatis colerent.Prætereà in illa repub.ciues boni viri eſſe debent,in qua ſolùm virtus munera & dignitates ciuitatis habet:ſed in ſimplici ariſtocratia munera & dignitates ciuitatis virtuti ſolùm debentur:ergo in ſimplici ariſtocratia ciues viri boni ſunt ac ſtudioſi. Cęterũ in alijs adminiſtrationibus rerump. nõ ſẽper hoc lumen virtutis cernitur,nam aliquando natura,aliquãdo fortuna ſuperat:natura cum filij per ſucceſſionẽ,fortuna cum opulenti per oppreſſionem regnant. Poſtremò nullus ſtatus reip.eſt vndiq; perfectus,in quo ciues non ſunt boni viri: ſed ſimplex ariſtocratia eſt ſtatus reipu.vndiq; perfectus:ergo in ariſtocratia ciues ſunt boni viri. Maior patet, quia perfectio ciuitatis virtus eſt. Minor probatur,quia ſimplex ariſtocratia ſolâ virtute (nullâ rerum externarũ habitâ ratione)definitur.

In optima reip.forma idem eſt vir bonus,& ciuis bonus.

Eſſentia ciuitatis virtutis adoratio.

Distinctio.

Hoc caput duo continet {
- Diuisionem aristocratiç, quæ est aut {
  - Simplex, in qua sola virtus colitur.
  - Mixta, quæ est vel {
    - In qua virtus & diuitiæ dominantur.
    - In qua virtus, diuitiæ & populus dominantur.
    - In qua virtus & populus dominantur.
- Rationem quæstionis propositæ, quæ probatur à {
  - Definitione simplicis aristocratiæ.
  - Comparatione aliarum rerumpub.
  - Distributione honorum ciuilium.
  - Perfectione ciuitatis.

Opp. *Forma rerumpub. specie & naturâ differunt, vt anteà docuit Philosophus: ergo commisceri non possunt, vt hic videtur demonstrare. Ratio probatur, quia species diuersæ confundi & commisceri non possunt, vt Porphyrius ait.*

Resp. *Mixtio rerumpub. considerari potest bifariam, vel quoad materiam confusè, vel quoad formam distinctè. Vna respublica ex alijs constare potest quoad materiam, vt patet in mixtis formis aristocratiæ; non tamen vna ex altera constat quoad formam, hoc est vt eandem rationem imperij & administrationis habeat.*

Opp. Contra quæstionem.

Vmbra asini. Lana caprina.

Opp. *Inanis est disputatio de rebus, quæ fieri non possunt: sed simplex aristocratia esse non potest: ergo inanis est de simplici aristocratia disputatio. Maior patet, quia ex tali disputatione nullus emergit fructus. Minor constat, quia fieri non potest, vt talis respub. vnquàm existat.*

Resp. *Satisfactum est huic obiectioni in primo cap. huius libri, vbi negauimus esse omninò inanem de non ente disputationem, vt patet de vacuo & infinito: vbi etiam affirmamus talem rempublicam sapienter à Philosopho veluti scopum proponi, quò contendentes mediocritatis viam teneamus.*

Cap. 3.

Opp. *Arist. anteà in tertio libro probauit, quòd possit esse ciuis bonus sine virtute morum: ergo contrarium hoc loco non docendum.*

Resp. *Modò satisfecimus huic argumento, nam illic de repub. generatim, hîc speciatim de aristocratia agit.*

Opp. *In aristocratia sunt magistratus & officia, quæ vtilitatem ciuitatis spectant: ergo in aristocratia possunt esse ciues boni, licèt sint viri mali. Antecedens patet, quia in aristocratia sunt principes qui*



*qui pacem; milites, qui bellum; iudices, qui forum tractant. Ratio sequitur, quia his datis officijs rectè se gerere possunt ciues in illis, interim vt non tam castè & honestè viuant.*

Resp. *Quanquam in aristocratica administratione ciuitatis hæc officia & dignitates requirantur; non tamẽ in hoc statu propriè sunt ciues, si virtutem vitæq; sanctimoniam deserant: quippè in hac specie ciuitatis non propter bona corporis, aut fortunæ, sed solùm propter bona animi præferuntur homines.*

Dubium.

*An expediat magis aristocratiam simplicem quàm mixtã florere?*

SI natura humana non esset feracior & appetentior mali, facilè quidem dissolueretur hoc dubium: nam quis tum dubitaret, quin magis expediret aristocratiam simplicem quàm mixtam in administratione ciuitatis florere? Cæterùm cum celeriore pede ad malum quàm ad bonum ferimur, magis expedit leniorem modum viuendi præscribere, quàm optimum hunc statum assignare. Nam vt prudentes medici humoribus corporis medicinas accõmodant: ita politici suas leges moribus ciuitatis sapienter coaptãt. Quoniam ergo delicatula hęc ætas amaram virtutis radicem & saporem in omnibus non feret, necesse est, vt melle diuitiarum rerumq; aliarum dulcedine hęc radix perfusa deuoretur. Hoc est, quoniam mores nostrorum temporum simplicem aristocratiã, in qua sola virtus colitur admittere non possunt, expedit magis mixtã, in qua virtus cũ alijs rebus coniũgitur, publicare. Ratio est, quia etsi omnes sint capaces virtutis, omnes tamen & singuli eiusdem sequaces non existunt, frustra igitur simplex aristocratia vrgetur cum omnis ciuis ad virtutem non cogitur. Præterea cum legum dignitas in hoc non est, vt dentur iustè, sed vt probè à ciuibus obseruẽtur; cumq; in simplici aristocratia prima cõditio est, secũda deficit (nã dantur optimę obseruantur nullæ) necesse est vt mixta simplici præferatur; cũ dico obseruari nullas nihil minùs intelligo quin aristocratia simplex sit omniũ optima; hoc ergo volo, q; infirmitas hominis tanta sit, tãtaq; cõtagio sceleris vt easdẽ optimas datas simpliciter

Homines naturâ ad malũ procliues.

Vide cap. 2.

Legum dignitas non tam vr dentur iustè quàm vt obseruentur probè.

simpliciter & absolutè seruare nequeat. Postremò lapsus humanus mille inuexit mala, vt famem, pestem, gladium aliaq; similia, quæ non solùm monachum & studiosum virtutis, sed politicum & expertem ciuitatis desiderant; veruntamen hæc externa in mixta aristocratia magis, quàm in simplici tractantur: magis ergo expedit aristocratiam mixtam, quàm simplicem florere.

Vi

Opp. *Optimum præferendum est minùs bono: sed aristocratia simplex est optima respectu mixtæ: ergo aristocratia simplex est præferenda. Maior est Arist. tertio topicorum. Minor probatur, quia simplex aristocratia solam virtutem colit, quia solùm bonis & studiosis conuenit, quia in malum non commutatur.*

Magis honesta, Minùs vtilia.

Resp. *Hæc omnia rectè probant simplicem aristocratiam esse meliorem nec non anteponendam esse mixtæ in ratione virtutis, non tamen probant magis expedire respectu vtilitatis morum ac temporum, quæ in institutione ciuitatis considerari debent.*

Opp. *Legumlatores maximè contenderent ciues optimos efficere: ergo etiam contenderent simplicem aristocratiam, in qua solum optimi sunt, alijs administrandi formis præferre & anteponere.*

Resp. *Vtrumq; contendunt, sed quoniam tantam declinationem virtutis in homine obseruãt, vt eò quò velint non possint pertrahere, magis expedire sapienter existimant mixtas respub. approbare.*

## CAP. VIII.

*Vtrum optima institutio legum sit, vt ijsdem latis pareatur?*

Ordo capitis.

Paraphrasis seu expositio huius cap. consistit in ratione ordinis eorum quæ tractantur, in definitione eius administrationis quæ vulgò politia seu respublica appellatur, & in opinione Philosophi de institutione legum, quæ ad omnem probè gubernatam ciuitatem requiruntur. Ratio ordinis duo habet, propositionem instituti, solutionem dubij: propositio est in his verbis. Reliquum nobis est de ea quæ politia vulgò nominatur differe-

re



re & de tyrannide. Dubij solutio sequitur vbi Philosophus tacitam obiectionem insinuat, nempe quòd ordo tractandi species reipub. confusus esse videatur, cum labes & digressiones inter rectas reipu. formas discutiantur: quippe monarchiæ & aristocratiæ tractationem ordine naturæ expositio politię sequeretur, at popularis paucorumq; potentię analysis interponitur. Respondet hoc quidem fieri ordine doctrinæ, quia explicatio popularis paucorumq; potentiæ plurimùm ad cognitionem politię conferat, præsertim cum hęc nihil aliud sit, quàm quędam illarum mixtura & compositio: Definitur enim politia vniuersalis quædam administratio, seu status ciuitatis, in quo pauperes cum opulentis coniuncti honorem, diuitias, libertatem veluti signa propositoq; fines intuentur. Hinc non ineptè oligarchiæ & democratiæ quædam confusio & permistio ab Arist. in textu dicitur; at dices, democratia & oligarchia sunt labes politiæ: ergo politia ex ijsdem tanquam ex partibus non componitur. Respondeo oligarchiam & democratiã non esse principia constitutionis, sed causas cognitionis respectu politiæ: non esse principia constitutionis constat, quia recta forma reip. ex nõ rectis creari nõ potest; esse verò causas cognitionis probo, quia illis incognitis, hæc rectè sciri & demonstrari non potest. Si vrgeas definiri hunc statum mixturã vtriusq; & proinde concludas ex illis tanquã ex partibus constare, iterum respondeo quòd sicut mixtum elementa quoad materiã & virtutẽ non quoad formã in se continet: ita politia ex alijs formis reip. componitur, quæ rationem potiùs materiæ quã distinctionem formæ in ipsa mixturà habent. Sic definitam politiam secundùm veterum sententiam distinguit, qui eandem inclinantem ad democratiam communiter remp. vergentem verò ad oligarchiam optimatum administrationem solebãt appellare: putabant enim illi nobilitatem esse virtutem, eamq; definiebãt esse nihil aliud, quàm antiquas diuitias; sed hoc inquit Philosophus fieri non potest, vt politia ad oligarchiã tendens optimatum potentia, seu aristocratia habeatur; nam hij duo status diuersos terminos ac fines habent: oligarchiæ enim re-

Ordinis ratio.

Politię definitio.

Causæ Constitutionis, Cognitionis.

Elementa in mixtis sunt virtute, non secundùm formam.

rum affluentia, aristocratiæ sola virtus proponitur ac destinatur. Præterea cum in oligarchia non sit tam sancta legum institutio, ac est in optimatum administratione, istorum error manifestè patet. In aristocratia enim honores solùm virtutis dextrâ ciuibus porriguntur: at in oligarchia diuitiæ, in democratia libertas quæritur, & secundùm hæc duo videlicet diuitias & libertatem leges sub specie ac suppositione boni sanciuntur. Cęterùm vt pręclarè hîc docet Philosophus optima legum institutio est non vt in tabulis scribantur sed vt ijsdem latis iustè à ciuibus obtemperetur, quam sententiam Philosophi hoc loco pro quæstione sumo eamque nunc paucis interpretabor. Sapiens quidam missus Lacedæmonē vt obseruaret quibusnā legibus ac institutis ciuitas regeretur, post aliquot annos in patriam reuersus, vocatus est ad senatum vt sui itineris rationē redderet, rogatus verò tandē quomodo suam Lacedęmonij remp. administrarent, fune, furcâ, gladio, alijsq; exquisitis tormentorum instrumentis in senatu depositis, hęc (inquit) sunt leges Lacedæmoniorū, in his ciuitatis salus & administratio ponitur: quasi dixisset, ô Athenienses, nos multas & præclaras leges ferimus, earūq; nominibus ac titulis plurimùm delectamur, at Lacedæmonij in hoc nos vincūt, quòd maiorum decreta ab illis iustè ac seuerè obseruentur. Hoc exemplo liquidò constat leges suam vim & vitā non in institutione sed in sincera obseruatione positā habere: nam vt opes in arca sunt positæ sine vsu hominis, si non expendantur: ita leges æri incisæ sunt sine fructu ciuitatis si ijsdem (vt decet) non obtemperetur. Leges quidem sunt muti magistratus & veluti inanima instrumenta reip. quæ tamen vocem & vitam habent, si ciues ad obedientiam seueritate iudicis impellantur. Quid prodest medicina si non applicetur? Quorsum sunt leges si non exerceantur? Institutio legum non est vt sint, sed præsint, at præesse non possunt si ijsdem obsequi non vrgeantur ciues. Intelligendum hinc est priuilegia, dispensationes, astutas & callidas interpretationes legum, nisi rarissimis ac vrgentissimis de causis tolerari non debere: nam hæc concedere est veluti fenestras ad magnam perniciem

Vide superius cap. 7.

Leges magistratus muti. Leges inanima instrumenta reipub.

Vitanda legum callida interpretatio.



perniciem in ciuitate aperire. Exempli causâ, lex est vt granum in exteras gentes nō exportetur, exoratur princeps, dispensatio datur, onerantur naues, sic hostes aliquando saginantur & contabescunt ciues: vis ergo leges viuant? Distringatur gladius, sceleratos feriat, summis, medijs, infimis ne parcat, vide vt non solùm muscas tuæ leges capiant: nam tutum est in ciuitate cùm non solùm lepores sed etiam leones & aquilæ, hoc est diuites & potentes viri legum vocem & seueritatem timeant; sit vox legis terror, sit legis pœna fulmen. Draco non sum Athenienſis ille, neque leges sanguine conscriptas volo, hoc tamen velim, vt voce pœnâq; legis à scelere deterreantur omnes. Nam vt concludam cum Philosopho, optima legum institutio est non solùm vt sint, sed vt ijsdem latis pareatur.

Omnes vno constringendi legis vinculo.

Demades. Plut. in Solo.

## Distinctio.

Tria spectantur in hoc capite,

- Ratio ordinis, quæ est doctrinæ, nam etsi tractatio politiæ ordine naturæ tractationem popularis paucorumq; potentiæ præcederet: cum tamen ex ijsdem politia constat, necessariò eorum tractatio anteponitur. Synopsis 8. cap.
- Definitio politiæ, quæ est popularis paucorumq; potentiæ quædam confusio & mixtura.
- Sententia, quòd optima legum institutio ea sit, vt ijsdem pareatur, quod probauimus
  - Ab exemplo.
  - A simili.
  - A natura legis.
  - Ab vsu ciuitatis.

### Opp. contra primam partem capitis.

Opp. *Labes reipub. sunt posteriores formis illis, à quibus deflectunt: sed oligarchia & popularis potentia sunt labes politiæ: ergo sunt illâ posteriores, & proinde posteriore in loco sunt tractandæ.*

Resp. *Oligarchia & popularis potentia non sunt labes politiæ, nisi confusè, distinctè enim referuntur ad alias formas ciuitatis. Præterea respondeo rationem non sequi, quippè secundùm ordinem doctrinæ mala, & quæ sunt euitanda in priore loco demonstrantur.*

Ordine doctrinæ priùs docentur mala.

### Opp. contra definitionem politiæ.

Opp. *Si politia sit mixtura popularis paucorū q; potentiæ, tum ex illis tanquam ex partibus constat: sed hoc est absurdum: ergo non est eorū mixtura. Maior patet, quia mixtio est miscibilium vnio. Minor probatur,*

De gen. lib. 1. cap. 10.

*probatur, quia ex non rectis recta constitutio reipub. coalescere non potest.*

Resp. *Considerantur hi duo status bifariam, vel quoad materiam confuse, & sic sunt partes politiæ; vel quoad formam distinctè, & non sunt; insunt enim in politia, vt elementa in mixto, hoc est secundùm materiam non secundùm formam: quippè sunt in politia diuites vt in oligarchia, sunt pauperes vt in democratia, at eadem diuitum pauperumq; administratio in hac & in illis non habetur.*

Opp. contra quæstionem.

Cap. 5. huius. l. Opp. *Docuit Arist. antea in mutatione ciuitatis requiri, vt antiquæ leges maneant etsi non obseruentur: ergo legum institutio non est, vt semper eisdem latis obtemperetur.*

Resp. *Docuit quidem antea in mutatione ciuitatis antiquas leges retinendas esse, non quòd non obseruarentur leges, sed ne populus antiquis legibus subitò abrasis nimiùm desæuiret: voluit ergo politicè & sapienter vt ab ijsdem retentis ad nouas colendas allicerentur ciues, hoc igitur argumentum non cohæret: voluit Arist. in mutatione ciuitatis leges antiquas esse retinendas: ergo voluit, vt legibus non obtemperetur.*

Legis ratio ex fine. Pol. 2. cap. 6. Opp. *Leges aliquandò praua & iniqua fiunt, quarum abrogatio potiùs optanda est quàm obseruatio: ergo optima legum institutio non est, vt ijsdem latis pareatur. Antecedens patet in oligarchia alijsq; minus rectis formis ciuitatis.*

Resp. *Leges iniquæ duplicem respectum habent, aut rectæ aut deprauatæ ciuitatis; si illam spectes, simpliciter earum potiùs abrogatio optanda est quàm obseruatio: at si hanc consideres non item, partim quia bonum talis ciuitatis est apparens & fucatum, partim quia nonnunquam mala tolerari debent, tametsi ciuitas sit ex parte bona.*

## Dubium.

*An liceat legibus malè latis parere?*

ITanè? Fierinè potest, vt legibus malè positis iustè obtẽperetur? sicciné doces philosophe? estnè hic honor, quẽ virtuti tribuis? parẽthesin istam in textu hoc tuo malè quidẽ intriuisti: nã quod iniustũ est iustè ac honestè approbari nõ debet. Parũ attendis quid hoc in textu velim, nõ enim intelligo leges



leges esse simpliciter iniustas, quę ponuntur malè: hoc tamẽ affirmo fieri posse, vt legibus malè latis pareatur; si causam quæras, cõsiderari oportet quòd institutio legum sit, vel absoluta, cum ponantur optimæ; vel cõparata, cũ ex hypothesi & suppositione videantur optimæ, exempli causâ, in monarchia & simplici aristocratia sanciuntur optimæ, in mixtis formis ciuitatis tales sæpè ex suppositione fiunt: hæ quidem frequenter malè sunt positæ, his tamen iustè obtemperatur: ratio est, quia ad bonum commune earum administrationes (in quibus sunt positæ) destinantur. Ac vt rem apertiorem reddã sit lex illa malè posita, quòd liceat ex fœnore augere nummos (& est quidem malè posita, si forum conscentiæ spectes) huic tamen obedire licet, quia aliter neque insatiabilis ciuiũ cupiditas & auaritia extingui, neq; publicum bonum ciuitatis conseruari potest: melius ergo est aliquandò legibus non bene positis malum tolerare, quàm perniciem ciuitatis admittere. Leges Absolutè Comparatè Bonæ malæ.

## Distinctio.

Leges positæ sunt malę bifariam,
- Simpliciter, & sic eis obedire non oportet in rectis reipublicæ formis.
- Comparatè & respectu, & sic obedire oportet, quia
  - Melius est tolerare malum quàm naufragium ciuitatis facere.
  - Mores populi ius semper extremum non ferunt.

Opp. *Iniustum est malè positis legibus obedire: ergo non licet: Antecedens probatur, quia leges malè positæ aliquid semper contrarium & repugnans iustitiæ permittunt, vtputa vsuram.*

Resp. *Leges malè positæ non semper iniustum permittunt, si aut intentionem latoris, aut conseruationem ciuitatis, in qua ponuntur, consideres.*

Opp. *Libro tertio Ethicorum Cap. primo docet Arist. potiùs subeunda esse exquisita tormenta quàm vt malum facias: ergo neq; bonis magistratibus licet tales leges ponere, neq; bonis ciuibus ijsdem latis obedire.*

Resp. *Negamus esse simpliciter malum tales leges ponere, aut ijsdem positis obtemperare; si finem ac bonum ciuitatis spectes.*

## CAP. IX.

*Vtrum in politia diuitum, pauperumq; filij eodem modo educari debeant?*

QVANDOQVIDEM vbiq; penè gẽtium mixta seu communis reipub. administratio celebratur (rarissimè enim simplex monarchia aut aristocratia eminet) Arist. non inconsideratè plura de politia (quæ est communis & mixta administrandi forma) hîc dicere contendit. Postquàm igitur politiã nihil aliud quã popularis ac paucorum potentiæ mixturam esse ostenderit, nunc qualis sit ista compositio, quotque eiusdem modi, breuiter & partitè demonstrat: & quoniam sunt tria cuiusque ciuitatis veluti symbola, iudicium, consultatio, electio; ex his tres modos politię elicit. Primùm inquit oligarchia hanc legem circa iudicium habet, vt diuites sub pæna mulctæ vocati ad celebrandum tribunal & iudicium ciuitatis veniant; In populari verò potentia lex iubet, vt pauperes sub eâdem pæna ad senatum veniant; inter hæc duo extrema medium politia tenet, nempè, vt tàm pauperes quàm diuites ad iudicia reipub. aditum patentem habeant; & hic primus modus est mixtionis. Alter est in quo sumitur medium ex parte consultationis, scilicèt, vt non solùm opulenti qui magnum, neque egeni qui paruum rerum cumulum censumq; habent, ad concionem de publicis negotijs veniant, sed obseruatâ cõditionis proportione omnes liberè accedant. Tertius modus creationẽ & electionem magistratus spectat, in quo ambitio nobilium reprimitur, qui solos diuites; & seditio multitudinis coercetur, quæ solos infimos ciues primas in repub. partes tenere velit. Est ergo optima reipublicæ mixtio ex paucorum & populari statu, cùm medium & quasi symbolum ex vtroq; sumitur, idq; quoad iudicium, consultationem, & electionem: in quibus cardo ciuitatis voluitur.

Politia quid? Cap.8.

Tria symbola ciuitatis, Iudicium, Consultatio, Electio.

Tres politia modi.

Optima reip. mixtio.



tur. Hoc triplici compositionis modo, vel potiùs medio inter oligarchiam & democratiam dato, eiusdem iam finẽ & quasi terminum ostendit Philosophus, vt sit quasi signum, & norma quâ sciamus, an rectè, an secùs ex his componatur politia, communi nomine respub. appellata. Certissimum (inquit) signum & argumentum est, tum benè componi politiam, cum nunc popularis, nunc paucorum potentia esse videtur, neutra tamen actu existit. Ratio est, quia medium comparatum ad vtrumque extremorum vtriusque rationem subire videtur, est tamen quiddam ab vtroque specie ac naturâ distinctum. Quemadmodùm enim est in corpore mixto respectu elementorum: ita est in politia respectu istarum administrationum ex quibus componitur. Nam vt illud specie & naturâ ab illis: ita hæc ab his vi & essentiâ differt: sic tamen differt, vt vires quasdam vtriusque in se comprehendat, quod in textu exemplo Lacedæmoniorum declaratur, quorum respub. nunc popularis, nunc paucorum potentia esse videbatur. Multi enim eam democratiam esse dicebant, multi oligarchiam; democratiam, quia in ea similiter diuitum pauperumque filij nutriti, instructi, educati, vestiti in magistratum electi fuerunt; oligarchiam, quia in ea dignitates non sorte, sed electione mandabantur, & quia penès paucos necis, atque exilij potestas fuit, quæ duo aliaq; multa in politia decreta, ac instituta oligarchiam videntur præseferre. Cæterùm si rẽ attentiùs consideres, intelliges politiam neutram istarum esse, sed per se & vi sua distinctam formam, & statum permanere. Nam vt imago ex cera & sigillo fit, & tamen neque cera neque sigillum dicitur: ita respub. ex democratia & oligarchia constituta est, & tamen neque hæc, neque illa definitur. Hæc summa est eorum quæ in hoc capite tractantur, sequitur nunc quæstio, quæ est, Vtrùm in politia oporteat diuitum, pauperumque filios eodem modo educari? Lacedæmonij (vt hîc docet Aristoteles) similiter pauperum diuitumq; filios aluerunt, instruxerunt, educarunt, imò apud illos in iuuenili ac virili ætate nulla in re illustrior aut insignior dives quàm pauper fuit. In hoc

Signum benè constitutę politiæ.

Medium. Extrema.

Lacedæmoniorum respub. Vide pol. 2.c. 4.& c.7.& Pla. 4.de leg.

Simile.

Quæstio. Plut.in Lycur. Polyb.hist.li.6.

hoc nodo dissoluendo primùm considerandum est curam instituendæ pueritiæ ac iuuentutis non solùm ad priuatos parentes, sed etiam ad magistratus pertinere; quippè in teneris annis spes est & seges futuræ ciuitatis. Secundò considerandum est quatuor esse quæ educationem puerorum respiciunt, nempe victum, vestitum, artem & exercitationem corporis, in quorum moderatione requiritur magna prudentia magistratus: nam victus tenuis ingenioſos, decora vestis humiles, ars doctos, corporis exercitatio ciues fortes reddit. Tertiò considerandum est, vtrùm expediat in politia omnes tam diuitum quàm pauperum filios eodem modo circa hæc habere; partem negantem teneo. Nam quamuis in democratia (in qua par libertas liberaq; æqualitas omniũ ac singulorum quæritur) similiter se habent, ne aliquid proprium ac priuatum esse videatur: In politia tamen, ac bene instituta repub. est hoc absurdũ, & planè à ratione alienũ, vt nulla generis, nulla sanguinis in victu, veste, arte, habeatur distinctio; hoc multipliciter probari potest, sed paucis argumentis contentus ero, quorum primum à vi naturæ, secundum à vi iustitiæ, tertium à fine, vltimum à necessario ducitur. A vi naturæ (quę vt antea probatum est) dominos & seruos, patres & filios, fœminas & viros ciuitati dedit; quam distinctionem personarum proculdubio non dedisset, si nullum rerum discrimen in illorum conseruatione prospexisset; nam quorsum domini ac serui, nobiles & ignobiles à natura homines dicerentur, si eadem omninò filiorũ vtriusq; in educatione haberetur ratio? Maiorem splendorem soli quàm lunæ, ampliorem honorem domino quàm seruo natura dedit: quod certè fieri non potest, si sub eodem sidere ac fortuna seruorum ac dominorum filij eandem educationis sortem in ciuitate habeant. A vi iustitiæ hoc ipsum probatur, quia ciuilis iustitia naturalem sequitur, si ergo natura distinctionem voluit, eam iustitia non pernegabit: sed hæc distinctio discerni non potest, si diuersa educationis semina in tenera ætate non spargantur. Tertia ratio suscepta est à fine, quia diuitum pauperumque filij ad diuersos fines muneraq; in repub. destinantur, necesse est ergo vt eodem prorsus modo non informentur. Antecedens patet, quia in politico statu nobilium diuitũq; filijs honos, pauperum verò filijs onus reipub. imponitur: illi enim ad puppim sedentes clauum tenent, hi pinum scandunt remisque in fluctibus laborioſè incumbunt, hîc tamẽ oligarchicum illud decretum, vel potiùs paradoxum non probo, quòd solùm diuitum nobiliumq; filij liberalibus scientijs instituerẽtur. Rectè Seneca in libro de beneficijs. Errat, inquit, si quis existimet seruitutem in totum hominem cecidisse, quoniam melior pars manet semper exempta nempe anima; nulli ergo præcludi debet scientia atq; virtutis via. Imò iniustum adeoque contra naturam est, vt naturæ ad bonum inclinatio vel scintillula extingueretur: si ergo pauperum filij fertilioribus ingenijs nati sint, iniurioſum est, si ab academicis spacijs ad sterquilinium, si à musis ad rastrum vrgeãtur. Si dicat hîc aliquis deesse pauperibus, vndè illorum filij Athenis inter Musas viuerent; respondeo ciuitatis hanc curam esse debere, vt radicem & herbam conseruationis suæ non negligat, nõ contemnat; quod quidem fecerit, si omnes & singulos pauperum filios à philoſophiæ studio penitùs remoueat. Ter quaterq; beata Anglia nostra dulcissima patria ob hoc certè est, in qua tot nobilissima collegia, tot augustissima gymnasia deo in vsum pauperum consecrantur; faxit Christus vt semper salua & inconcussa floreant, vtque in ijs pauperum filij studioſè instructi ac educati viuant. Stultum id est quod hîc objicitur, nimirum sapientiæ studium diuitum filios à filijs pauperum rectè distinguere; stultius illud, Musarum tãtam esse dulcedinem, vt eâdem à pauperum filijs degustatâ plurimi crapulam bonarum artium contraherent, & pauci relinquerentur, qui artes mechanicas atque res rusticas exercerent. O vtinam procerum pauperumque filij philoſopharentur, donec crapulâ bonarum artium contabuisse dicantur. Sed quid ago? Postrema ratio est à necessario, quia illorum educatio tenerior esse debet, in quibus spes, & anchora reipub. magis consistit, sed in nobilium diuitumque filijs

Quatuor in educatione liberorum respicienda.
Victus.
Vestitus.
Ars.
Exercitatio.

Distinguendi sunt nati nobilium à filijs priuatorum.
Ratio quadruplex.

Pol. 1. cap. 3.

Ciuilis iustitia naturalem sequitur.



Pauperum etiam liberi liberalibus artibus instituendi.

Paupertas inimica bonis.

Paupertas subsidium ad philoſophiam.
Anglia.

filijs spes & anchora reipublicæ magis consistit: ergo illorum educatio tenerior esse debet. Assumptio huius syllogismi probatur, quia diuites, aut successionis sorte, aut multitudinis consensu sæpiùs, quàm pauperes ad apices ciuitatis euehuntur, in quibus aut lumina ad salutem, aut fulmina in perniciem solent existere, nam publicis & priuatis opibus armati plurimùm prodesse aut nocere possunt. Si ergo politiam spectes, sit Cæsaris filius delicatè nutritus, vt diû naturę viuat; sit castè institutus, vt diû ciuitati viuat; sit purpurâ vestitus, vt honoretur à ciue; sit in palęstra exercitatus, vt formidetur ab hoste.

Vide pol 1.c.2. Pla.pol 7. Eth. 6.cap.12.& vlt. Perfectiorem quis requirat ciuem.

## Distinctio.

Exponũtur in hoc capite tria,

- Triplex compositio politiæ, vt sit quasi medium inter oligarchiam & democratiam in
  - Iudicio.
  - Consultatione.
  - Electione.
- Finis politiæ, quæ est moderatio illarum administrationum quæ per se non rectæ reip. formæ videntur esse.
- Dubium, An in politia eodem modo diuitũ pauperumq; filios educari oprteat, cuius negatio probatur à
  - Vi naturę, quæ distinctionẽ vtriusq; faciunt.
  - Vi iustitiæ, quæ distinctionẽ vtriusq; faciunt.
  - Fine, quia ad diuersos fines destinantur.
  - Necessario, quia necesse est vt maior cura illorũ habeatur à quib⁹ magis ciuitas depẽdet.

## Opp. Contra quæstionem.

*In optima politia Lacedæmoniorum diuitum pauperumq; filij eodem modo instituti fuerunt, vt apparet in textu: ergo inconsideratè contrarium fieri debere in politia hoc loco defenditur.*

Exemplum non est lex.

Resp. *Exemplum vim legis semper non habet: ratio igitur hæc nõ cohæret, nam est à secundùm quid (vt aiunt) ad simpliciter, neq; hoc loco quid factum sit quærimus, sed quid expediat fieri.*

Opp. *In politia apparere oportet democratiam, vt hic requirit Arist. sed in democratia eodem modo diuitum pauperumq; filij educari debent: ergo in politia eandem educationis formam obseruare oportet. Maior & minor sunt in textu.*

Resp.



Resp. *Aliquid apparere potest duobus modis, aut potentiâ vt elementa in mixto & democratia in politico statu reipub. de quo nunc agimus: aut actu, & sic vt in politia appareat popularis potentia non requirit Philosophus.*

Democratia apparet in politia, potentiâ, non actu.

Opp. *Æqualitas in omni reipub. statu obseruari debet, vt docet Arist. in secundo libro Politicorum: ergo videtur requiri vt similis sit omnium educatio. Argumentum probatur, quia si dispar sit educatio, æqualitatis proportio non obseruatur.* Pol.2.c.3.& 5.

Resp. *Æqualitas est duplex, vel ponderis (vt aiunt) vel iustitiæ; illa in ciuitate non requiritur, vt omnes & singuli sint dignitate pares, hæc verò requiritur, vt cuiq; quod suum est pro merito tribuatur; cùm ergo non sit eadem diuitum pauperumq; in politia ratio, eadem non debet esse filiorum in vtroq; gradu educatio.*

Æqualitas, Ponderis, Iustitiæ.

Opp. *Similitudo morum ac studiorum maximè in politia optanda est, sed si eodem modo pauperum ac diuitum filij instituantur, similitudo morum ac studiorum sequitur: ergo eodem modo pauperum diuitumq; filij instituti debent. Maior constat, quia in similitudine morum ac studiorum vera consistit amicitia, quæ conseruatrix ciuitatis dicitur. Minor patet, quia educatio futuræ vitæ radix est ac fundamentum.*

Amor similium. Cic. de Amic.

Resp. *Morũ ac studiorũ similitudo non ab externis sed ab internis causis ac principijs oritur. Victus, vestitus, exercitatio corporis externa sunt, ars & virtus interna seminaria morum, sed hæc duo postrema veram hanc similitudinem ciuiumq; concordiam gignunt. Quarè etsi dispar sit victus, vestitus, exercitationis proportio; in virtute tamen verissima potest esse morum ac studiorum consensio.*

Opp. *Pauperum ac diuitum filij sic educari debent in benè instituta ciuitate vt fiant boni: sed vna & simplex via virtutis est: ergo eodem modo pauperum diuitumq; filij educari debent. Maior est Arist. 1. Eth. Minor est in 2. vbi docet vnum esse bonum, malum verò infinitum. Præterea virtus in omnibus victum tenuem vt temperantia, decoram vestem vt modestia, artem vtilem vt prudentia, corporis exercitium vt fortitudo postulat: ergo tam in rebus externis quàm in internis educationis requiritur similitudo.* Eth.1.cap.2. Eth.2.cap.6.

Resp. *Hæc omnia arguunt diligentem curam habendam esse vt tã pauperum quàm diuitum filij ad virtutem informẽtur, nõ tamẽ con-*

Filij paupe-rum ad frugalitatem, liberi diuitum ad magnificentiam cohortandi.

*concludunt penitus eodem modo. Nam quamuis vna & simplex est virtutis via, si essentiam; est tamen multiplex, si existentiam modumq; acquirendi spectes: fateor ergo tã pauperũ quàm diuitum filios effingi debere ad virtutem, sed non eodem modo. Exempli causa. Oportet pauperum filios ad frugalitatem, diuitum autem filios ad magnificentiam in tenera ætate adhortari.*

Dubium.

*An iustè in politia irrogetur mulcta recusantibus officium?*

RARISSIME hodiè aduersus flumen honoris nitimur, quis enim oblatum aurum respuit? Quis munus officiumq; dignitatis recusat? Verùm si sit aliquis Heraclitus qui mallet talis cum infantibus ludere, quàm ad senatum Athenienſium venire, si sit Themistocles qui citiùs ad inferos quàm ad tribunal venit, dicat hìc causam, & certè alter eriò vobiscum agam. Frabriti, te oportet ab aratro ad forum, oportet te Appi senex grauissime ab hemicyclo tuo ad theatrum accedere: res rusticæ tuę te non excusent Fabriti, cęcitas, canitiesq; tua te nõ excusent Appi, vocat patria, festinare oportet; officiũ offert, recusare non licet: si ergo vocati negetis venire, iustè profectò irrogetur mulcta, non iniquè vobis infligetur pęna. Quid statis? Non est quòd morosè sic cana concutiatis capita, morari non possum, quarè punctis vobis hoc ipsum probo. Patria communis parens est omnium pro qua mori oportet: ergo illi vocãti ad officium sub pœna resistere, ac repugnare non licet. Præterea dignus est pœnâ, qui ciuitati suum auxiliũ rogatus non præstat: sed qui recusat officiũ ciuitati suum auxilium rogatus non præstat: ergo qui recusat officium dignus est pęnâ. Deinceps si liceret dignis recusare officia, indignè sæpè tractaretur resp. sed pęnã hoc meretur: ergo & illud. Porrò cur (vt hìc ait Arist.) in oligarchia mulcta locupletibus irrogaretur (nisi munus iudicij obijssent) si in politia, quæ est melior constitutio ciuitatis, hoc ipsum agere non liceret? Postremò, miror profectò, cur ocyùs non moueamini, cum leges cuiusq; penè ciuitatis ac gentis hanc pœnam iustissimam esse concluserint: nam

Heraclitus. Ælian. 9. va. hist.

Vide Mach. in Liui. l. 1. c. 36. Affirmatur quæstio. Confirmatio.

Patria parens communis. Vide pol. 2. c. 7.



nam Lacedæmonij exilio, Romani libertatis dispendio, Athenienses capitis supplicio reos huius criminis dignos esse iudicarunt. Distinctio patet.

Qui oblatum recusant magistratum puniendi.

Opp. *Rarissimè aut nunquàm oblata officia ciuitatis recusantur: ergo vt otiosum est remedium adhibere cum morbus non vrget: ita vanum est pœnam constituere cum crimen non committitur.*

Resp. *Vt medici non solùm morbos curare solent sed etiam sollicitè ne eueniant præcauere: ita politici nõ solùm malis præsentibus occurrũt, sed pœnã minitati à futuris ciues deterrere conãtur; & quãuis raro cõtingit recusatio ciuilis officij, in quo aut honor, aut odor lucri ineſt, si tamen contingat abundans cautela iuris non nocebit.*

Abundãs cautela non nocet.

Opp. *Anteà probauit Philosophus senes ex parte non esse ciues, necnon liberari officijs reipub. ergo aliquibus licet recusare.*

Pol. 3. cap. 1.

Resp *Decrepitos, imbecilles aut delirantes senes illic secundùm opinionẽ interpretum Arist. intelligit. Præterea optandũ est vt valdè senes immunes fiant, aut saltem leniore mulctẽtur pœnâ, vt qui præturam Londini recusant ducentas libras ciuitati soluunt.*

Londinenſes.

## CAP. X.

*Vtrùm liceat tyrannum patri legitimè succedentem è vita tollere?*



REVEM sermonem de tyrãnide habendum hìc esse ait Philosophus, quia omnium formarum (siuè rectę sint siuè non rectæ) habetur longè deterrima, necnõ indignissima philosophandi arte: est enim labes regni, luesq; iustitiæ & æquitatis. Cæterùm, vt in medicina non solùm sanitatem sed morbum: ita in politica scientia non solùm rempub. sed eiusdem errorem describi oportet. Dicendum est enim de tyrannide vt de vlcere, & de tyranno vt de vulture ciuitatis. Repetit hìc Arist. pauca quæ superiùs de tyrannide discussa ac disputata sunt. Attulimus inquit duas species tyrannidis, quarum vna apud Barbaros, alia apud Græcos in vsu fuit: prima nempè Barbarorum per successionem totamq; vitam, secunda nempè Græcorum ne-

Tyrannis lues æquitatis.

Tyrannis vlcus, tyrannus vultur ciuitatis

Cap. 10. lib. 3.

Tyrannis, Græcorum, Barbarorum, Æsymnetia.

neq; per ſucceſſionẽ neq; per totã vitã,ſed præfinito tempore conceſſa erat. Hæ duæ adminiſtrandi formæ in duobus cum monarchia, in duobus etiam cum tyrannide cõferũtur: cum monarchia, primùm quia vtuntur legibus, ſecũdò quia in volentes, aut ſaltèm non repugnantes imperiũ geritur;cũ tyrannide, primùm quia gubernatio in iſtis non eſt paterna ſed herilis;ſecundò quia ad priuatã commoditatẽ referuntur omnia,& non ad publicũ bonũ ciuitatis, ſed hæ duæ ſpecies mixtę ſunt nõ ſimplices,analogicę non verę. Tertia in textu ſequitur quę expreſſa monſtri imago eſt, veraq; ſpecies ac forma tyrannidis;hęc tres notas & labes deformitatis habet, prima in fronte hęret,cum tanquàm impudens meretrix regiam maieſtatem imitatur, cui tamen in omnibus maximè opponitur;ſecunda eſt in mente (ſi mentẽ habeat) quia non ratio ſed furor,nõ ęquitas ſed libido in ea imperat; Tertia in ferratis dentibus vnguibuſq; incuruatis cernitur, nã illis deuorat, his lacerat & dilaniat omnia: tota ergo hæc ſpecies monſtroſa eſt & ſolùm nomine ſpecioſa. Quarè concludit his verbis Ariſt. Quapropter(inquit)inuitis imperat(intelligit tyrannidem)nemo enim liber & ingenuus tale imperium ęquo animo ferre poteſt.Ex hac ſententia iam quęſtio naſcitur An tyrannũ patri legitimè ſuccedẽtẽ liceat è vita tollere? Certè vt vno quaſi ictu ſcopũ attingam, non licere puto. ſed dices; Ariſt. planè contrarium hoc loco innuit, nam ſic ait: Nemo liber & ingenuus tale imperium æquo animo ferre poteſt. Quid ex his verbis colligis? ſcilicèt licere tyrannum quouis modo è vita tollere. Ineptè colligis: nam quamuis ęquo animo ferre non poſſit, vi tamen iuſtitiæ coactus ferre & ſuſtinere debet. Deliras certè: nam Ariſt. alibi docet licere tyrannum occidere; imò tu deliras, nam quamuis doceat ille quidem licere tyrannum occidere, non tamen diſtinctè tyrannum patri legitimè ſuccedentem illic intelligit, hæc igitur argumenta parùm mouent. Nemo liber & ingenuus æquo animo tyrannidem ferre poteſt: ergo licet tyrannum occidere; & iterùm licet tyrannum vi ſibi accipientem imperium occidere; ergo tyrannum patri legitimè ſuccedentẽ licet

Vide Plat.pol. 8.& 9.

Vera tyrannidis imago.

Quæſtio neg.

Vide Vindicias cont.tyran. quæſt.2. Buchan.de iure regni apud Scotos.

Tyranni filius è vita non tollendus.

Tyrannus Titulo Exercitio.

Vide Bartol. de tyrannid.



licet occidere. Sed omiſſis verborum ambagibus argumentis certo.Rex legitimus occidi non debet:ſed tyrannus legitimè ſuccedens patri rex eſt: ergo tyrannus legitimè ſuccedens patri occidi nõ debet.Maior conſenſu omniũ Philoſophorum conceditur,quia ſacrum eſt nomen regis,cùm in eo dei,iuſtitię ac totius ciuitatis imago cernitur: Minor probatur,quia ſucceſſio ius regni dedit, quod vitio hominis labefactari quidem poteſt: at arbitrio multitudinis tolli iuſtè nõ poteſt. Prętercа nõ licet priuatũ quouis modo occidere:ergo multò minùs tyrãnũ legitimè ſuccedentẽ licet occidere. Antecedẽs patet,quia vita hominis chara eſt ciuitati, & ſine lege extingui nõ debet. Ratio tenet,quia ſi id facere nõ liceat quod minus eſt,id demùm quod maius eſt nõ licebit facere:at maius eſt tyrãnum quàm priuatũ occidere. Porrò illud facere nõ licet quod ſubitaneos motus ſeditionis in ciuitate gignit,omnẽq; monarchiã incertã reddit:ſed interfectio tyrãni legitimè ſuccedẽtis patri hęc duo mõſtra & mala parit: ergo talis interfectio tolerari nõ debet.De maiore nemo dubitat,minorẽ autem probo, quia rege per vim ſublato attonita redditur multitudo, rerũq; magna viciſſitudo ſequitur, nec nõ feneſtrâ hac ſemel apertâ,quòd liceat occidere, monarchię optimę in diſcrimẽ vocãtur, quippè in nulla repub. Bruti & Caſſij deſunt, qui Cęſares clementes ſub nomine & prętextu tyrãnidis in ipſo ſenatu cõfoderint. Deinceps omnis rex legitimè ſuccedens ſit bonus aut malus eſt dextra vel ſiniſtra dei:ergo nõ licet illũ occidere.Rationẽ probo,quia ſi bonus ſit,horrẽdũ eſt occidere; ſin verò malus, illũ occidere nõ eſt à diuina prouidẽtia depẽdere quę aliquãdò Iulianos, aliquãdò Iuſtinianos & Conſtantios populo præeſſe iubet. Adhuc ſecundũ Philoſophũ, Arma non licet in tyrannũ legitimè ſuccedentẽ ſumere:nedũ ergo licet illũ occidere. Antecedens probatur,quia prouidẽtię eſt potiùs conſilio reges corrigere quàm inſidijs è vita tollere. Poſtremò antiquitatis exẽpla ac teſtimonia noſtras in hac re partes plurimùm cõfirmant: ſub Neron.Calig.Heliogab.alijſq;monſtris tyrãnidis vixerunt beatiſſimi patres;at eorũ nemo conſpirauit.Da-

Rex imago Dei,iuſtitiæ & ciuitatis.

Iob.34.30.

1.Reg. 24.7. & 26.9. uid rex ille vnctus Saulem nõ tetigit, Elias Achab igne non ſuſtulit, Moyſes & Aaron Pharaonis immanem crudelitatẽ fugerunt, deo autem ſuæ oppreſſionis vindictam reliquerũt.

## Diſtinctio.

Attinguntur in hoc Ca. duo, nempè

- Species tyrãnidis, quæ ſunt aut
  - Mixtæ, & hę partim conſtant ex
    - Monarchia, quatenus ſecundùm leges ſeuerè, ſed vt hera imperat.
    - Tyrannide, quatenus priuatum bonum & non cõmune quęrit.
  - Simplex, quæ per omnia monarchiæ opponitur.
- Quæſtio, ſcilicet, an liceat tyrannum legitimè ſuccedentem occidere? negantem partem defendimus ſex argumentis quæ ſuprà ſatis diſtinctè patent.

Opp. *Maximum malum quouis modo licet radicitùs è ciuitate tollere: ſed tyrannus qui ſub velo ſucceſſionis ſe in regnum inſinuat eſt maximum malum: ergo tyrannum qui ſub velo ſucceſſionis ſe in regnũ inſinuat, quouis modo licet è ciuitate tollere. Maior conſtat, quia maximum malum latiùs ſerpens non aliter totã ciuitatem quàm pars putrida totum corpus corrumperet. Minor probatur, quia tyrannus, qui ſub velo ſucceſſionis ſe in regnum inſinuat, non aliter quàm vipera ſuam matrem deuorat.*

Tyrannus vipera.

Reſp. *Primùm reſpondendum eſt ad maiorem, nempe quòd de modo tollendi malũ è ciuitate dubitemus, imo affirmamus nõ quouis modo pro cuiuſq; arbitrio, ſed quouis modo pro ſapientum iudicio & conſilio maximum malum eſſe à ciuitate extirpandum: at conſiliũ ſapientum non iubet, vt rex qui euadit tyrannus pugiunculis Bruti & Caſſij confoderetur, ſed vt coacto ſenatu per prudentiorem partem multitudinis de maturo iuſtoq; tollendi medio conſultetur.*

Quibus & quomodo liceat tyrannũ premere.

Opp. *Licet hoſtem inſidiantem patriæ quouis modo occidere: ergo multo magis licet regem ſub velo ſucceſſionis tyrannidem exercentem quouis modo occidere. Ratio tenet à minore ad maius. Nam multo minus lædit rempub. Catilina quàm Cæſar, priuatus hoſtis quàm imperator tyrannus.*

Princeps tota ciuitas, priuatus pars.

Reſp. *Eadem non eſt ratio iſtorum ſiuè exemplum ſiuè periculum ciuitatis ſpectes, nam ſi priuatus hoſtis tollatur, pars ſolùm*



*lùm reſcinditur; at ſi rex occidatur, tota ciuitas in diſcrimen trahitur: non quòd non liberetur malo, ſed quòd hoc malo ad hunc modum ſublato maius ſeditionis creetur periculum. Reſpondeo igitur rationem adductam non tenere, quia eadem non eſt circumſtantiarum in vtroq; comparatio, quæ in ratione à comparatis neceſſariò requiritur.*

Opp. *Rex bonus dignus eſt, vt omni modo viuat & conſeruetur: ergo qui ſub ſpecie regni tyrãnus euadit dignus eſt vt quouis modo pereat & occidatur. Antecedens eſt Ariſt. in tertio. Ratio tenet à contrarijs, quia rex & tyrannus per omnia opponuntur, vt probatur anteà.* Cap.9. ad finẽ.

Reſp. *Non hominem ſed locum, non Phalaridem ſed Phalaridis officium conſiderare oportet; fatemur hominem ſic occupantem regnum quâuis nonnunquam pœnâ capitali dignum, at propter loci officiiq; reuerentiam & maieſtatem, gladius carnificis aut inſidiatoris cruore Cæſaris tyranni non tingendus: non ergo per omnia opponuntur, quia loco & officio conueniunt.* Homo Princeps diuerſa.

Opp. *Licet regem iniuſtũ ac flagitioſum occidere: ergo multò magis licet occidere tyrannum, tametſi ſub ſpecie ſucceſſionis rempub. inuaſerit. Antecedens probatur ab exemplo Arbacti qui Sardanapalũ, ab exemplo Otanis qui Magum, ab exemplis multorũ quos in 10. cap. 5. lib. meminit Ariſt. qui ſuos Cæſares occiderũt. Ratio tenet à maiore ad minus, quia maius eſt regẽ quàm tyrãnum interficere.* Iuſtin. lib. 1. Herod. in Thalia.

Reſp. *Non de facto ſed de iure hoc loco quærimus, agnoſcimus inſidijs, gladio, veneno, alijſq; excentis modis mille Cæſares fuiſſe ex hac vita ſublatos, negamus tamẽ iuſtè illud omninò fieri, licèt homicidæ iſti in hoc facinore colorẽ ac ſpeciem virtutis habeant: Eſt ergo huius enthymematis negandum antecedens, quippè non licet regem iniuſtum (dum ſedem occupat ciuitatis) è vita tollere.* Non exemplis viuendum ſed legibus.

Opp. *Dei ac religionis cauſà licet malos reges occidere; ergo licet etiam tyrannos eâdem de cauſa è vita tollere. Antecedens probatur à teſtimonio ſacræ Philoſophiæ, in qua laudantur Ehud qui Egton regem Moabitarum, Iael quæ Siſeram, Iehu qui Ioramum, Iudith quæ Holophernem occiderunt.* Iudic. 3. 21. Iudic. 4. 21. 4. Reg. 9 24. Iudit. 13. 9.

Reſp. *Caue ne temerè & periculoſè exemplum in legem, ac præceptum trahas; attende quòd Chriſtus tributum Cæſari non venenum* Matth. 17. 27.

3 Reg.18.38. 4.Reg.2.24. Matth.26.52. Vid.cap.2.

*nunquam dederit; quæ occulto motu, iussu aut instinctu dei fiunt, non semper vim legis habent: placuit ei, vt Elias flammas de cælo euocaret & Baalitas interficeret; placuit, vt Elizeus crudeles vrsos à siluis euocaret ad dilaniandos irridentes pueros; non tamen placuit vt Petrus gladium suum distringeret, nedùm vt filum vitale Cæsaris resecaret; si principes euadant tyranni sinistra dei sunt, si maneant boni dei dextra non immeritò appellentur: furiosum ergo est, & inexpiabile scelus has manus obtruncare, & patientèr non expectare, quid deus velit. At dices melius est vnum quàm legiones hominum perire; verum est quod dicis si dei sinistra in illo vno non esset, quæ rescindi non debet; sed qui sunt illi homines, quos perire asseris? si boni sint non pereunt, sin mali illorum flagitium est quòd pereant. Nam iustum iudicium dei est si in Syllana messe fructus boni non fiant, hoc est si in flammis persecutionis scoriam suorum scelerum non deponant.*

## CAP. XI.

*Vtrum ciuitas ex medijs ciuibus composita sit præ alijs reipublicæ formis politicè eligenda?*

*Vtrum egentes aut mendici sint in ciuitate tolerandi?*

Optimum absolutè, vt scopus proponitur. Optimum comparatè, vt medium definitur.

DVBIVM in fine prioris cap. à nobis more solito non est discussum, quia breuissima illic solùm est de tyrannide disceptatio, quæ vt docet Arist. longiorem non requirit sermonem: accedimus igitur ad ea quæ sequuntur, nempè, vt demonstremus quę sit optima respub. non tamen exactè & simpliciter, sed ea ratione ac modo quo pluribus ciuitatibus potest competere; aliud enim est optimam rempub. absolutè, aliud optimam comparatè atq; respectu definire: absolutè optima vt scopus proponitur, sed rarò attingitur; comparatè optima vt medium quod-



quoddam definitur, & pluribus in locis comparatur. Postquàm igitur Philosophus absolutè optimam (sit illa monarchia aut aristocratia, de quibus vna est quoad virtutem ratio) descripserit, omnesque rectæ administrationis formas labesque ostenderit, congruum nunc est, & consentaneum, vt communiter optimam delineet, hoc est talem, quæ à plerisque communicari potest, quæ neque exactam virtutis regulam, neque exquisitam educationis disciplinam postulat. Hoc dicit Aristoteles non quòd non existimet simplicitèr illam optimam rempublicam esse in qua sola virtus imperat, sed quia theatro vitæ humanæ ante oculos posito animaduerterit hoc fieri non posse, vt heroica virtus ab omnibus politicè in hoc stadio currentibus religiosè adoretur, neque si politicam vitæ tragædiam spectes, hoc sequitur necessariò optimos viros optimos ciues esse; imò sæpè contingit virtutis studiosos esse ignaros ciuitatis. Constituit hic ergo Philosophus mediam faciQuæstio.
lemque viam, quam quodam respectu optimam appellat; hinc quæstio est quam nunc tractamus, nempè, An ciuitas ex medijs ciuibus composita sit præ alijs reipublicæ formis eligenda? Affirmat Aristoteles vt optimam eligendam esse; sed distinguendum hîc est, quòd medij ciMedij ciues quatuor dicuntur modis.
ues dicantur quatuor modis, aut qui inter virtutem & vitium, aut qui inter honorem & ignominiam, aut qui inter nimiam rerum copiam & paupertatem, aut denique qui inter libertatem & seruitutem rationis medium & præscriptum tenent. Omnibus his modis medium hoc loco intelligitur, maximè verò inter secundarum rerum possessionem & inopiam. Progreditur Philosophus, primùm generatim, Medij ciues optimi.
tùm speciatim demonstrando propositum: generatim hoc modo; Optimi viri non sunt semper periti ciuitatis: at facinorosi sunt ciuitatis pestes: ergo medium vtriusque tenen- Inter vtrunq; vola.
dum. Præterea, qui nobilitate pręstant plerumq; superbi & petulantes sunt, qui verò ignominiâ laborant sæpè malefici & odiosi fiunt: ergo optima administratio ea est, quę medi- Medio tutissimus ibis.
um inter vtrumq; tenet. Idē dicendū est de diuitijs & inopia

rerum de libertate & seruitute, adeoque de istorum medio, quod qui attingunt in politica administratione beatissimè tutissimeq; dicuntur viuere: nã vt hic ait Philosophus, qui in excessu rerum secundarũ aut amicorũ viuunt, imperio parere nolunt, neq; rectè imperare sciunt, molles enim sunt, rudes, contumelioſi, inuidi, & inuisi omnibus; ciuitas ergo ea, quæ ex medijs constat optima habetur: sed hoc ipsum pluribus argumentis speciatim ex textu demonstrari potest, idq; ad hunc modum. Ciuitas illa est optima, quæ vitam ciuium cum virtute coniunctam habet: sed ciuitas ex medijs ciuibus constans vitam cum virtute coniunctam habet: ergo ciuitas ex medijs ciuibus constans est optima. Iterùm illa ciuitas, cuius ciues facilè obtemperant rationis imperio, est communiter optima: sed ciuitas quæ constat ex his, qui neq; excedunt neq; deficiunt in rebus secundis talis est: ergo ciuitas quæ constat ex medijs est optima. Tertiò ex æqualibus & similibus optima ciuitas constituitur: sed medij ciues sunt æquales & similes: ergo ex medijs ciuibus optima ciuitas cõstituitur. Quartò vbi nullæ insidiæ, inuidia nulla, nulla sitis cupiditasque alieni est, ibi optima ciuitas est: sed inter mediocres, medioſq; ciues istorum nihil est: ergo ex medijs ciuibus optima ciuitas constituitur. Quintò, ciuitas quę à natura ortum, & conseruationem habet, est quidem optima: at talis est ciuitas ex medijs constituta, vt testimonio Phocylidis in textu probatur: ergo ciuitas ex medijs constans est omnium optima. Sextò, ciuitas quæ nullis seditionibus æstuat, est optima: sed media ciuitas nullis seditionibus æstuat: ergo media est quidem optima. Postremò, ciuitas quę præstantissimos legumlatores habet, est optima: sed media ciuitas præstantissimos legumlatores habet, vt probatum est exemplis Solonis, Lycurgi, Charondæ, aliorumque in textu: ergo ciuitas media est optima. His positis cõparat Aristoteles alias rerumpublicarum formas populariter susceptas cum hac administratione, quam nunc præstantissimam esse probauit, easque dicit aut meliores aut deteriores existere, quo magis aut minus ad hanc accedere videantur.

Optima cur sit ciuitas media.

Vide pol.2 c.1. & l.3 c.3.& 4.

Vide Plut.in Solon.& Lycurgo.& Diod. Sic.biblioth. lib.12.

Altera



Altera quæstio, quæ est, an mendici & egentes sint in ciuitate tolerandi? ab his verbis in textu pendet. In omnibus igitur vrbibus tres sunt partes ciuitatis: alij valde copioſi & locupletes, alij egentissimi ac tenuissimi, tertij inter hos medij: (& paulò post) perspicuum est rerum secundarum possessionem mediam omnium esse optimam, facillimè enim adduci potest vt rationi obtemperet. Causam addit, quoniam is qui supra modum est pauper (id est mendicus) rationi difficulter obsequetur, quippè vt diuites sunt plerique petulantes & contumelioſi, ita mendici ac miseri maxima ex parte leues quidem & malitioſi existunt: Ne verò hoc malum in ciuitate contingat, libro sexto cap. quinto consulit Aristoteles vt opulenti, qui opes immensas congerunt & coaceruant, quique facultatem mercaturæ faciendæ habent, egentibus ad necessitatem vitæ suggerant & largiantur. Rectè quidem in hoc suadet Philosophus. Nam ciuitas beata esse debet, ergo ciues esse miseros non decet: ciuitas rerum omnium copiâ abundaret, ergo nemo in ea necessarijs indigeret ad vitam; rogare vestem peregrino pudor est, ergo ciui mendicare cibum nefas est; prouidere igitur oportet (vt verbis Philosophi vtar) ne multitudo sit nimis egens, immo excogitandum est artificium vt diurna sit copia rei familiaris, vtq; Epulones ac diuites Lazaris, infirmis, miseris opitulentur. Quid moror? Ciuitas in se sufficiens esse debet, ergo nemo mendicaret: ciuitatis decus & honor est vt nihil ad vitæ necessitatem desit: ergo mendicus in ea ne viuat: mendicitas rapax est fraude & malitiâ plena, prouidendum ergo est vt nemo in ciuitate cogatur mendicare. Postremò maiores nostri vbiq; gentium in suis ciuitatibus mẽdicantes non habuerunt, vtile ergo illorũ sapientiã & exemplum imitari: sed quid agis? Non miseros, non mendicos illos esse existimas qui claudi, vulnerati, parentibus orbi, omni ope & copiâ rerum destituti, in carceribus & hospitijs viuunt? Non sanè: si illis ciuitas ex sua abundantia rerumque fluxu consulat. Christe bone, vbi hæc miserorum cura? Multi sunt hodie epulones qui canem ad laniandum non panem ad sustentandũ Lazarũ foribus

Vide Pla.po.4 & de leg.ca.9.

Lib.6. Pol.c.5.

Pol.2.cap.1.

Pol.1 cap.2.

foribus emittunt. Sed auſculta diues, te nudum natura parit, te nudum mala fortuna reddit. Quid ergo intonas in paupe-
res? Cur caperatâ fronte intueris mendicos? Xerxes opibus & armis oppleuit Græciam, at ſcaphâ vix tutus reuertit in
Iuſtin. patriam. Cræſus es hodie? Cras eris Irus. Cæſar es hodie? Cras ſine regno viues. Si ſapias ergo, egentes foueas, vt ſi ab alto cadas in viſco non hæreas: nam quo ſtatu nunc es vides; at neſcis, neſcis incaute quæ te miſeria præmet. Honor vmbratilis eſt exiſtimatio hominum, cui nimium ne credas; fugax eſt hæc pompa mundi; auidiùs eandem ne diſcupias. Si ſucceſſio te nobilem, te diuitem, te regem fecerit; neminem pauperum proteras, neminem proſternas; quippe nobilis Pompeius, Diues Lucullus, Rex Dionyſius cecide-
runt.

## Diſtinctio primæ quæſtionis.

Ciuitas optima dicitur duobus modis, aut

Abſolutè, cum ſola virtus imperat, vt in ſimplici monarchia aut ariſtocratia, quæ duæ formæ adminiſtrationis rarò aut nunquam apparent, proponuntur tamen tanquam exemplaria, ad quæ contendentes mediam rempublicam inueniamus, quæ optima hoc loco dicitur.

Comparatè, cùm partim virtus viri, partim virtus officij imperat; in qua neque affluentes nimium, neq; nimium depreſſi paupertate viuunt, & hęc optima eſſe probatur, vt anteà oſtendimus.

Opp. *Media ciuitas non ſolùm ſecundùm virtutem dirigitur: ergò rectè optima hoc loco non definitur. Antecedens patet, quia tota diſputatio Philoſophi eſt de medio inter diuitias & paupertatem, quod non eſt virtus. Ratio ſequitur, quia à virtute ſolùm res optimæ nominantur.*

Virtus viri officij. Optimum Reſpectiuè, Abſolutè.

Reſp. *Virtus hoc loco non tam viri quàm officij intelligitur; cum enim omnes & ſinguli non poſſint exactè virtutem aſſequi & exercere, Ariſtoteles mediocrem ſtatum, quem optimum appellat, excogitauit, optimum (vt diximus) reſpectu non abſolutè.*

Opp.



Opp. *Politia maiorem habet cum corpore humano ſimilitudinem ac proportionem, quàm hæc media, de qua loquitur Philoſophus: ergo eſt melior. Antecedens probatur, quia in politia magna eſt diſſimilitudo partium, vt in corpore humano. Ratio cohæret, quia ciuitas illa optima in textu vocatur, quæ proximè ad naturam accedit.*

Reſp. *Maior non eſt in politia ſimilitudo ac proportio cum corpore humano ſi vnitatem & conſenſum ſpectes, quæ duo (vt docet Philoſophus) maximè in ciuitate requiruntur.*

Opp. *Virtus eſt medium, vt docet Ariſtoteles in Ethicis: ſed hoc loco ponitur vt extremum: ergo malè inſtituitur quæſtio.* Minor probatur, quia medij ciues dicuntur qui inter virtutem ac vitium, honorem ac ignominiam, libertatem ac ſeruitutem pendent. Ethic. lib. 2. cap. 3.

Reſp. *Virtus extremum hoc loco dicitur reſpectu excellentiæ ac perfectionis ſuæ, quam rarò ciues attingunt, medium ergo, vt loquuntur, poſſibile aſſignatur, quod ciues facilè aſſequantur.* Medium poſſibile.

Opp. *Medij ciues non poſſunt ſuſtinere maximos ſumptus, quos oportet in ciuitate: ergo media ciuitas non eſt optima.*

Reſp. *Non requiritur, vt ciues, ſed vt ciuitas maximos ſumptus publicè ſuſtineat, ſed hoc commodiſſimè fieri poteſt in media ciuitate, in qua pax vt dea adoratur.*

## Diſtinctio & ſtatus ſecundæ quæſtionis.

Egentium alij ſunt

- Infirmi, & hij ſunt aut
  - Orphani, vt mendicorum filij. — Pro his Londini inſigne hoſpitium paratur, quod à Chriſto ſuum nomen duxit.
  - Decrepiti, cęci, claudi & infecti &c.
- Infortunati, qui ſunt aut
  - Vulnerati milites, — Pro his hoſpitium diui Thomæ inſtituitur.
  - Deiecti ciues,
  - Ægroti pauperes,
- Diſſoluti, qui ſunt aut
  - Prodigi, qui omnia exhauriũt, — Pro his carcer, labor, flagellum, in celebri loco, (Bridwell nominato) apparãtur.
  - Vagabundi, qui nuſquam & vbique manent,
  - Deſidioſi, vt lenones & Lides qui ciuitatem inficiunt.

Argumenta hîc non excudimus, quia vberiùs in alijs libris de hac materia diſſerendum erit.

Dubium.

## Dubium.

*Vtrum magnæ ciuitates paruis sint diuturniores?*

INTER signa quibus probat Aristoteles mediam ciuitatem esse optimam, hanc habet opinionem, magnas ciuitates esse diuturniores paruis: sed rara est in multitudine concordia, rara morum ac studiorum similitudo: huic contrarium ergo sequi videtur. Attendendum hîc est, quo sensu Philosophus opinionem istam defendat; Non enim docet magnas, ac populo refertas ciuitates esse diuturniores simpliciter, sed respectu eius mediocritatis de qua hoc loco differit: si enim immensa & numerosa ciuitas ex medijs ciuibus sit compacta ac constituta, quæ neque abundantiâ rerum nimiâ insolescere, neque nimiâ rerum penuriâ contabescere videatur, quisque sorte ac fortunâ suâ contentus in ea viuet, minùsque aliena appetet; vnde magna vis amicitiæ ciuilis nascitur, in qua viuit, viget, floret, & conseruatur ciuitas: quo ergo maiores sunt ciuitates ex medijs ciuibus constitutę, eo minùs seditionibus sunt obnoxiæ, atque ob eam causam magis sunt stabiles ac diuturnæ, & hęc est sententia Arist.

Quid per magnas ciuitates intelligat Arist.

Vide Po. 2. c. 5. Pol. 2. cap. 2. Plat. 3. de leg.

Opp. *Vnitas & consensio virtutis solum concordiam nutrit: ergo malè hoc loco defenditur contrarium.*

Concordia, Ethica, Politica.

Resp. *Concordia sumitur duobus modis, aut ethicè pro amicitia, & sic in sola virtute consistit; aut politicè pro pace ciuium, & sic in æqualitate quadam bonorum cernitur.*

Opp. *Magnæ ciuitates pluribus fortunæ euentis subiectæ sunt iuxta illud,*

Seneca in Hippol.

Minus in paruis fortuna furit.
Leuiusque ferit leuiora Deus.

*Ergo magnæ ciuitates non sunt diuturniores. Antecedens probatur, quia plures ciues habent diuersos ac dissimiles mores, & quia maiore hostium odio plerumq; vulnerantur.*

Resp. *Verum hoc est si animi ciuium distraherentur, quod in medijs ciuibus non contingit, cum singuli quod satis est habeant, suisq; viuant contenti: quod cum ita sit, facilè hostem supprimunt, pacemq; diuturnam in sua ciuitate colunt.*

CAP.



## CAP. XII.

*Vtrum pro qualitate & quantitate ciuium omnis respub. sit temperanda?*

DISSIDENTIVS loquuntur hîc quidam interpretes Arist. incerti ancipitesq; (vt videtur) quid sibi velit per qualitatem ac quantitatem ciuitatis; sed res sine lite est, si antecedentia cum præsentibus conferamus. Nam posteaquam omnes & singulas reipub. formas tam genere, quàm specie distinxit, eamque etiam demonstrauit, quæ populariter communiterque media, & (vt aiunt) ex suppositione optima habetur, expedit vt nunc tandem quæ, qualis & quanta cuique populo conueniat, limatiùs demonstretur. Nam sicut est hominis politici exemplares respub. philosophico veluti lapide examinatas proponere, vt ad difficilia & pulchra in ciuili vertendâ sphærâ studia ac cogitata nostra ferantur: ita est prudentis viri mediocres facilesque administrandi formas describere, quas viribus moribusque diuersorum hominum aptissimè conuenire expertus viderit. Omnes enim homines cum aquilis solares radios directè intueri non possunt, omnes alta non sapiunt, mediocria plurimis conueniunt, quæ si attigerint, scopum suæ vitæ habent. Præter illas ergò nobiles & excellentes reipublicæ formas, quæ in diuina circumferentia virtutis continentur, alias requirit Aristoteles populari quasi sensui subiectas, quarum portæ ampliores, aditusque faciliores omnibus patefiant. Sed ne sim verbosior, primùm duo axiomata vniuersim omni ciuitati accommodata tradit; quorum alterum est, quòd oporteat eam partem ciuitatis potentiorem esse, quæ rempublicam saluam esse velit, quàm quæ præsenti statu non est contenta. Alterum, quòd duo in partibus cuiusque ciuitatis sint consideranda: qualitas, quæ libertate, opibus, doctrinâ,

Quid per qualitatem, & quantitatem ciuitatis intelligatur.

Non omnia possumus omnes.

Axiomata duo.

Quid conseruet remp.

Qualitas.

Quantitas.

doctrinâ, virtute, honore conſtat; quantitas quæ in proportione rerum numeroque ciuium conſtituitur. De prima propoſitione contentio difficilis non eſt, nam quis illi parti ciuitatis dextram libentiùs non porrigeret, quæ rempublicam ſaluam eſſe cupit, quàm quę innouatione ſtatus delectatur? Via tutior, ratio melior, beatior conſtitutio ciuitatis eſt, quæ ſub Ioue conſtat, quã quę Mercurio aut Lunæ (quę ſydera incertam mutabilemq; influentiam habent) ſubijcitur. Si ſit ergò ratio potentior quã affectio, ſi virtus firmior quã leuis animi intentio, ſi mens conſtantior quã appetitus, certè pars illa ciuitatis (in qua ratio, virtus, & intellectus vigent) eâ valẽtior eſſe debet, in qua affectio, leuis animi intẽtio & appetitus dominantur: ſed pars illa ciuitatis quæ ſaluam remp. eſſe velit, rationem meliorem, firmiorem virtutem, mentem ſaniorem habet, ergo pars illa potentior eſſe debet. Ex altera propoſitione ſuſcepta eſt quæſtio, iam nunc diſcutienda, nimirũ vtrũ pro qualitate & quantitate ciuiũ omnis reſp. ſit temperanda? Qualitatẽ hoc loco definit Philoſoph. libertatẽ, diuitias, diſciplinã, generis ſplendorẽ, ſeu nobilitatem: quantitatẽ verò exuperantiã multitudinis; ambagibus relictis, mores populi qualitatẽ, numerus ciuiũ ac proportio rerũ quantitatẽ ſignificãt. Quęſtionis ergo ſenſus hic eſt, vtrũ pro moribus numeroq; ciuiũ omnis reſp. ſit tẽperanda? Affirmat Ariſt. hoc modo temperandã eſſe; nõ tamen id velit, vt ad malos ac diſſolutos mores ciuitatis adminiſtratio fluat, ſed vt leniore adminiſtrãdi viâ ſuſceptâ tã mores quã leges ciuitatis ad mediocrẽ ſtatum reip. (quẽ tantopere hîc laudat) ſenſim ac pedetentim pertrahantur. Quòd verò ex hiſce duobus, nẽpe qualitate & quãtitate inſtitutio & cõſeruatio cuiuſq; ciuitatis pendeat, 4. argumẽtis probatur, quorũ primũ eſt à cõparatione, ſecundum à poſſibili, tertium à diſparatis, poſtremũ à ſimili ſeu proportione. A comparatione, quia collatis inter ſe qualitate & quãtitate ciuium varia genera rerump. exiſtunt; exempli cauſâ, vbi egeni plus numero vincunt quàm ſuperantur qualitate, ibi reſpub. popularis oritur. Contrà verò paucorum potentia ibi emergit, vbi diuites qualitate putâ honore, aut diuitijs magis

Pol. 5. cap. 9.

Quæ ciuitatis pars ſit melior.

Quæſtio.

Qualitas ciuitatis.

Quantitas ciuitatis.

Senſus quæſtionis.



magis excellunt, quàm egentium numero ſuperentur; ſimilis eſt ratio reliquarũ adminiſtrationũ. Si ergo ex varia affectione qualitatis & quantitatis multiplex reip. conſtitutio ac forma oriatur, neceſſe eſt, vt conſultò à fundatoribus ciuitatum pro qualitate & quantitate ciuium omnis reſpu. temperetur. Nam etſi politici ac boni viri ſit in cõſtitutione ciuitatis animos ciuium ad amplexum virtutis flectere ac conformare: cũ tamen aurum non eſt ſine ſcoria, granum nõ eſt ſine palea, id eſt cum homines rariſſimè ſine infirmitate viuunt; qualitas & mores loci, quantitas & multitudo hominũ diligenter ac impenſè cõſiderari debent, ne ſuſceptus labor in legibus ferẽdis inanis & otioſus fiat. Altera ratio à poſſibili eſt, quia neglectâ qualitatis ac quãtitatis cõſideratione fieri nõ poteſt, vt ad mediam communiterq; optimã reip. adminiſtrationẽ ciuitas adducatur. Sed vt hîc docet Philoſophus, legumlatores proportionẽ mediã intueri debent, ne cõcentus & harmonia ciuium in extrema diuitum pauperũq; odia diſcordiaſq; cõmutetur, vndè veluti paralyſis & conuulſio mẽbrorũ in corpore ciuili non ſine magno diſpendio naſcitur. A diſparatis hoc ipſum confirmatur, quia qualitatis ac quãtitatis cõtemplatio beatiores ciuitates efficit: ergo earũ cõtẽptus miſeras & ruinoſas relinquit. Cogitemus enim aliquẽ Cadmũ in votis habere nouas Thebas condere, fingamus nullâ adhibitâ ratione libertatis, diuitiarũ, virtutis, generis, morũ; nullâ proportione rerũ, nullâ ciuiũ multitudine ſumptâ, velle pro arbitrio leges cõſtituere: nonnè videas ex ſatis dentibus gigantes oriundos, qui de nouo quaſi ciues facti in perniciẽ ſui ac ciuitatis diſtrahantur? Roma neglectâ hac conſideratione prima fundamenta ſanguine fraterno ſparſit, adhuc paſtoralis folia nõ fructus tulit, tandẽ verò cõſularis effecta ramis ſuis vniuerſũ terrarum orbem obumbrauit, & certè maximè tum demum cõtigit, cum qualitatis ac quantitatis rationem iuſtã accepit. Nam vt cõcludam hanc cauſam à ſimili quod propoſui, ſicut qualitatis ac quãtitatis proportio in corpore naturali venuſtatem: ita vtriuſq; debita conſideratio in corpore ciuili ſingularem vnitatem efficit: quippe vt illis in quandã temperiẽ

naturæ

Mala ſunt vicina bonis.

Ouid. Met. lib. 3.

Liu. dec. 1. l. 1.

naturæ vi redactis multa membra ſpecie diſtincta vnum corpus: ita eiſdem in ciuitate ad quendam conſenſum deductis variæ reipub. partes, quæ officio diſtinctæ ſunt, vna ciuitas efficiuntur; quæ ſi media ſit habetur (vt eſt in textu) omnium præſtantiſſima: quippè illâ conſtitutâ verendum non eſt (vt ait Ariſt.) diuortiũ ciuium. Nam media ciuitas eſt quaſi habena, quâ tàm diuites quàm pauperes, ſummi quàm infimi in gyro officij continentur. Cauendum ergo eſt ne in adminiſtratione ciuitatis mediæ plus diuitibus ſummiſq; viris tribuatur quàm oporteat, quippè temporis progreſſu fallaciter populi vires frangere atq; eneruare contendent, verumque malum ex falſis bonis gignent, hoc eſt ſub ſpecie boni omnem vim ac tyrannidem in populum exercebunt. Sed de hac cautione in dubio huius cap. propoſui; nunc ad diſtinctionem venio.

Vide Plat. 9. de legib.

## Diſtinctio.

Cõſideratio qualitatis ac quantitatis in adminiſtratione ciuitatis eſt neceſſaria,

- Quia aliter rectè diſtingui non poſſunt reipublicæ formæ.
- Quia aliter mores ciuium rerumque proportio cognoſci non poſſunt.
- Quia aliter ordo rectarumq; legum conſtitutio eſſe non poteſt.
- Quia aliter ad mediocrem ſtatum (qui habetur optimus) ciuitas confingi non poteſt.

Opp. *In enumeratione qualitatum ciuilium omittit Ariſt. virtutem: ergo malè tractauit qualitatem. Antecedens patet ex verbis Philoſophi quæ ſunt. Qualitatem dico libertatem, diuitias, diſciplinam, generiſq; ſplendorem. Ratio ſequitur, quia inter omnes qualitates ciuitatis virtus eſt omnium auguſtiſſima.*

Reſp. *Aliqui reſpondent neceſſariò virtutem ſubintelligi, & ob eandem cauſam non deeſſe. Alij verò reſpondent Ariſt. hoc loco de media ciuitate diſputare, quæ maximè inter diuites pauperesq;, nobiles ignobileſq; verſatur: quare de eis ſolùm qualitatibus loquitur, quæ ad inſtitutum ſpectant.*

Vide pol. 1. c. 3. l. 3. c. 8. & Plat. 3. de legib.

Opp. *Conſideratio qualitatis æqualitatem non patitur: ergo in optima conſtituenda ciuitate non eſt ferenda. Antecedens probatur, quia conſideratio qualitatis efficit, vt liberi ſeruis, opulenti egenis,*



*nis, docti ignaris, genere nobiles loco humilibus præferantur. Ratio patet, quia in media ciuitate, quæ hoc loco optima eſſe dicitur, æqualitas quædam inter extrema approbatur.*

Reſp. *Remuneratio ciuium pro merito inæqualitatem non arguit, tum enim eſt æqualitas ciuilis, cum æquitas obſeruetur, & cum cuique quod ſuum eſt tribuatur.*

Æqualitas ciuilis æquitas obſeruata.

Opp. *Diuitiæ generiſq; ſplendor dona fortunæ ſunt: ergo qualitates ciuitatis propriè non dicuntur. Ratio tenet, quia ab illis ciuitas per ſe qualis non denominatur.*

Reſp. *Nomẽ qualitatis ſumitur hîc fuſè pro omni eo quod non eſt ex eſſentia ciuitatis, non autem ſtrictè vt apud dialecticos pro forma ſolùm aduentitia, quâ ſubiectum quale ſimpliciter & abſolutè dicitur.*

Qualitas quid ſignificet.

Opp. *Rei infinitæ certa conſideratio eſſe non poteſt: ſed quantitas ciuitatis eſt infinita: ergo quantitatis ciuilis non poteſt eſſe certa conſideratio. Minor probatur, quia quantitas ciuitatis in textu exuperantia multitudinis definitur.*

Reſp. *Exuperantia multitudinis accipitur bifariam, aut indefinitè pro magna multitudine ciuium, rerumq; proportione vt hoc in loco, aut infinitè pro immenſo numero mente ſolùm vt concipiatur, & ſic in textu non accipitur.*

Multitudo Indefinita, Infinita.

## Dubium.

*An periculoſum ſit plus diuitibus in republica quàm multitudini tribuere?*

VEtus eſt illud, cui plus licet quàm par eſt, plus vult quàm licet; cautè venandum eſt cum leonibus, nam aliter in diuiſione prædæ beſtiolis pars nulla relicta erit. Opulenti maxima ex parte in omni republica ſunt veluti vnguibus armati leones, qui (vt verbis Philoſophi vtar) fallaciter populi vires frangunt atque eneruant; qui temporis progreſſu ex falſis bonis verum malum gignunt, qui inſatiabili diuitiarum ſiti reipu. quaſi fluenta ſiccant, adminiſtrationemq; ciuitatis perdunt. Audiendus eſt ergo Ariſtoteles, qui ſuadet, ne plus quàm par eſt, diuitibus tribuamus. Nam vt ſcaturigines

Quod nõ poteſt vult poſſe qui nimium poteſt, Seneca in Hippol.

Cauendum eſt, ne plus quàm par eſt, diuitibus tribuatur.

Plura quàm fas eſt petunt. Senec. in Hip.

gines in Oceanum fluentes tumorem: ita opes abundantes diuitē inſolentē faciunt, cui ſi plus quàm par eſt honoris mādes, ex inſolente inſanū reddes. Cauendum ergo eſt nè multi Craſſi, id eſt ſuper modū opulenti ac potentes in ciuitate viuant (aut ſaltem ſi viuant) ne multis magniſq; honoribus cumulati intumeſcant nimiùm. Rationes ſunt, quia primū corrumpent multitudinem, hinc rapient imperium, deinceps oppriment ciuitatem, poſtremò non aliter quàm truculenti tyranni deuaſtabunt omnia. Corrumpent multitudinem, nā mira vis eſt pecunię cuius pōdere nūquā defatigatur manus, cuius admiratione auarus ſatiatur nūquā, at populus auidior eſt in rem ſuā, Plutiq; ſtercora nimiū admiratur. Si ergo Opulenti potentiores fiant facillimè corrumpent multitudinem. Rapient imperium; nam diuites vngues acutos habent, quibus tanquam vultures plebis viſcera poſſunt diſcerpere; ſi ergo honoris ſtimulos opulentis addas, imperiū ſtatim deprædabuntur. Oppriment ciuitatem, nam filia ambitionis eſt oppreſſio ciuitatis: quid tandem ſequitur ex his cunctis, niſi vt ſic opibus armati truculentiùs depopulentur omnia? Periculoſum ergo eſt plus diuitibus in republica quàm multitudini tribuere; quippè hoc non eſt Ariſtocratiam ſed oligarchicum motum ſeditionis, & quaſi tempeſtatem excitare.

Ratio.

Magna vis pecuniæ. Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?

Filia ambitionis oppreſſio.

Opp. *Diſcuſſa fuit hæc quæſtio in ſecundo lib. ergo otiosè hic de eadē agitur. Antecedēs probatur, quia illic docuit Philoſophus cauēdum eſſe, ne quiſq; in ciuitate pro arbitrio accumularet diuitias.*

Pol. 2. cap. 5.

Reſp. *Aliud eſt diuitias non vltra modum acquirere, aliud eſt diuitibus non plus quàm par eſt multitudini tribuere: alterum enim prohibet auaritiam, quam tabes; alterum ambitionem, quam labes ac pernicies ciuitatis ſequitur.*

Opp. *In hoc ipſo libro docuit Philoſophus diuites eſſe ad imperādū aptiores quàm multitudinem: ergo eis plus iure tribuendū eſt: nā honor imperij perpetuus comes eſt iureq; imperantibus ſæpe debetur.*

Cap. 8.

Reſp. *Diuites conſiderātur duobus modis, vel ſimpliciter, vt ſolū rerū ac fortunarū copiâ abundēt, & ſic nō ſunt aptiores ad imperiū; vel compoſitè, vt præter diuitias & fortunas animi ornamēta habeant, & ſic ad imperandum aptiores, quā impolita multitudo habētur.*

Diuitiæ cum nobilitate & virtute.

CAP.



## CAP. XIII.

*Vtrùm liceat in politia ſophiſmatis populum decipere?*

RES quinq; ſunt (vt hic docet Philoſophus) quibus in politia nobiles & opulenti viri callidè decipiunt populum, nimirū concio, magiſtratus, iudicium, arma, & exercitatio rei militaris; hæc reipub. myſteria & arcana dicuntur, in quibus vis magna rectę adminiſtrationis latet. In concione enim conſilium, in magiſtratu imperium, in iudicio oraculum, in armis eorumque exercitatione columen ac præſidiū ciuitatis ineſt; ſi hæc rectè iuſtèq; inſtituantur, diu florebit ciuitas; ſin minùs, neceſſe eſt vt Herculis furentis tragędiam, id eſt, ſui ſuorumq; perniciē prēmaturā videat. Quippe ſi iniqua concilia, ſi iniuſta imperia, ſi iudicia praua, ſi arma facinoroſa regnent, quę ciuitas cōſtare poteſt? quæ vmbra ciuitatis manet? Cæterū horū quinq; (vt ſunt illa quidem arcana) arcanus aliquando vſus eſt in politia, in quo vſu, ne diſpendiū aut naufragium patiatur reſp. ſtratagemata ſophiſmataq; legitima habētur. Verbi gratiâ. Si pauperes exoſi imperium virorum principum, iugum Cęſarię autoritatis ſtudeant à ſuis ceruicibus excutere, magnates, ne ciuitas in malum penitùs declinet, iuſtè & ſapienter poſſunt ſub prætextu popularis boni, ſuperbam multitudinem, tanquam incautam auiculā, irretire. Si laqueos modoſq; decipiendi quęras, apertus eſt Ariſt. qui diſtinctè in his quinq; præſtigias ac ſophiſmata occultiora tradit. Hinc enim facilè inducitur plebecula, vt ſe ſaluam eſſe credat, ſi immunitates ſibi præ diuitibus conceſſas & donatas videat, vt ſi ad concilia, magiſtratus, iudicia, arma, præſidiaq; ciuitatis lege cogantur diuites, permittatur autē tenuioribus ab hiſce omnibus ſe excuſare: Magnus color eſt ſeueritatis in opulētos ac libertatis in alios: Sed ſi impenſiùs rem cōſideres, ſeueritas illa libera quidē eſt, & hæc ſeuera libertas, quę populo cōceditur, nā ſub hac ſpecie libertatis nobiles potiuntur imperio, & ſuo coercetur po-

Arcana reip.

Quinq; quibus viri nobiles populum decipiunt.

Vide cap. 14.

Cor. Tacit. hiſt. lib. 1.

Sophiſma oligarchicum.

pulus officio. Sic olim mulctâ non leui constitutâ apud Lacedæmonios, ad senatum & concionẽ vocabantur proceres, sed angustioribus fortunis vsis licuit abesse, quibus etiã fuit liberum magistratus eiurare, iudicandi munus non obire, arma non emere, in præsidijs ciuitatis non excubare. Hisce & similibus sophismatis popularis administratio aristocratica demũ euasit, diuq; sub optimatum ferula imperioq; permansit. Attentiùs obseruandum hîc est, q licet in textu Arist. istas machinas & callida ferendarum legum artificia ad oligarchias & democratias solùm accómodet, eorum tamen vsus in omni reip. administratione potest emergere, tum verò maximè cum à recto digressa ciuitas absq; prætextu boni (in illos qui sunt emendandi) reflecti non potest; sic oligarchicus blãdiùs populũ alloquitur, & videtur in legibus ferẽdis populo fauere: at sub mollioribus verbis spinosiora tegit arcana ciuitatis, quibus illusus populus ad oligarchiam sensim ac pedetentim trahitur, neq; est hęc in bonis ciuibus dissimulatio, sed occultatio quędã mysteriorũ quâ politicè vtendũ est, donec sanentur vulnera ciuitatis. Nã vt peritus medicus sæpè leniore manu grauiores morbos corporis: ita prudẽs magistratus subtiliore arte tetriores labes reipu. curat. Quòd verò liceat hęc sophismata & aucupia hominũ ad bonũ aliquãdo exercere, probant maiorum exẽpla, necessitas, prudentia & bonũ ciuitatis. Maiorum exempla, nã sic olim Romani tyrannide Tarquinij in aristocratiã, sic Athenienses democraticum administrandi statum in diuitum imperiũ, sic Britanni antiquitùs barbaram anarchiam in augustissimam regum maiestatem transtulerunt. Necessitas quoq; hoc ipsum sæpè requirit, nam cum vis valere non potest, ars pręualere debet; at vi à mala consuetudine populũ auocare periculosum est: ergo arte id operis pręstari debet. Vt ergo stratagemata in bello ad victoriam ducis: ita sophismata in repu. ad quietem ciuitatis iustè ac legitimè exerceri possunt; quippè prudentia hoc iubet, in qua solertia ingenium, prouidentia consilium in rebus magnis postulat; sed quàm improuidi ac imprudentis sit parti aduersanti arcana remedia detegere, nemo est tam improuidus, aut

Lacedęmonij.

Arcana simulanda.

Medicus morbos ægroti, Magistratus labes ciuitatis curat.

Sophismata exercenda, vt boni reddantur ciues.

Vis si non valeat, ars prævaleat.



aut imprudens, vt opinor, qui non videat. Postremò quis nõ intelligit hoc ipsum è re & vsu ciuitatis esse, si malum percrebuerit in ciuili communione, vt ingenioso prætextu laxati reip. nerui moresq; dissoluti fæliciter emendentur, totaq; ciuitas sanie iã multorum scelerum veluti putrescens, oleo nõ gladio, arte prudentis magistratus, non manu hostis reformetur? Facessat hinc longè archisophista ille Machiauellus, qui verba & sensum Arist. peruertit: Hæc enim in monstris rerump. nutriendis sophismata non permittuntur. Politici enim nõ sunt, vt magici, qui falsis characteribus effascinatos animos multitudinis perstringunt, sed vt philosophi, qui mysteria suę artis cuiuis non referant & aperiunt. Si ergo in malis ciuitatis formis conseruandis hæc adhibeantur arcana, non stratagemata, sed clandestina consilia haberi ac nominari debẽt. Fęlix est error populi qui ad bonum, miserabilis verò qui ad malum ducit: sed in rectis ciuitatis formis corrigendis hęc sapientum magistratuum sophismata populum fæliciter deceptum ad summum bonum, in malis autem ad perniciem trahunt: ergo vt in illis laudari, ita in his repudiari ac reprehendi debẽt. At dices: Arist. exempla in oligarchia & democratia ponit, quæ sunt à recta administrandi forma deflexiones quædam; sed attende hoc solùm velle, vt ex his consideratis ac sapienter connexis media resp. procreetur, quam antea optimam esse probauit: nam hæc habet verba: Itaq; perspicuum est, si quis vult iustè permiscere, quę sunt apud vtrosq; in vnum esse conducenda. Hinc ad vltimum, in quo sophismata reipu. latent, nempe ad exercitationem militarem progressus Arist. plurimùm bellicæ fortitudini tribuit, docetque rem esse difficilem certò definire; an armatis viris secundùm magnitudinẽ census clauis reip. concedenda sit. Ab exemplis Maliensium, & antiquorum Græcorum ostendit arma vireq; Martis fuisse neruos ciuitatis, vsumq; eiusdem plurimùm ad conseruandum imperium prævalere, modò pauperes contumeliosè non vexentur, suisq; rebus familiaribus non spolientur; quod si fiat, verendum est ne sub cespite delitescat anguis, hoc est ne à tigurijs pauperum flamma seditionis

Machiauellus.

Pia fraus.

Cap. 9.
«
«

Quæ stio.

Arma ciuitatis nerui.

Turba mota turbo fit.

onis in arces prorumpat ciuitatis, eandemque quasi fulmine accensam penitùs consumat. Turba enim offensa in turbinem ac procellam incitatur.

Distinctio.

Deceptiones seu sophismata circa consilia, magistratus, iudicia, arma, & exercitia sumi possunt bifariam, aut
- Sub prætextu boni cum malum intenditur, & sic non sunt licita.
- Sub specie boni cum bono communi studetur, & sic sunt licita ob causas illas quas satis apertè diximus.

Vnio ciuium, iustitiæ vinculum.

Cic. de offi. l. 3.

Opp. *Mala non sunt licita in ciuitate: sed deceptiones & sophismata sunt mala: ergo non sunt licita. Maior patet, quia vnio ciuium est vinculum iustitiæ. Minor probatur, qui decipere est aliud agere, aliud prætendere, quod est nihil aliud quam dissimulare.*

Resp. *Deceptiones & sophismata hoc in loco pro arcanis reipub. non pro insidijs sumuntur, quæ quidem arcana non sunt mala, cum in illis occultandis salus, non pernicies ciuitatis prætenditur.*

Opp. *In politia, seu mixta reip. forma concionis, magistratus, iudicij, armorum, ac militaris exercitationis populus compos est: ergo iniustũ est, vt in ijs sub prætextu falleretur. Ratio patet, quia sic periculum est, ne in pœnam legis, aut labem periurij ignoranter ruat: in pœnam legis, quia deceptus aliter quàm res est de lege cogitat; in labem periurij, quia in omni repub. ciues fide ad obseruationem legum astringuntur.*

Pericula sophismatum.

Resp. *Populus non fallitur, nam falli malum est, sed sensim & occulte ad bonum ciuitatis inducitur, quod non est iniustum. Prætereà metus non est legalis pœnæ, aut periurij, antequam interpretationem ac sensum legis populus intelligat. Verbi gratiâ. Si lex fiat, vt nobiles solùm sub pœna centum librarum ad senatum veniant, liber verò populus in opere ac negotio ciuitatis viuat, putabit fortasse multitudo in sui fauorem hanc legem fieri, sed eò tendit (docente Philosopho) vt nobiles solùm imperium teneant.*

Opp. *Callida hæc legum ferendarum artificia ad oligarchiam & popularem potentiam à Philosopho in textu accommodantur: ergo videntur esse licita in malis administrationibus ciuitatis. Antecedens patet in medio huius cap. vbi ijsdem verbis vtitur Arist.*

Resp. *Primùm respondent quidam, habito respectu communis vitæ humanæ, oligarchiam popularemq; potentiam non esse simpliciter malas administrandi formas; melius tamẽ meo iudicio respondetur, quòd Arist. doceat has machinas, & callida artificia in vtroq; statu eatenus probari, quatenus ex vtriusq; mixtura media imperandi forma procreetur.*



Actio ex fine iudicanda.

Opp. *Licitæ sunt aliquando hæc sophismata, vt ad malum pertrahatur populus: ergo haud rectè defenditur contrarium. Antecedens probatur in legibus, quæ vsuram & lupanaria licita esse defendunt, sed sub specie virtutis, ne aut rapinæ, aut raptus sequerentur.*

Mala toleranda, non probanda.

Resp. *Leges vt opinor nusquam tam impiè constituuntur, vt hæc quo monstra approbare videantur. Respondemus ergo tantam esse licentiam vitæ humanæ, tam effrænem esse cupiditatem voluptatum ac diuitiarum, vt cogantur magistratus tolerare, non approbare mala.*

## Dubium.

*An cuiuis liceat in repub. arma possidere?*

Iust. l. secundo.

Iust. l. primo.

Furenti gladius.

Mecæn. orat pro monar.

Cap. 7. Quæstio.

LIBERTAS possidendi arma sæpè in furorem vertitur: hoc vulnus olim senserunt Scythæ, quorum serui armati vi ad tempus tenuerunt imperium. Politicè & sapienter ergo illi Persę qui ablatis tubis fistulas, qui detractis armis Bacchanales delitias tibiasq; Lydis dederunt, vt hoc modo effœminati sub iugo imperij firmiùs premerentur. Periculosum est furentibus gladium concedere, sunt ergo seruis arma detrahenda: nam dociles sunt si armentur, in dominos sibillare: sed hoc satis demonstratum est in secundo libro, vbi de seruis non armandis egimus. Dubium nunc est, An cuiuis ciuium liceat in politia arma possidere? Verba Philosophi hæc sunt. Oportet reipublicæ administrandæ formam ex his sanè
> constare tantùm, qui habent arma. Multi ex his verbis
> concludunt, quòd cuiuis liceat in repub. arma possidere, & certè

non sine causa & ratione hoc ipsum cõcludunt. Nam si quilibet ciuis sit particeps ciuitatis, quilibet ciuis ciuitatem debet defendere: quòd si debeat ciuitatem defendere, licebit quoque arma possidere. Prætereà cum nulla ciuitas inuidiâ,

Quilibet ciuis arma debet possidere.

cum nulla resp. insidijs careat, necesse est vt in promptu ciues sua arma habeant, aliter enim armatus hostis inermes inuaderet, & priùs opprimeret oscitantes quàm ex publica armatura ciuitatis peterentur tela: sicut ergo optandum est vt in qualibet vrbe sit armorum copia: ita tutum erit, si quilibet priuatim bellica ornamenta teneat, quibus tectus derepentè impetũ capitalis hostis poterit retundere. Mora quidẽ in omnibus maximè in rebus bellicis motibusq; seditionis trahit periculũ; nõ desunt in hac re maiorum instituta, qui legibus edictũ hoc ratum esse voluerunt, vt vnusquisq; ciuium domi haberet arma. Sic olim Græci vt est in textu, sic Persę, sic gens bellicosa Romani, sic olim & nunc Britanni statuerunt: qui ergo hoc onus defugerit non tam ingratus quàm ignauus inter ciues haberi debet. Porrò in multis locis faces inuidiæ ardent, nec non sæpè accendunt animos ad furorem, vndè ad cædem & sanguinem non aliter quàm feroces leones ac tygres rapimur: si in hoc casu sobrijs desint arma, nemo est quin videat incendium fieri. Postremò quo auctior est armorũ possessio, eò tutior est administratio ciuitatis: cuiuis ergo licet arma possidere: imò iure possidere debet. Cæterùm hic sacerdotes, academicos, valdè tenues, seruos, ac perigrinos ab hac lege excipio: sacerdotes & academicos, quia illorum arma preces & artes sunt: tenues, seruos ac peregrinos, quia in illis metus est rebellionis si tenerent.

Mora trahit periculum.

Arma ciuitatis præsidium.

Sacerdotes, Academici, Peregrini, ne gerant arma.

Opp. *Armorum possessio est sæpè causa seditionis: ergo non est cuilibet ciuium permittenda. Antecedens probatur, quia concepto odio vim magnam addunt arma: at multi odium in administratores reipub. concipiunt, quibus si mucrones concedas ex parùm sobrijs planè insanos facies.*

Vide pol.5. cap.11.

Pol.5. cap.10.

Resp. *Armorum possessio non est causa seditionis, sed mala voluntatis affectio: neq; tollenda continuò est armorum possessio, quia mali ijsdem abutuntur; sic ignis & aqua maximè necessaria elementa tollerentur, quia igni ædes accensæ, aquâ naues demersæ aliquandò pereunt.*

Opp. *Experientia docet tutum in factione ciuium illi parti arma detrahere*



*detrahere, quæ in malum præcipitantior est: ergo non est cuilibet armorum permittenda possessio.*

Resp. *Hæc ratio non tenet, quippè est fallax à secundùm quid ad simpliciter; nam etsi hoc vel illo casu aut tempore liceat arma aliquibus detrahere, non tamen sequitur quin omnibus in placato reipub. statu illa liceat possidere. Monendi hîc sunt magistratus vt cautè temporibus seditionis arma quibusdam tollant, nam etsi nudi hoc modo reddantur homines, eorum tamẽ voluntates armatæ manent, & quod telo non possunt dolo omninò tentabunt facere.*

## CAP. XIIII.

*Vtrum senatus rectè definiatur ac distinguatur?*

QVAE absolutè, quæ communiter optima sit respub. quibus & qualibus ciuitatibus conueniat, vberiùs suprà demonstrauit Philosophus; nunc ergo eiusdem vires ac proprietates addit, quę sunt in senatu, magistratu, & iudicio positę; de his tribus generatim primùm vt cuiq; ciuitati cõueniunt, tum separatim vt singulis administrandi formis accommodantur, copiosè differit. In his reipub. arcana latent, vt modò diximus; in his fausta sydera reipub. lucent, vt nunc docemus: nam vndè maiorem lucem acquirit ciuitas quàm à senatu in quo consilium, quàm à magistratu in quo imperium, quàm à iudicio in quo iustitiæ & æquitatis asylum habet? Vt ergo corpus humanũ mancum & mutilatum est, quod caret membris: ita ciuitas nulla est, in qua hæc tria desunt; quæ si prudentiæ ordine, vt partes primariæ in ciuili corpore disponantur, augustam: sin malè, monstrosam ciuitatem reddunt. Triumphauit olim Roma cum concio purpuram, magistratus gladium, iudicia æquitatis trutinam in ea tenuerunt: at Roma tum cecidit cũ in senatu furor, in magistratu timor, fauor in iudicijs triumphauit. Concluditur ergo in fronte istius cap. quòd bonum

Vires ciuitatis Senatus, Magistratus, Iudicium.

Senatus, Magistratus, Iudicij necessitas.

ſcriptorem legum diligenter attendere & conſiderare oportet hæc tria, quippè his benè affectis (vt inquit Philoſophus) neceſſe eſt reipub. adminiſtrandæ formam benè affectam eſſe; ſunt enim cardines ciuitatis, in quibus veluti globi rerumpub. ſub iuſtis aut iniquis planetis perpetuò voluuntur, ſuaſq; viciſſitudines & conuerſiones habent. Quid multis? Primùm in hoc cap. ſenatum deſcribit, tum modos diuerſos narrat, poſtremò eoſdem ſigillatim diuerſis adminiſtrationis formis accommodat Philoſophus. Per nomen ſenatus concilium, coactam concionem, totiuſq; ciuitatis in conſultando authoritatem ac prouidentiam intelligit. Eſt enim ſenatus publica & honorifica ciuitatis conuocatio, in „ qua de pace & bello, de nece & vita, de fœderibus & inducijs, „ de legibus, de exilio, de proſcriptione rerum, de ratione re- „ ferenda magiſtratibus, de rebus omnibus deniq; magni pó- „ deris ac momenti conſultatur; conuocatio dicitur, quia ad eam, aut omnes & ſinguli, aut primarij ciues conuocati veniunt; publica, quia in loco illuſtri, vt Romæ in curijs, templis locisq; auſpicatis celebratur; honorifica, quia in eo maxima dignitatis habetur ratio. Per pacem hoc loco iuſtam quietem ciuitatis, per bellum furioſam tragœdiam ab hoſte, per vitam conſeruationem, per necem ciuilem condemnationem hominis, per inducias & fœdera vincula fidei, per leges neruos reipublicæ, per exilium pœnam patriâ indigni ciuis, per proſcriptionem rerum legitimam bonorum venditionem; per rationem referendam magiſtratibus iuſtè exactam redditamque conſiderationem officij ac dignitatis intelligo. Beata profectò eſt ciuitas in qua ſapiens ſenatus viuit, in qua ſenatores & conſules iuſtè ac prudenter de rebus tot & tantis conſilium capiunt: ſi togati conſulant, florebit palma; ſi armati ſolùm, verendum eſt ne laurus pacis colorem perdat. O vtinam in omni ſenatu dextras armati & togati iungerent, vireſque ingenij cum lacertis Herculis decertarent! Vlyſſes Achilli, Aeneas Hectori amicus fuit, cur Pallas armata à collegijs conſulũ exularet? Sed pergit Ariſt. & oſtendit diuerſos modos conſultandi ſeu celebrandi ſenatum;

Capitis diſtributio.

Senatus definitio.

Definitionis analyſis. Feneſtell. l. 2. cap. 11.

Senatus ciuitatis anima. Plat. 12. de legib.

Conſilium cũ fortitudine vniendum.



tum: autoritas (inquit) conſultandi permittitur, aut omnibus, aut vni, aut aliquibus; omnibus vt in populari ſtatu & democratia, vni vt in regno & tyrannide, aliquibus vt in optimatũ potentia & oligarchia, quibus addit mixtam deliberandi rationem quę in politia exercetur. Primũ genus iterùm diſtinguit in quatuor modos, quorum primus eſt cum omnes de omnibus conſultandi ius & ęqualitatem habent, non tamen vt omnes ſimul, ſed vt ex diuerſis tribubus partibuſq; ciuitatis ſorte, aut ſuffragio lecti ad ſenatũ veniant, quemadmodũ inquit fit in reip. adminiſtrandę forma à Telecle Mileſio inſtituta & in alijs ciuitatibus quãplurimis, in quibus hic ordo concionis ac ſenatus celebratur. Secundus modus in democratia habendi ſenatus eſt, quãdo omnes & ſinguli cõferti, & in vnũ coacti de creãdis magiſtratibus, de legibus ſciſcendis, de bello, de pace, de ratione reddenda diſputant, cætera decreta verò ſuis magiſtratibus ſiuè ex omnibus electis, ſiuè ſorritò captis exponẽda relinquunt. Tertius modus in textu perſimilis eſt huic, in eo tamen differt, quòd in ſecundo modo magiſtratus tantùm exponendi, in hoc diſponendi autoritatẽ habent; cui etiã hæc differentia adhiberi poteſt, quòd in ſecundo magiſtratus ſorte vel electione, in hoc verò ſolũ populi calculis & ſuffragijs fiant. Poſtremus eſt cũ omnes de rebus omnibus congregati deliberant, magiſtratus verò in hoc ſolũ alijs præſtant, quòd primo in loco inuenta ſua proponant, ſuffragia penſent, ſententias dicant, nihil tamen auſi decidere & definire ſine populo, quę ratio conſultandi ad vltimã deterrimamq; ſpeciẽ popularis adminiſtrationis pertinet, quę vt ſuperiùs oſtẽdimus in multis tyrãnidi adęquatur. Hac datâ diſtinctione conſultãdi in ſtatu democratico ciuitatis, alterũ genus ſequitur, in quo non omnibus, ſed quibuſdã autoritas deliberandi conceditur, & hoc in oligarchia tria exẽpla modoſq; habet. 1. cũ magiſtratus propter mediocres cenſus delecti legumq; nutu & imperio inſtructi de rebus magni ponderis conſilium in ciuili ſenatu capiunt, qui modus non tam ad oligarchiã, quã ad politiam & mixtum reip. ſtatum pertineat. 2. cum diuites non tam deliberandi, quàm decer-

Pro diuerſitate formæ adminiſtrandi, diuerſæ conſultandi formulæ.

Democratica conſilia 4.

Oligarchica conſilia 3.

decernendi ius & potestatem habent. Tertius cùm vt filij sibi succedant seipsos diuites in magistratus eligunt, legesq; sibi subijciunt, non se legibus, vt æquitas & iustitia postulant. Cęterùm (vt hîc docet Philosophus) si ex melioribus viris ciuitatis creentur magistratus, si illis de bello, de pace, alijsque maximis reipublicæ negotijs ius consultandi & definiendi detur, vel Aristocraticum est, quod maximè optandum; vel politicum, quod languente virtute maxima ex parte approbandum esse videtur. In hoc tamen horum discrimen est, quòd in senatu aristocratico electio ab optimatum suffragio, in politico verò aliquandò à sorte pendeat, vndè dubitatio à nobis statim discutienda in calce huius capitis constat. Tertium quod agitur in hoc capite, est horum omnium ad vsum quarundam rerumpublicarum accommodatio, in qua sophismata & arcana ciuitatis (de quibus supe-riùs diximus) videntur latere; primum est vt opulentis irrogetur pœna si ad senatum, si ad iudicium, si ad magistratum iussi non veniant; pauperibus verò statuatur præmium si accedant. Alterum vt ex omnibus reipub. partibus & membris sorte aut voce eligantur magistratus, qui munus consulendi obeant. Meliùs enim consultabunt (vt ait) si consultent omnes communiter: multitudo cum claris & nobilibus viris, hi verò cum multitudine. Postremũ est, vt subtrahatur merces multitudini, si plurimùm viros insignes nobilesq; superet, eisque solùm detur qui alios è multitudine ingenio, consilio, virtute præstant; hoc quoque in oligarchia vtile est, vt plebecula magistratu non careat, ita tamen in subsellia politicæ dignitatis admittatur, vt sit curia in qua pręconsultatores & nomophylaces, id est legum custodes in consilijs populum anteuertant: sic populus consors & particeps erit consilij eiusdemque acta difficiliùs rescindi possint, pręsertim cum ea solùm in senatu tractantur quæ præmeditati alij discutiẽda sapienter proponunt. Quid multis? Plurimùm in omni repub. aut verè, aut specie quadam concedendum est populo, cautè tamen & prudenter demulcendus est hic leo, ne aut laxatis habenis insolentior, aut nimiùm restrictis furentior

Concilia aristocratica & politica, quę sint.

Quomodo differant. Electio sorte, suffragio. Tertia pars cap.

Cap. 13. Temperamenta politica 3.

Populus. Scenæ seruiendum.



rentior fiat. Hinc Græci (vt ait Arist.) in suis politijs populi in absoluendo ratam authoritatem, in condemnando verò irritam esse voluerunt; sed de his plura in quinto libro vbi de causis conseruantibus & euertentibus reipub. disputandum erit.

## Distinctio.

Aguntur in hoc capite tria,
- Definitio senatus, in quo præcipuè considerantur
  - Personæ consultantes, quæ sunt aut tota ciuitas, aut pars dignissima.
  - Res, quæ debent esse magnæ, publicę, iustę & vtiles; vt pax, bellum, legum constitutio, creatio magistratuum.
  - Ordo, qui est celebris conuocatio & veluti synodus totius ciuitatis.
  - Vsus, qui est vt decreta fiant ad salutem & conseruationem imperij.
- Distinctio eiusdem in suos modos, scilicet vt vel omnes, vel vnus, vel aliqui ius consultandi & decernendi habeant.
- Applicatio vsus, in quo arcana quædam reipub. (vt modò diximus) occultantur.

Opp. *Nomen senatus in textu Arist. non est: ergo malè eiusdem definitio quasi ab illo tradita hoc loco excuditur.*

Resp. *Ratio ista non cohæret, nam etsi nomen senatus non sit in textu, res ipsa tamen est, quam nunc concionem, nunc partem ciuitatis consultatricem, nunc ipsum concilium, nunc denique conferto-rum ciuium comitia nominat.*

Opp. *Breuiùs definiri potest senatus: ergo malè hic definitur. Argumentum tenet, quia frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora. Antecedens probatur, quia definiri potest vt sit summa curia reipublicæ, quæ de rebus communibus consultandi ac definiendi potestatem habet.* Senatus quid sit.

Resp. *Etsi definitio illa peccat, quæ abundat, vt est in præceptis Dialecticis, si tamen interpretationis causa aliquando verba abhibeantur, non est reijcienda.*

Opp. *In senatu definiendo non solùm materia consideranda est, quæ in rebus magni ponderis, sed etiam forma, quæ in dignitate senatorum ac oratine consultandi ponitur: sed senatorum & ordinis consultandi nulla in hac definitione est consideratio: ergo malè definitur.*

*tur. Maior patet, quia omnis definitio ex materia & forma constat. Minor probatur, quia solùm de rebus, quæ in consultationem ciuilem cadunt, hîc facta est mentio.*

Vide Plut. in vita Romu. Dion. Hal. l. 2. Fenc. de mag. Rom. l. 2. c. 1.

Resp. *Implicitè (vt aiunt) non explicitè personarum & ordinis in hac definitione habetur consideratio: implicitè dico, quia consultatio celebris haberi non potest sine ordine consultantium, qui secundùm dignitatem & honorem ciuilem diuersas classes habent, vt in Ariopago, & senatu Romano, aliisq; conciliis vbique gentium celebribus, nunc olim vsitatum fuit.*

Opp. *Rerum omnium maxima in senatu tractanda, est electio, vel creatio magistratus: sed eiusdem in hac definitione nulla facta est mentio: ergo diminuta & manca est hæc definitio. Hùc etiam addi potest, quod nulla temporis, in quo celebrari debet concilium, habeatur ratio.*

Quod necessariò intelligitur, non deest.

Resp. *Quod necessariò intelligitur (vt aiunt) non deest; at electio magistratus vt res maximè necessaria, cum sit animus ciuitatis, intelligitur. Præterea sæpiùs in expositione huius definitionis de magistratibus, aut sorte, aut suffragio creandis disserit Philosophus.*

Romæ inter ortum & occasum solis. Fenestel.

*Quod addis de temporis ratione, respondeo hoc solùm prudentiæ ciuitatis relinqui, vt tum solùm cogatur senatus, cùm reipub. tempora resq; maximæ ciuitatis postulent.*

Opp. *In modis diuersis assignandis deliberandi nullam formam senatus monarchiæ ascribit, nullam tyrannidi: ergo plenè & accuratè omnes modos non tractauit. Antecedens in textu patet. Ratio probatur, quia in monarchia (quæ est optimus status reipub.) optimi, in tyrannide (quæ est pessimus) cautissimi consultandi modi assignari debent.*

Resp. *Tyrannidem omittit, quia non est forma reipub. at monarchiam sub aristocratia comprehendit, cuius senatus rationem hoc loco describit, cùm mandet, vt ex melioribus viris ciuitatis eligantur magistratus, vt multitudo cum summis viris, summisq; viri cum multitudine de rebus magnis in senatu studeant, cæteraq; in textu luculenter patent.*

CAP.



## CAP. XV.

*Vtrum rectè definiantur magistratus?*
*Vtrum electio magistratus per sortes in repub. approbetur?*

Magistratus secundum ciuitatis lumẽ.

ALTERVM lumẽ reipub. præter senatum (de quo iam diximus) est magistratus, à quo ciuitas influentiam & conseruationem suæ vitæ petit; de hoc nunc proximè & opportunè agitur. Nihil hîc dicam de necessitate ciuilis magistratus, de honore, ac dignitate nihil: hoc vnum autem tacere non possum, magistratum aliud in repub. non esse quàm mentem in animo, animam in corpore, gubernatorem in naui, solem in cœlo: ciuitas enim à magistratu intellectum, vitam, anchoram salutis, lucemq; honoris habet. In hoc tractatu de magistratibus præcipuè considerantur natura, species, numerus, qualitas, materia, tempus & constitutio, quæ omnia & singula in ipso vestibulo huius cap. (vbi institutum suum ordinemq; procedendi docet) insinuantur. Sed antequàm ad definiendum magistratum accedit Arist. primùm qui magistratus nomen non mereantur ostendit; inter hos annumerantur sacerdotes qui sacra tractant, chororum magistri qui festis præsunt, præcones qui oracula exponunt, legati qui publica negotia peregrè conficiunt: hinc cura, in qua vis magistratus maximè consistit paucis distinguitur, vt sit vel omnium, vt gubernatio exercitus; vel partis, vt cura fæminarum morumq; iuuentutis; vel fori, vt in mensura, pondere, numeroq; rerum vænalium; vel ministerij, cùm certa officia quibusdam seruis demandentur, vt portas ciuitatis aperire & claudere, ædes publicas reficere, arma bellica parare, & his similia: hæc inquam omnia, officij nomen quidem habent, at magistratus vim & naturam simpliciter & absolutè non sortiuntur, quod definitio magistratus (quæ in textu nunc sequitur) accuratè demonstrat. Est ergo magistratus publica persona successione, sorte, aut suffragio electa, quæ ius ac potestatẽ consultandi, iudicandi

Magistratus in repub. quod sol in Cælo, &c. Patr. de repub. lib. 3. in proœ. Cap. diuisio.

Qui non mereantur magistratus nomẽ. Fenestel. de Rom. potest. in præfat.

Curationes ciuiles 4.

Magistratus definitio.

Per partes explicatio.

dicandi,& imperandi habet.Persona publica definitur,nam priuata magistratus non dicitur: successione, vt in monarchia, sorte vt sæpè in populari statu & oligarchia, suffragio vt in optimatum potentia seu aristocratia, in qua paucissima fortunę & temeritati committuntur, electa id est consensu ciuitatis approbata,quæ ius ex lege,& potestatem ex officio habet, consultandi de rebus futuris, iudicandi de præteritis,imperandi suis.Hæc definitio mihi videtur tria cõprehendere, amplitudinem magistratus cùm persona dicatur publica,ordinem ciuitatis cùm dicatur electa,vsum officij cum ab eo consultandi, iudicandi ac imperandi petantur oracula. At(inquit Philosophus)maximè proprium opus ac munus magistratus est imperare, reliqua duo verò alijs cum illo aliquandò communia,quippè ciues omnes consultandi ac iudicandi participes definiuntur; imperandi verò ius actu solùm ad magistratum pertinet:vt ergo magistratus sunt augustissimæ personæ, & veluti lumina ciuitatis, ita omnium, quæ aguntur in ciuitate,amplissimum ac nobilissimum est imperare.Nam quemadmodùm in imperio animę duo sunt, ratio cuius est consulere quæ sunt agenda, quę omittenda, & voluntas cuius est præcipere & imperare: ita in administratione ciuili duo sunt,senatus,in quo consilium, quod est magnum; magistratus,in quo imperium,quod est augustissimum, exercetur. Senatus enim dictat & inquirit quæ sunt facienda & omittenda,at magistratus & princeps dictata & inquisita iubent obseruari.Quare vt actus voluntatis est nobilior actu intellectus:ita imperare,quod est actio magistratus, est longè illustrius quàm consultare, quod ad senatum spectat. Imperare ergo naturam magistratus maximè attingit,quod forma magistratus propria & germana dicitur:cæterùm licèt mandare ac prescribere maiorem authoritatem ac virtutem arguit quàm consultare; tamen vt voluntas secluso intellectu (cuius radijs illustratur) est cæca: ita princeps secluso consilio cæcutire dicitur. Nam sicut voluntas non fertur nisi in cognitum:ita magistratus nihil debet præcipere nisi consilio priùs discussum; quippè vt voluntas agẽdo

Tria in definitione magistratus.
1. Amplitudo personæ.
2. Ordo ciuitatis.
3. Vsus officij.

Proprium munus magistratus imperare.

Ratio,Consilium,Voluntas, Imperium.

Actus voluntatis nobilior actu intellectus.



do contra prescriptũ rationis sępè errat: ita magistratus qui cõsilium nõ audit iniustè agere & imperare putatur. Quãobrẽ et si definitio & natura magistratus maximè in iubendo & imperãdo eluceat,ita tamen se submittere & coercere debet magistratus,vt senatus & cõcilij vocẽ nõ cõtẽnat. Hactenùs de natura magistratus; species, numerus & qualitas sequũtur;in speciebus distinctio,in numero paucitas & multitudo, in qualitate perfectio magistratus inest. Distinguitur ergo magistratus in mentẽ & manũ,in summũ & mediũ,cõseruatorẽ ac custodem ciuitatis;ad mentẽ sedentẽ in arce rationis,appetitus,sensus,omnesq; partes vitę referũtur: sic ad imperatorẽ omnes & singulę partes reipub. Est enim sũmus magistratus moderator omniũ vnus,prępotens,iustus,in cuius dextra aureum sceptrum, in cuius sinistra trutina ęquitatis ponitur:vnus,quia vt ait poeta,

*Quin etiam non hîc omnes regnamus Achiui:*
*Nec multos regnare bonum,rex vnicus esto,*
*Vnius imperium,cui Iuppiter aurea magnus*
*Sceptra dedit,iussitq́,suis dare iura tuendis.*

Præpotens vt alijs præscribat, iustus vt alijs vitæ exemplo pręluceat, cui sceptrũ datur in signum honoris,& trutina in signum iustitię & ęquitatis.Sed de mediorum magistratuum numero, formis & qualitate hoc loco agitur, quę paucis in textu ab Arist.comprehensa sunt;numerus certus definiri nõ potest nisi respectu magnę ac paruę ciuitatis;nam in magna ciuitate multi debent esse magistratus(vt ait)in parua pauci. In magna multi,& propter multitudinẽ ciuiũ qui sunt ad gerendũ magistratũ dociles,& propter magnitudinẽ rerũ quæ commodè nisi à multis tractari non possunt: in parua pauci tùm propter penuriam hominum,qui sapienter rempub.tractent, tum propter exilem commoditatem, quam inde sperent:hinc contingit, vt in paruis ciuitatibus idem plures simul magistratus teneat. Nã vt vnũ cãdelabrũ gerit plura lumina,ita in parua ciuitate vnus ciuis plura tenere potest dignitatis officia. Nihil enim obstat (vt vtar verbis Philosophi) « quòminùs multę curationes vni simul mãdẽtur.quid multis? «

Magistratuum distinctio.

Vlyssis vox ad Græcos ex Homero Iliad.2.

Pro quantitate ciuitatis plures esse debent,vel paucior magistratus.

Vide pol.2.c.9.

Hac distinctione factâ parue magnæq; ciuitatis, quot numero debent esse magistratus in qualibet ciuitate perfacilè iudicabit prudens. Similiter non erit difficile species ac qualitates delineare; nam cum omnes medij magistratus summorũ quasi manus, instrumenta, ac partes primariæ habeantur, quis est vel mediocriter in vsu ac politia rerum versatus, qui facilè in suas species magistratuum officia non distinguat? Exempli causâ, cùm videat primam curam habendam esse morum, quis censorem? Cùm videat alteram rerum vænalium, quis ædilem & annonæ præfectum? Cum videat aliam belli, quis imperatorem? cum causarum aliam, quis iudicem & prætorem necessarium esse non putabit? His cognitis de qualitatibus istorum ardua ac difficilis non erit coniectura, nam tales virtutes cuiusq; esse debent, quales officia (quibus funguntur) in ciuitate postulant. De materia circa quam magistratus versatur pauca in textu sunt, sic tamẽ semper est, vt qui prẽsunt afficiuntur: si enim sunt sũmi, respub. si verò medij, res aliẽ officio accommodatę materiæ locum habent, vt in ædilitate annona, in censura mores, in præfectura belli arma & his cognata. De tempore magistratus difficile est aliquid certum definire, quarè eiusdem consideratio prudentibus locorum, morum, rerumq; habitâ ratione relinquenda erit; distinguit tamen Philosophus, quòd alij sint perpetui vt reges, alij tempore definiti, & ij vel annui vt Romani consules, vel semestres aut breuioris temporis vt dictatores, qui in procellis reipub. solùm prẽfuerunt. Postrema pars istius capitis de magistratuum constitutionibus instituitur; in cõstitutione tria spectari debent, qui constituant, ex quibus constituantur, & cõstituendi modus: hinc quẽritur, vtrũ ab omnibus an verò à quibusdã tãtum ciuibus eligi & creari debeãt magistratus? Iterum, An ex omnibus cõfusẽ, aut ex quibusdã, vt apud Megarenses, distinctè eximi ac separari debeant, qui munera ciuitatis subeant? Postremò, vtrum sorte vel suffragio ciuiles magistratus sint creandi? Prima dubitatio est de constituentibus, secunda de constitutis, tertia de modo & ratione constituendi; ex horum singulis alias connexiones Arist. eruit

Qualitates magistratuũ.

Vide Feneſtel. Pompon. Volater. comment. lib 29.

Materia circa quam versatur magistratus.

Tempus magistratus.

Liu. dec. 1. l. 2. Feneſtel l. 2. cap. 8.

In constitutione magistratuum tria considerãda.

Rationes 3.



eruit easdemq; singulis administrandę reip. formis perspicuè acommodat. Exempli causâ, Omnes ex omnibus siue sorte siue electione creare magistratus pertinet ad popularem potentiam, in qua multitudo æqualitati omnium ex omnibus ardenter & obnixè studet: cum verò fiunt magistratus partim ex omnibus, partim ex quibusdam, hoc ipsum ad politiã mixtumq; statum reip. spectat: nã hæc administratio ex popu- Cap. 9.
lari & paucorum potentia componitur, vt anteà diximus: si deniq; ex quibusdam ijsdemq; bonis viris eligantur magistratus optimatum potentia eminet, & sic de cæteris, quæ omnia in textu luce sunt clariora, breuitati ergo studens ad quæstionem venio, Vtrum electio magistratuum per sortes in repub. approbetur? Nomen sortis varijs modis sumitur, An sorte eligendi sint magistratus?
nam aliquando consultationis euentum, sæpe aleam fortunæ, nonnunquam diuinationis prẽsagium artemque significat; hæc enim tria anxiam ancipitemque cogitandi curam habent, animumq; humanum frequenter in contradictionis gyrum ac labyrinthum pellunt. Primum genus licere puto, alia autem duo fugienda censeo, & quoniam vltimum illud genus sortis per diuinationem nigram (vt vereor) in multarum rerumpub. viscera irrepsit, viruslq; suum non sine suspicione pestis futurę in venas corporis dispersit; dico Sauli non licere vmbras ab inferis excitare, vt successorem disceret in imperio: dico horrendum esse oracula dęmonum consulere, 1. Sam. 28.
vt illorũ nigris auibus adiuti potiamur regno; prodigiosa hęc ratio est aucupandi sceptrum, superstitiosa tenendi imperium. Ab omni ergo rectè instituta rep. abigãtur Bacones, abigantur sortilegi, tollantur istorũ circuli, extinguantur cerei, vrantur lumina; O vtinam obliterentur istorum nomina; nã certè ni fallor (& sanè in hoc falli perlibenter velim) cum ista in ciuitatem addmittitur scientia, sequetur fidei magna iactura: Lux cum tenebris, veritas cum mendacijs, fides cum fraude, religio cũ arte Magica, Christus cũ Belial, ciuitas dei Agrip. de vanit. scient.
cũ oraculis dęmoniorũ consociari nõ potest. Vis vt hoc ipsũ probẽ, lege sacram Philosophiã & prohiberi; lege humanã & negari, lege maiorum concilia & in ijs penitus hoc genus

Odiosa per diuinationem facta sors.

sortis diris execrationibus expiungi & deleri videas; verte annales antiquorũ tẽporum, collegia augurũ, aruspicũ, flaminum, coniectorum, tecum animo considera, cadauera regum ac rerũp. qui illis crediderunt ante oculos pone, & si idem facere contendas time, nam regnũ tali sorte comparatũ instabile est, citoq; labitur mihi crede. Fac vt à centro ad circũferentiã rectę politicę administrationis lineę ducantur, conare vt futura fata reip. consultatione sapientum, non diuinatione incantantium pręsciantur: illa enim est iusta, hęc verò iniqua pręaugurandi via: nõ tamen hic nego, quin licita sit diuinatio quędam in ciuitate, vt prædictio famis, belli, mortis, cœliq; cursus & motus, quibus arte præcognitis sæpè cautiores sumus: solùm ergo hoc loco illos perstringo, qui nimis altũ sapientes sapientẽ qui dominatur astris non timent, nõ venerãtur. Alterũ genus sortis in iactu fortunę ponitur, de quo quęstio iam est, An electio magistratuũ per sortem approbetur? Videtur Philosophus hanc formã eligendi magistratũ in democratia & oligarchia admittere, cũ in eis sine sorte facula seditionis exarderet. Nã in populari statu omnium æqualitas, in oligarchia diuitum libertas docilis est ad factionẽ, si occulta aliqua ratio ambitionis æstum non sedaret, at tutior ratio non est quàm per sortes electio. Cęterùm hìc de rectis reip. formis agimus, in quibus talis electio approbari non debet, quod succinctè his argumentis probo. Electio magistratus est res omnium maxima in ciuitate, & veluti clauis reip. ergo fortunę temeritati tradi & committi non debet. Antecedens constat, quia magistratus est Atlas ciuitatis, à quo vniuersus status reip. pendet. Ratio sequitur quia rẽ tantã fortunę committere esset ciuitatẽ quasi iactu alearum perdere. Præterea omnis magistratus prudẽs & iustus esse debet: sed talis sorte nõ acquiritur: ergo per sortẽ nõ fieret electio. Deinceps in electione magistratus nõ tã personę, quã cõmunitati consulere oportet: sed cõmunitas non sorte, sed suffragio eligi & creari magistratus iubet: ergo in electione sortes non approbantur. Insuper illa solũ sunt exponẽda sorti, quę ratione cõfici & cõprehendi non possunt: sed electio magistratuum ratione confici

Secundum genus sortis in iactu fortunæ.

Pol. 2. cap. 4. Patri. de rep. lib. 3. tit. 3.

Sortitio non admittenda. Ratio.

Magistratus Atlas ciuitatis.

Vide. Patri. de rep. lib. 6. tit. 6.



confici & comprehendi potest: ergo electio magistratuum per sortes non fieret. Adhuc si sorte fieret electio homo belluã, quæ solum naturâ & sorte regitur, nõ omninò vinceret: at homo ratione & prudentiâ belluam vincit: ergo ratione nõ sorte, prudentiâ non fortunâ ciuitatẽ regeret. Postremò sors cadit sępiùs in fatuos quàm in prudentes, iuxta illud, Fortuna fauet fatuis: ergo periculosum est per sortes magistratum eligere. Concludimus ergo in electione magistratuum consilium maximè requiri, nã temeritas in illis creandis sæpè grãde periculum, sors cæca miserum naufragium parit.

Fortuna fauet fatuis.

In eligendis magistratibus adhibendum consilium.

## Distinctio.

Tractantur in hoc Cap. de magistratu

- Definitio magistratus quæ est aut
  - Metaphorica, vt magistratus sit lex animata ciuitatis.
  - Vera, vt sit publica persona successione, sorte, aut suffragio electa, quæ consultandi, iudicandi & imperandi potestatem habet.
- Species, vt magistratuũ alij sint summi quorũ obiectũ est tota ciuitas, medij quorũ obiectũ est res aliqua cõmunis, pro distinctione officij, quo magistratus funguntur.
- Numerus, Qualitas, — Quæ definienda sunt pro magnitudine & paruitate ciuitatis.
- Materia, quæ est
  - Generalis, vt vtilitas communis.
  - Specialis, vt res bellica respectu imperatoris, respectu censoris mores, &c.
- Tempus, quòd alij sint perpetui vt reges, alij tempore definiti vt prætores Romani.
- Constitutio, in qua spectantur,
  - Qui constituunt.
  - Qui cõstituuntur.
  - Quo modo cõstitui debent, an
    - Successione.
    - Suffragio.
    - Sorte, quę non approbatur ob rationes modò allatas.

Opp. *Sunt magistratus in populari statu reipub. sed in eo statu potestatem imperandi non habent: ergo per potestatem imperandi, non rectè definitur magistratus. Minor constat, quia in eo statu omnium æqualitas est, vt anteà probatur,*

Resp. *Æqualitas in populari statu est respectu libertatis non dignitatis, cùm enim in eo statu requiritur æqualitas, non intelligitur quòd leges ac magistratus nõ dominentur, sed quòd nemo totius multitudinis spe & expectatione magistratus decidat, nam vnusquis-*

Æqualitas in democratia respectu libertatis, non dignitatis.

quisq; in democratia potest esse compos dignitatis.

Imperare magistratus proprium.

Opp. *Si imperare sit forma magistratus, tum qui maximè imperat, esset maximè magistratus; sed imperator rei militaris maximè imperat: ergo imperator rei militaris esset maximè magistratus: cæterum in textu imperator rei militaris à nomine & ratione magistratus excludutur.*

Imperium quid sit. Cic pro. Cecin.

Resp. *Imperiũ proprie id sonat, q̃ lege non ense, æquitate nõ tenetur, cũ ergo Mars mors sit, & bellum veluti flagrum ciuitatis, in eo status seu forma reip. non ponitur: sit enim tũ necessitas virtus, & dictator ad tẽpus regnans analogicè magistratus nominatur, nõ tamẽ verè, quia in bello leges (quæ sunt nervi ciuitatis) nõ loquũtur.*

Opp. contra secundam quæstionem.

*Contingit aliquando, vt æquè digni principatu, ambiant imperium: sed in hoc casu electio per sortes habetur optima: ergo electio per sortes aliquando approbari debet. Minor constat, quia in mittendis sortibus nulla est suspitio ambitionis, seditionis nulla formido.*

Non committendum casui, quod ratione potest circumscribi.

Resp. *Non negamus omnẽ vsum sortis in electione magistratus, aut iudicio ciuitatis: verùm si ratione definiri, aut comprehendi possunt ea, quæ tractãtur, perabsurdum esse putamus casibus cõmittere, quo certis legibus rationis potest circumscribi. Ad rationem ergo respondeo, si æquè digni magistratum ambiant, quorum vngues (si vocibus à magistratu pellantur) ciuitas formidet, tutius est sorte, quàm voce eligere, at si æque digni iuxtà & boni sint qui ambiunt imperium, vel tales, quos depulsos non timet populus, honorabilis suffragandi consuetudo non est abroganda.*

Pol.2.cap.4.

Opp. *In democratia & oligarchia electio per sortes hic ab Arist. probatur: ergo in omni statu reipub. non est neganda. Antecedens probatur, quia in populari potentia æqualitas libertatis, in oligarchia æqualitas cẽsus ac diuitiarum voce repulsa seditiosa erit, at sorte sedata manet.*

Resp. *Docuimus in rectis reip. formis sortes nõ admitti, quare ad idẽ nõ disputatur; nã hæ sunt digressiones ac labes ciuitatis, attamẽ licet in eis propter æqualitatẽ libertatis, census, aut eorũ qui sunt eligẽdi: nõ videtur tutior eligendi via, quàm per sortes, ne seditio fiat, si autẽ aliter commodè fieri potest, multo melius est voce quàm sorte fieri, nam in illis sæpè veritas, in his semper temeritas inest.*

Opp. *Sacra Philosophia electionẽ per sortes approbat: ergo est legitima. Antecedens patet in electione Matthiæ in Apostolatum.*



Act.cap.1.26. Electio Matthiæ non fortuita, sed destinata.

Resp. *Vnũ exemplũ vim legis non habet, neq; fuit sors illa merè (vt aiunt) fortuita, sed diuino spiritu in vas electum destinata.*

Dubium. *Vtrum sacerdotes in rep. ciuilem magistratum gerant?*

Sacerdotes non admittẽdi ad magistratum.

Sacerdos quasi sacra dans.

SACERDOTES à ciuilibus magistratibus dilucidè in textu excludit philosophus, nam (inquit) hoc genus hominum (intelligit sacerdotes) aliud esse à ciuilibus magistratibus statuendum est. Sapienter tu quidem Arist. nam quid aliud est sacerdos quàm dans sacra Deo? Qui rerum ciuilium curis implicatus lucẽ amittit diuinitatis suæ; diuinitatis dico, quippè virtus huius officij sanctitas est, in qua ipsa religio conflat; mali sæpè sint viri, at virtus officij manet, ratio est, quia virtus officij non à viro sed à Deo pendet; non tamen hîc nego quin vt imperiti medici humana corpora: ita mali sacerdotes nõnunquã mortaliũ animas occidant; illi medicinæ veneno, hi sceleratæ vitæ exẽplo. Sed vt hoc axioma Philosophi paulò accuratius exponam, non expedit, vt sacerdotes in rep. ciuilem magistratũ gerant. Rationes quibus hoc ipsum probo, sunt à definitione officij, à vitę genere, à materia circa quã versantur, à tẽpore, à fine. Officiũ sacerdotis est diuinis medijs mortales conciliare Deo, & opus hominem ab omni ciuili solicitudine liberũ & immunẽ requirit: nam quí potest solo affixus cœlũ intueri? Graue pondus ciuilis administratio habet: at perpetuò in cælos volare (& est sacerdotis munus) pennis velocibus aquilarũ eget. De vitę genere quid disputẽ? Cũ multi sint sacerdotes, & pauci sacerdotes; multi nomine, re verò pauci, sacerdotis vita theorica, non politica esse debet, si enim sit mediũ inter deũ & hominẽ, & tãdẽ mediũ est, si munus ciuile gerat? actio & speculatio repugnantiã quandã habent, nõ contradictionẽ, ita tamen concertant, vt simul in vno cõmodè habitare nequeãt: si ergo vita sacerdotis sit in sola contẽplatione spiritus, audeo concludere rarissimè ei munus subeundũ esse ciuitatis. Materia quã tractãt ministri Dei est religio, quæ in deũ tendit: at hæc in theatro ciuili nõ sedet, prophanas & seculares causas nõ agit, politicas leges vi suâ non condit: ciuiles ergo magistratus sacerdo-

Ratio.

Leuite nihil possident, nec habent partem inter Laicos. Num.18.20.

Num.18.20. Chryso. super Math.

Actio, & speculatio repugnant, non contradicunt. Eth.10. cap.8.

tem gerere non oportet. Quid enim magis mentem à religione distrahit, quàm aurum sceptri? Quid magis orantem impedit, quàm cogitatio mundi? Hoc ipsum etiam tempus creandi sacerdotis probat: nam in ea solùm ętate consecrari

Lib.7.cap.9. politicorum. sacerdotem voluit Arist. in qua veneranda canicies ocium ac libertatem ab omni ciuili negotio senili grauitati à natura tribuit: tum enim affectuum turbo & murmur cessant, tũ aut nunquam certè rationis ac pietatis lumen & fomes ardent. Finis denique huius diuini muneris est nugas & vmbras ciuitatis fugere, strepitus populi & multitudinis contẽnere, ignorantes docere, orare semper, deoq; seipsos & alios cõsecrare: estne hoc munera ciuitatis ambire? Dignitates & honores ciuiles appetere? In delicijs viuere? arma mouere? negotiorũ vndis fluctuare? Rectè Chry. Sacerdotis est populum monere non mouere arma, ratio vt opinor est, quia gla-

De verbis Esaiæ hom.4. dium mentis non Martis tenet: si ergo sacerdos suum finem spectet, rebus ciuilibus ac perituris solicitè implicari nõ debet, nisi vt Presbyter Iohannes togatus mane, vesperi armatus esse velit. Sed hîc attendẽdum est, hoc & similia politicę administrationis axiomata non aliter ac leges pro circumstantijs locorum ac temporum mutari, nec non omnino negari posse. Si ergo sint inter Sacerdotes Sceuolæ, non nego quin in honorificis tribunalibus ciuitatis sedeant: si sint Da-

Dan.cap.2. Euodius in vita Epiph. nieles, non nego quin ad consilium regis admissi veniant, & prefecturã in prouincijs teneant: si sint Epiphanij, non nego quin in ciuilibus negotijs magnifici legati fiant: si sint Machabæi, non nego quin armati hostes Dei capitales feriant. Scio equidem Moysi, Samueli, Esdræ, Machabęis, alijsq; sacerdotibus priscorum temporum ciuilem quodammodo gladium dedisse deum; scio etiam vbique ferè gentium hoc metaphysicum genus hominum ad latera principum, ad tribunalia, ad concilia, ad negotia, ad munera, ad officia ciuitatis politicè inuitari; ijs denique honoribus dotari non iustè: existimo tamen hoc solùm speciali (vt aiunt) priuilegio fieri, eoq; referri tantùm, vt consecratę personæ cum alijs in theatris reipub. sedentes oculatissimè attendant & obser-

uent



uent, ne ciuitas humana à ciuitate Dei, ne gladius politicus à gladio verbi, hoc est, ne consilia, leges, mores, edicta hominum à diuinis oraculis vnquam declinent. Cum ergo hîc ex Philosopho iam doceo, magistratus ciuiles sacerdotibus concedi non deberi: generatim non speciatim loquor quidem; generatim vt inter sacerdotium & imperium fiat distinctio, non speciatim quin vt pro more gentium internæ sacerdotum virtuti aliqua externæ authoritatis fiat accessio, quâ sępè magis quàm religione rudis ac imperita multitudo flectitur. Sit ergo Melchisedech Rex & sacerdos, sed in figura Christi: sit Heli sacerdos & iudex populi: sint sacerdotes aliquando politicis vestibus ac muneribus donati: illis tamen suadeo, vt hæc leuâ non dextrâ teneant, sibiq; priuilegio data, non debita simpliciter ex officio putent.

Opp. *Concessum fuit antea sacerdotes esse partes ciuitatis: ergo concedendum est, quòd fieri possint magistratuum participes. Argumentum tenet, quia partes ciuitatis sunt ciues: at ciues sunt consilij, iudicij & magistratus compotes, vt antea definiuit Arist.* Pol.7.c.8 c.4. Pol 3.cap.1.

Resp. *Quoniam nulla tam barbara est administratio reipub. quæ religionem aliquam non probet, sacerdotes, qui religioni inseruiunt, partes dicuntur, à secularibus tamen negotijs sunt separati, vt sanctiùs viuentes alijs præluceant: negamus ergo quòd omnes partes ciuitatis sint magistratus participes, neque hoc voluit Aristoteles in definiendo ciue, nisi analogicè vt illic videre licet.* Omnes ciuitatis partes magistratus non sunt participes.

Opp. *Optimis viris maximè debentur magistratus: sed sacerdotes debent esse optimi viri: ergo sacerdotibus maximè debentur magistratus. Maior est Aristotelis vbi docet virtutem viri requiri in magistratu. Minor constat, quia sacerdotes sunt ministri Dei.* Vide po.5.c.9.

Resp. *Arist. in eligendo magistratu ethicas non theoricas virtutes querit, illæ quidem bonum, hæ verò sanctum reddunt; illæ sunt vt fortitudo & prudentia, hæ verò vt religio & contemplatio Dei, in quibus officium sacerdotis lucet, at hæ ab illis distinctæ ac separatæ sunt, sacerdotes ergo à magistratibus sunt separandi.* In magistratu Ethicæ, non Theoricæ virtutes requiruntur.

Opp. *Sunt quædam causæ in ciuitate, quæ sine sacerdotis consilio definiri non possunt, vt causæ casus q; conscientiæ: ergo licet sacerdoti*

*magistratum gerere, vt has causas tractet.*

Forum conscientiæ.

Resp. *Concedo sacerdotem in foro conscientiæ sedere, causasq; ex verbi oraculo definire, non tamen vt reos gladio percutiat sacerdos, sed vt verbo percussos gladio ciuilis magistratus illos committat.*

Opp. *In multis nationibus sacerdotes summa officia ciuitatis tenent: ergo vsus videtur hoc ipsum, quod negas, approbare.*

Pat. de rep. l. 3. tit. 4.

Resp. *Agnosco vrgentissimis de causis aliquando ad summos magistratus sacerdotes admitti in ciuitate, hic vsus tamen legem non facit: nam quamuis hoc iustum esse fateor, ex essentia tamen officij hoc posse vendicari non putant interpretes. Iustum est quia prudenter sua sæpe officia gerunt, non ex essentia officij est, quia aliud munus à seculari datis initium susceperunt, in quo dies noctesq; solicitè versari ac meditari debent. Ratio est, quia hoc munus totum hominem non partem postulat.*

## CAP. XVI.

*Vtrum de minimis inter ciues contentionibus forense fieret iudicium?*

Iudicium tertia ciuitatis pars. Vide Plat. 6. de legib.

CATASTROPHE & vltima quasi periodus tam huius libri quàm ciuitatis est iudicium de quo hoc loco agitur; catastrophen & periodũ appello, quia in iudicio cardo ciuitatis vertitur & in eo iustitiæ tota vis, perfectio & administratio collocatur. Quid enim est aliud iudicium, quàm veluti statera æquitatis, vox legis, omnisq; contentionis ac litis consummatio? Et si breuiũs definiri velis, est de omnibus quæ in ius vocãtur ipsius iustitiæ expressa conclusio. De hoc, iam differens Philosophus veluti vnum syllogismum texit, cuius maior ordinem, minor materiam, conclusio vsum iudicis iudicijq; proponit. Ordo in his verbis patet. Reliquũ inquit est ex tribus ciuitatis partibus (intelligit senatum, magistratum, iudicium) vt de ea quæ rebus iudicandis præest differamus. Hìc quoq; tria in iudicijs consideranda esse demonstrat, ex quibus quod personam,

Iudicium statera æquitatis.

Iudicij definitio.

Tria in iudicio consideranda.



1. Ex quibus.
2. De quibus.
3. Quomodo.

nam, de quibus quod materiam, quo modo quod iudicis eligendi & creandi viam insinuat: istâ iam datâ propositione de ordine, sequitur assumptio de materia iudicij, quę multiplex & numerosa est, nam octo partes habet. Instituitur enim iudicium primùm de reposcendis rationibus à magistratibus, vt maximi viri in administratione ciuitatis intelligant se tribunali subijci, nec nõ eidẽ obsequi debere: hinc certè magna religio erit in gerendis magistratibus, si vt iudex in dicendâ sententiâ meminerit se deum habere testem: ita magistratus meminerit seuerum se habere in ciuitate iudicẽ. Secundum circa quod versatur iudicium est iniuria in publicas personas illata, vt contumelia, authoritatis contemptio, & his similia, in quorum authores seuerissimè animaduerti debet, ne sideribus ciuitatis extinctis tempestates seditionis fiant. Tertiũ in quo ponitur iudicium est scelus in reipub. ac cõmunitatis statum, qualis est læsio maiestatis, & Catilinaria conspiratio, quę facinora citissimè Catonis gladio rescindi debẽt, ne Lẽtulus & Cethegus (id est) ne potentiores viri in hostium castra sub nocturnis vmbris à ciuitate fugiant. Quartum est de damnis & pœnis tã magistratibus quàm priuatis ciuibus infligendis, vnde euenit vt omnes & singuli eâdem quasi lege deuincti offendere & peccare timeant. Quintum est de priuatis rerum magnarum contractibus, in quibus componendis quies magna ciuitatis ponitur. Sextum est de cęde, quę est aut voluntaria, aut non voluntaria, aut quę iure defenditur. In hac materia demõstrãda parũ moratur Philosophus, & ostendit, vt apud rhetores de iudicio cædis triplicem disputãdi statum, nam si homicida neget factum, quęritur an fecerit, vndè coniecturalis: si fateatur factum, quęritur an prudens vel ignorans, sponte vel inuitè, iure vel iniuriâ fecerit, vndè iudicialis: si dubitetur an sit homicidium, quæritur quid commiserit reus, vndè definitiuus (vt aiũt) status iudicij nascitur, sed hæc disceptatio ad oratores pertinet. Septimum iudicij obiectum est peregrinorum, aut inter se, aut cum ciuibus litigatio, quâ definitâ amabilis iustitiæ species in ciuitate lucet, cum exteri in foro eiusdem vocem contra ciues audiant.

1. Ex quibus.
2. De quibus.
3. Quomodo.
Materia iudiciorum multiplex.
Plat. 12. de legib.
Arist. pol. 2. c. 7

Saluſt.

Cædes voluntaria Non voluntaria.

Postremum

Postremum quod sub iudicium cadit est minimarum contẽtionum ac contractuum multitudo, quæ contemni non debent. Nam vt scintillulis non extinctis sæpè incendium: ita contentiunculis non decisis sæpè vrbis naufragium eminet. Assumptionem iam expositam sequitur conclusio, in qua modus eligendi iudicis vsusque iudicij edocetur. Modus eligendi est vel ex omnibus, vel ex quibusdam; vel mixtâ quadã ratione ex vtroque, idque aut sorte, aut electione, vt superiùs ostendimus de magistratu. Vsus est in comparatione istorum omnium ad diuersas rerumpub. formas, nam si ex omnibus eligantur iudices ad democratiam, si ex quibusdam ad paucorum potentiam, si denique partim ex his partim ex illis ad politiam iudicum creatio pertinet. Dilucida est hæc interpretatio textus, nunc ad quæstionem venio, quæ est, Vtrùm de minimis inter ciues contentionibus forense fieret iudicium? In postremo obiecto iudicis describendo hoc ipsum requirit Aristoteles: hinc colligunt interpretes præter summa tribunalia in quibus res magni ponderis tractantur, reipublicæ interesse, vt curiæ quædam minutulæ assignentur, in quibus litigationes (quæ quotidie inter ciues emergunt) iudicio discutiantur. In solutione huius quæstionis, considerandum est, quòd in nulla ciuitatis parte fenestra ad iniustitiã, iniuriam, perniciemque ipsorum ciuium patefieret: nam hoc requiritur, vt vox iustitiæ in omnibus angulis ipsius ciuitatis audiatur, at sine curijs minusculis (in quibus res paruæ tractentur) lites minimæ vires acquirunt & intolerabiles aliquãdo fiunt. Nã sicut minùs periculosæ infirmitates corporis eò possunt accrescere vt vitam tollant: ita leues controuersiæ ciuium eò possunt prorumpere, vt lucem ciuitatis penitùs extinguant. Quare vt pro illis cura, ita pro his curia assignanda est, in qua litigantes ciues iudicium & quietem habeant. Prætereà quæ tandem æqualitas, quæ rerum proportio in ciuitate, si res paruæ ac lites pauperum iudicis voce non tollantur? Iustitiæ enim forum non solùm Cræso, sed etiam Iro patet, quod sanè fieri non potest, si inferiores curiæ non sint, in quibus leues contentiones examinentur. Insuper politia

Modus eligẽdi iudicis.

Vsus iudicij.

Quæstio.

Curiæ subordinatæ.

Ration 4. Controuersiæ minusculæ iudicijs minoribus dirimẽdæ.

Cuilibet patere debet iustitię forum.



litia non est vndique perfecta, in qua vel minima iniuriarum vulnera non sanantur. Nam vt corpus non est sanum in quo fibrę infirmitatum hęrent: ita respublica non est tuta, in qua scintillulæ contentionum ardent. Sunt ergo statuenda omnia iudiciorum subsellia, in quibus istiusmodi causæ audiantur. Nam aliter, vt errores nõ refutati sępè in hæreses: ita lites non recisæ in truculentas tragædias nonnunquam desinunt. Postremò absurdum est, vt omnes litigantium actus in theatro summi tribunalis aut in senatu agerentur: expedit ergo alias curias authoritate publicâ approbare, vt sicut ex illis viris illustribus: ita ex his mediocribus & infimis eloquatur Iustitia. Quare etsi optandum quidem est vt de vmbra fugacis fortunæ, aut lanâ caprinâ nõ inter se certarent ciues; cum tamen musca suam bilem, & pauper suum splenem habeat, necessarium est in florente ciuitatis statu vt tumores isti iudicum prudentiâ, veluti medicinâ quadam leniantur. Nam aliter iræ facibus accensi, ardentes quasi febres, ac pestes in ciuitate gignent: minimæ lites ergo, & controuersiæ minimę forum ac iudicẽ vbiq; in ciuitate flagitant, quorũ defectu & abusu permultę vrbes ac gentes in cineribus obrutę & sepultę iacent. Nam quę causa maioris mali est, quã licentia mali? quæ sanè tum tumet, cum absq; iudice & cẽsura ciuitates viuunt. Hîc labes iudiciorum, ac multorũ iudicum nævos lubẽs prætereo, aliter corruptiones multas, falsas interpretationes, procrastinationes, intolerabiles oppressiones aliaq; sexcenta curiarũ monstra digito demonstrarẽ, quæ mala cum hominũ sint, nõ legũ; auaritię, non ciuitatis, dissimulanda iã esse puto: deũ tamẽ optimũ maximũq; precor vt in iudicijs veritas sine errore, in iudicibus æquitas sine vlla animi cæcitate luceat.

Nulla maior mali causa, quàm licentia mali.

Distinctio.

Demonstrantur in hoc capite tria

- Persona iudicis, qui legum interpres & oraculum ciuitatis definitur.
- Materia iudicis, quæ in octo partes diuiditur, vt liquidò in suppositione patet.
- Vsus, qui est, vt in omni statu & administratione ciuitatis vnâ omnibus voce eloquatur iustitia, hoc autem vt fiat requiritur vt minimæ causæ non negligantur, sed vt minimis vbique curijs constitutis discuti antur ac terminentur, vt in quæstione fusiùs discussâ constat.

Opp.

Opp. *Multa sunt alia, quæ in iudicium cadunt præter octo illa, quæ hîc à Philosopho enumerãtur: ergò accuratè de rebus in iudicio positis non egit. Antecedens probatur, quia hîc nulla facta est mentio flagitiorum in Deum, nulla furti, adulterij, aliorumq; permultorum, quæ committuntur in ciuem.*

Resp. *Animaduertendum hîc est Arist. solùm de illis nunc malis agere, quæ in leges ciuiles designantur: quòd verò vrgeas illorũ quoque omnium mentionem non fieri, vtpote furti & adulterij, respondeo hæc sub iniuria & damno (de quibus disserit) contineri.*

De quibus malis agat Arist.

Opp. *Non voluntaria sub iudicio non caderent: ergo malè distinguit Philosophus de maleficijs non voluntarijs in iudicio positis. Antecedens probatur, quia non voluntaria secundùm Philosophum in tertio Ethicorum non sunt peccata.*

Quis nomen vnquam sceleris errori indidit? Senec. in Herc. Fth. 3. c. 1. & 5.

Resp. *Quamuis omnes tam virtutum, quàm vitiorum actiones voluntate in Ethicis demetiatur Philosophus, sunt tamen quædam inuoluntaria facta, quæ in iudicium cadunt, quorum authores sistũtur iustè ad tribunal ciuitatis: exempli causâ, ob cædem non voluntariam exules reuocati in patriam, capitis causam olim apud Athenienses egerũt, vt hîc testis est Arist. Ratio vt opinor fuit, quia agẽtis intentio meliore modo quã iudicio discuti & examinari nõ potest.*

Opp. contra quæst. propositam.

Opp. *Exules ac leues populi controuersias iudicio tractare est ciuitatem contentiosam reddere: ergo minimæ causæ in iudicio non agendæ. Antecedens probatur, quia vbiq; ac passim offensiuncula oriuntur quas grauiter in publico iudicio perstringere est valde ridiculum, nec nõ factiosis ciuibus in litigãdi studio spiritus acriores addit.*

Resp. *Non tam causas, quàm causarum euenta iudex in tribunali respicit: quare etsi causæ sunt aliquando leuiores, ne tamen illis neglectis luctuosa sequantur effecta, abundans ciuitatis in hac re cautela nõ nocet, quippè qui cicutam pullulascere nollet, cicutæ radicem & grana illũ effodere oportet. Sapienter poeta, Obsta principijs.*

Vid. sup. cap. 9.

Ouid. primo de remed. amor.

Opp. *Sicut multitudo medicorum sæpè curam procrastinant, vt inde maiorẽ aucupentur quæstum: ita multitudo iudicum & curiarum in ciuitate facit: ergo optabilius est, vt pauciores tam iudices quàm curiæ haberẽtur. Certè experientia docet in illa re esse maximas factiones, vbi numerosa turba iuristarũ viuũt, quippe isti dulci odore*



*odore lucri deliniti aureos montes venãtur & capiũt, quod fieri certè non potuisset, si ad forense studium, & ad rostra pauciores admitterentur.*

Resp. *Verbo respondeo vitiũ hominis non artis malũ esse, medici sunt aliquando ad cadauer aquilæ & iuristæ vultures cũ aurũ tangunt: at hæc neq; illas artes, vt vitiosas tollunt, neq; multitudinem depranatam arguunt, suadeo tamen fucos à præsepibus arcendos esse ne fauos exhauriant, malosq; medicos & iudices coercendos ne multitudine ciuitatem perdant.*

## Dubium.

*An cædes inuoluntaria homicidij pœnam mereatur?*

CVM nihil sit vitâ humanâ charius in ciuitate, Deus & natura iubent, vt eiusdem cõseruandæ summa & singularis cura principibus viris ciuitatis demandetur. Hinc Arist. de obiectis iudiciorum differens cædem (quæ vitæ opponitur) multifariam distinguit, & in ea describẽda diutiùs hæret quàm in cęteris. Et sanè quid maiorem magistratus prudentiam requirit, quàm iusta hominis conseruatio? quid maiorẽ sęuitiam iudicis, quàm iniusta cędes & sanguinis effusio? odiosum est nomen homicidij, cuius vi nobilissimũ opus naturæ (id est homo) dissoluitur: res ergo nulla in ciuili cõmunione seueriùs examinari debet quàm cædes, res nulla asperiùs puniri quàm violẽta manus homicidæ: iudex ergo sapiens hæmatitem semper dextrâ teneret quo sanguinem innocentis sistat, sinistrâ verò gladium quo sicarios & homicidas truculentos feriat; cauendum tamen est ne potentior sit gladius quàm lapis, hoc est ne in vindicando scelere ira clementiam vincat, quippe in causis vitę dormiens Philippus sententiam non diceret. Cum Arist. igitur distinguenda est cædes, vt alia sit voluntaria quæ sponte, alia inuoluntaria quæ casu, alia iusta quæ lege homini infertur; prima Phalaridis tauro & cruce est digna, secunda ignorantiam excusantem habet, tertia lege & ratione defenditur. De secũda hoc loco disputat Philosophus, in qua considerandũ est vtrum res licita, vel illicita agatur cum perpetretur scelus: nam illa quodãmodo factum excusat, hęc magis aggrauat facinorosum crimẽ. Exempli

Odiosum homicidium.

Hæmatitem dextrâ, gladium sinistrâ teneat iudex.

Melius nocẽti parcere quàm innocentem perdere.

Cędes Voluntaria, Casualis, Legitima.

Cædes non voluntaria duplex.

empli causâ. Si Cæsar contorquens telum in feram fortè occidat hominem, homicida non est; si verò otioſè ab arce dejciens ſaxum ſanguinem effundat, homicida dicitur: nam quamuis in vtroq; nulla fuerit intentio cædis, cauſa tamen mutatur, quia res licita factum excuſat, res verò illicita crimen atrocius reddit: cædes ergo inuoluntaria caſu facta (ſi nulla vel præcedat vel ſequatur intentio mali) homicidij pœnam non meretur: at ſi præcedat intentio mali, aut ſi ſequatur delectatio facti, qui fecit reus eſt legiſq; pœnam ſuſtinere debet. Sed punctis hoc ipſum probo. Voluntas eſt cauſa ſceleris: ſed cædis inuoluntariæ voluntas non eſt cauſa: ergo cædes inuoluntaria non eſt ſcelus; quo poſito homicidij pœnam non meretur. Prætereà in cæde inuoluntaria ſolùm cauſus præeſt ac prædominatur: ergo per ſe peccatum non eſt; nam caſus à nullo particulatim agente intenditur: hoc dato iniuſtum eſt ſolo caſu peccantem nomine homicidæ condemnari. Poſtremò quis plectitur pro eo, quod vitare non poteſt: ſed omne euentum fortunæ nemo vitare poteſt: ergo euentum fortunæ nemo lueret; quo conceſſo cædes inuoluntaria, quæ eſt actus fortunæ non voluntatis, cenſuram auſteri iudicis non ſubiret. Si ergo furioſus Alexander occidat Clytum, ſi temulentus Antonius occidat ſpurium, ſi temerarius Lamech occidat Cainum; Alexãder, Antonius, Lamech tyranni ſunt & homicidæ: at ſi Gualterus Tyrell venator ille forte percutiat Rufum ſibi regem, vt eſt in annalibus Britanniæ, ſi Milo ſeipſum defendens Clodium inſidiantem feriat, occiſio eſt non homicidium: etſi ergo omnis cædes diligenter examinanda eſt, quia vitâ humanâ nihil charius, omnis tamen mortis ſententiâ non eſt damnanda: quippè facinus non committitur ſi malum in animo non concipiatur, parturiens enim voluntas oua cõcepta ſceleris ſolũ cõficit & protrudit.

Ration. 3. Nuſquam niſi in voluntate peccatum. Aug.

Non voluntaria cædes pœnam non meretur.

Haud eſt nocens quicunq; non ſponte eſt nocens. Senec. in Herc. Oet. Curt. 8. Gen. 4. Cic. pro Milo. Occiſio. Homicidium. Affectus operi nomen imponit. Amb. de off. l. 1. cap. 30.

Opp. *Dubia plura, & maioris ponderis in hoc tractatu de iudicio ab interpretibus mouentur, quàm hoc, quod nunc diſcutitur: ergò vberior de iudicio inſtituenda diſceptatio. Antecedens probatur ab exemplis, nam hîc ab illis quæritur, Vtrùm homo ſeipſum interimens ſit homicida? Et iterùm, An in reatum homicidij incurrat, qui alium*



*alium in ſui ipſius defenſione occidat? Adhuc, An condemnato liceat ab iniuſto iudice appellare? Porro, An falſi teſtes in cauſis capitalibus conuicti reorum pœnas luerẽt? Poſtremò, An mulier ciuilis iudex eſſe poſſit?*

Reſp. *Primùm negamus hæc eſſe maioris ponderis dubia, quàm illud quod nunc diſcutitur: tum affirmamus iſtorum dubiorum nullam ſpeciem nullamq; mentionem in textu eminere. Poſtremò reſpondemus ad iuriſprudentiam potiùs, quàm ad hanc ſcientiam particularem iſtorum diſputationem pertinere; quippè hîc generatim, non ſpeciatim de elementis ſolùm, non de edictis & decretis ciuitatis agitur. Breuiter tamen affirmo in primo quod interimens ſeipſum ſit homicida, quia malum ſponte præmeditatus facit. In ſecundo aio non eſſe homicidam qui in ſui ipſius defenſione alium occidat, ratio eſt, quia iure ciuitatis & naturæ vis talis defenditur. In tertio dico appellationem condemnato à iudice ſuo licitam non eſſe, nam ſic ciuitas & iuſtitia paterentur naufragia, flagitiaq; abundarent. In quarto iubent Philoſophi, vt falſi teſtes conuicti in cauſa vitæ ſecuri percuterẽtur, quippè ciuitas rectè inſtituta iniuſtam ſanguinis effuſionem penitùs abhorret. Poſtremo concludimus vt ſuperiùs, nempe in fœminis tam imperandi quàm iudicandi poteſtatem eſſe, cum tamen ſit quædam ſexus non mentis, conſtitutionis non virtutis imperfectio. Ciuitas decorum in omni actione obſeruans præſcribit vt actu hoc munus iudicij in ſubſellijs iuſtitiæ potiùs animoſi viri quàm fœminæ imbecillæ gerant, non quòd indignè putet Iudith Iſraeli præfuiſſe, ſed quòd exiſtimet tantum onus reipublicæ infirmis fœminarum humeris imponi non debere.*

Ad obiectas quæſtiones reſponſio.

Opp. contra dubium.

Opp. *Lamech credens ſe interfeciſſe belluam interfecit hominem, & tamen homicidæ pœnam meruit: ergo inuoluntaria cædes homicidij nomen penamq; meretur.*

Reſp. *Reſpondent interpretes vel hoc factum eſſe, vt oſtenderet Deus quantum facinus ſit hominem occidere, vel ideò pœnam legis illum ſubijſſe aiunt, quòd ſatis ſollicitè non quæſierit, vtrùm homo vel bellua eſſet quem percuſſit.*

Opp. *Homo hominem caſu interficiens peccat: ſed non in alio genere peccati quàm homiciaij: ergo in homicidio peccat.*

*Quo dato, cur panam homicida non ſubiret?*

Peccare In naturam, Moraliter.

Reſp. *Peccat in naturam, quia ens optimum extinguit: moraliter tamen non peccat, quia ſponte hoc facinus non committit. Praterea aliud eſt genus peccati in quo offendit, nam interfectio non propriè homicidium dicitur.*

Opp. *Si famina fortè percuſſa abortum fecerit, homicida habetur qui percuſſit, animam pro anima reddit: ergo inuoluntaria cades homicidij nomen & panam ſuſtinet.*

Reſp. *Hæc vera ſunt ſi percutiens rei illicitæ operam dederit: at ſi in rebus iuſtis & licitis impenſè occupatus fuerit, hoc factum casus & error, non homicidium rectè definitur.*

Laus Deo.

LIBER



# LIBER QVINTVS.

## CAP. I.

*Vtrum ſeditio ciuium ſit primum conuerſionum ſeminarium in omni ſtatu ciuitatis?*

PROVINCIA magna & difficilis eſt quam nunc aggredior, nempè vt fauſta ſimul ac infortunata rerumpublicarum ſidera & fata ex Ariſtotele deſcribam. Opus, hoc quidem Cæſaris acumen, Neſtoris ætatem poſtulat; quippe nemo niſi ſciens, nemo niſi expertus de rebus tantis ſcriberet: anceps ergo omninò hæreo an hîc deſiſtam an vlteriùs pergam: præſertim cum mirabilis ille annus adſit, in quo neſcio quæ fata rerumpub. futura diuinauit Sybilla; fac Chriſte vt quaſi ſapientes dominemur aſtris, vt aſpectus ſiderũ te auſpice moderemur: verte polos quæſo & auerte quod veremur omen: habes cõfitentes reos, agnoſce quod eſt tuum; lugẽtes habes, ignoſce quod eſt noſtrum; nihil enim tuum eſt niſi ſalus, nihil noſtrum niſi ſcelus. Sed quid in hac animi extaſi & quaſi ſomnio nunc tãdẽ ago? Sybillę folia vt ſpero iam diu diſſipantur, mẽdax in multis reperta fuit, ô vtinã hoc anno probetur mẽdaciſſima: age vtcũq; eſt, globos rerũp. cum authore hoc meo vertã, cõuerſiones & motus deſcribã, cauſas interitus & cõſeruationis diligẽter proponam. Nam vt ad medicum ſpectat cõſideratio tã ęgritudinis quàm ſanitatis: ita politicũ intueri oportet nõ ſolùm quæ peſtes ſed etiã quæ remedia ſint & veluti alexipharmaca ciuitatis. Poſteaquam ergo Ariſt. fundamenta reipub. iecit in primo, errata refutauit in ſecundo, in tertio ciuitatem in ſuas formas diuiſit, differẽtias, vires, proprietates ac partes ciuitatis in quarto demonſtrauit, vtique iam ſequitur, vt quomodo conſeruetur, quomodo etiam concidat & intereat, accuratiùs

Pol. 4. cap. 2

Quæstio.

accuratiùs declaret. Hactenùs de materia huius libri & propositione istius capitis. Quæstio nunc est, An seditio ciuium sit primum conuersionum seminarium in omni statu ciuitatis? Rectè quidem Arist. à seditione tanquam à lethali fulmine quintum hunc librum incipit, in quo de causis euertẽtibus & conseruantibus rempublicam disputare contendit. Quid

Seditio.

enim altissima ciuitatum mænia citiùs ab ipsis fundamentis concutit quàm seditio? Quid monumenta antiquitatis & ornamenta pacis furentiùs inuadit quàm seditio? Tempus est edax rerum, at dentatior tempore est seditio: nam rapit, vorat, consumit omnia: hæc nunquam concepta est sine pernicie matris, nunquam parta sine naufragio ciuitatis. O quàm fugienda igitur est seditio? sed vt de hac re solùm hic disputem, Philosophus hanc primam pestem primumque seminarium

Seditionis definitio.

conuersionum in omni statu ciuitatis fuisse, iam esse, & olim fore hîc sapienter probat. Argumenta sunt à definitione, à causis, ab exemplis, quibus ab interpretibus alia adijciuntur, à simili & à contrario, vt in sequentibus patebit. Definitio insinuata non apertè demonstrata est, nempè quòd seditio sit insolens & superba ciuium, pluris se æstimantium quàm par est, à iusto sorteq; ciuili declinatio; hæc est ambitiosa factio & factiosa ambitio, quâ ardentes mali ciues rebus nouis student, nullâq; re magis capiuntur quàm discordiâ, quâ semel accensâ nec alta Carthago, nec tumens Græcia floret; hac semper vtitur sæua & caperata fortuna in vertendis globulis rotisque suis; & sanè imperia, nationes, regna sunt nihil aliud quàm pilæ fortunæ, si virtutis sceptro non roborentur: si ergò nihil magis rotam fortunæ in imã vertit quàm seditio, seditio est prima lues & pestis ciuitatis. Causæ (à quibus secundum argumentum in textu ducitur) generatim quatuor

Seditionis causæ.4.

sunt, libertas, opes, genus & honor: sub his virus seditionis latet, & quasi pruna sub cineribus occulta ardet. Nam cum liberi se omninò pares cum opulentis, opulẽti se omninò pares cum nobilibus, nobiles genere se omninò pares cum honoratis viris principibusq; ciuitatis efficere conantur, diuisio

Pol.3.cap.6.

partium statim emergit, quâ veluti scintillâ stipulis iniectâ

præcordia



præcordia malorum ciuium ad mutationem præsentis status inflammantur; nam stomachabundi sunt diuites in multitudinem, nobiles genere opulentos sutores non ferunt, principes nati aut facti zelotipi sunt & suspicioſi ne regnum perdant; hinc contentio, hinc innouatio, hinc euersio ciuitatis, cuius prima causa est vt iam constat ex istis causis orta seditio. Tertium argumentum ab exemplis suas vires habet; quod non solùm modum sed etiam actionem conuersionis breuiter ostendit; modum, nam si diuites superbi potentiores sint in oligarchiam, si liberi & pauperes vincant in democratiam, si factio vnius valeat in tyrãnidem, si furor populi in anarchiam & cõfusionem status ciuitatis vertitur. Exempla quæ tragædiam & actum istius conuersionis declarãt sunt in textu tria. Primũ est Lysandri, qui Lacedęmone regnum tollere conatus est. Secũdum Pausanię regis, qui Ephororum imperium sustulit. Tertium est quorundam in Sicilia ciuitatem quandam Dyrrachium nomine incolentium, qui pro tribunis plebis tribuumq; pręfectis (quos Græci Philarchos appellant) senatum fecerant, eumq; iterum in frequentissimũ iudicum concessum tandẽ cõmutarant. Sic pilas fortunæ iactat seditio, sic regna vertit, quid ergo funestius est in ciuitate quã distractio ciuiũ? argumenta quę ab interpretibus hîc attexuntur sunt à simili & à contrario. A simili, Nam vt in corpore humano ipsa viscera nonnunquam colica discindit passio: ita neruos & vincula ciuitatis disrumpit intestina seditio; & vt frangit ossa fulmen illæsâ carne: ita fundamenta ciuitatis quassat seditio virtutis specie palliata. Contrarium seditioni est vnio & concordia ciuium, quam omnes Philosophi primam conseruationis causam esse affirmant: ergo seditio prima causa interitus ac euersionis aptissimè definiri potest. Huc addi possunt argumenta ab authoritate & ab euentu rerum. Ab authoritate, nam Plato ait quòd nihil melius sit ciuitati quàm vnio, nihil perniciosius quàm diuisio seditioq; ciuium. Ab euentu rerum, nam quid portas ciuitatis citiùs hosti aperit quàm seditio? discussâ iam quæstione, reliquum est vt quæ sequuntur in textu breuiter ac dilucidè

Pol.3.cap.7.

Plut.in Lysãd. Xenoph.de Spart.rep.

Plat.pol.5.

percurramus. Cum antè demõstratũ est flãmas seditionis ex eo potissimũ in visceribus ciuitatis concitari, quòd ciues cæcutientes in suis ipsorum bonis iustum & æquale cęcâ potiùs opinione quàm rectâ ratione & iudicio metiantur, vtriusque distinctionem hîc adfert Philosophus, quæ est vt aliud sit iustum & æquale arithmeticum secundùm numerum, quod in proportione rei; aliud geometricum secundùm magnitudinem, quod in proportione rationis ac dignitatis cõstat. Exemplum illius in hoc patet, quòd sicut duo à tribus vno: ita vnum à duobus vnitate superetur. Exemplum huius in dupla rerum proportione ponitur, quippè in eo non æqualitas põderis (vt aiunt) sed meriti & virtutis ratio habetur. At quorsum hęc? Certè vt intelligamus cęco amore sui perstringi animos mortalium in definiendo æquali ac iusto, vnde ex bonis ciuibus sæpè flabella seditionis fiunt; Nam cum alij ex libertate, alij ex diuitiarũ copiâ, alij ex honore, alij ex genere & sanguine simpliciter in omnibus æqualitatẽ rapiunt, somniantes iustum esse vt sint in omnibus idcircò pares, quia in horum vno vel altero antecellant, necesse est vt bilis in stomacho, bellum in ciuitate ardeat. Nam indignè ferent diuites si pauperes sibi æquales fiant, stomachantur liberi si sub opulentis oppressi viuant; & quis ignorat Pompeios æquales nõ pati? Ita susq; deq; verruntur omnia, & pacis templũ arietibus Martis cõcussum cadit. His positis, tria adiũcta in textu sequuntur, primum est ꝙ popularis administratio paucorũq; potentia frequentiùs vbiq; gentium reperiantur quàm aliæ formæ ciuitatis, ratio est, quia plures sunt pauperes quàm opulenti, & plures opulenti quàm studiosi viri. Secundum est quòd democratia & oligarchia maximè seditionis procellis pateant, ratio est, quia summi cum infimis, infimi cum summis perpetuò decertabunt, ex vtroq; igitur mixtã administrandi formam, vt superiùs, laudat. Postremum est quòd popularis gubernatio firmior ac diuturnior sit potentiâ paucorum, rationes reddit, & quia minùs agitatur seditionibus, quoniã neminẽ habet cum quo cõtendat; & quia similior est politię, quę omniũ tutissima est, vt antè Philosoph. definiuit.

Iustum arithmeticum, Geometricum. Eth.5 c.3.4.5. Plat.pol.1.&2.

Pol.3.cap.5.

Pol.4.c.8.&11.

Distinctio.



Distinctio.

Seditio (quę est factiosa diuisio & distractio ciuiũ) prima pestis & causa cõuersionis probatur esse in ciuitate,

- A definitione seditionis, quia est iniusta, insolens & superba à sorte ciuili declinatio.
- A generalibus causis, quę sunt libertas, opes, genus & honor, quę seditionis fulmine deuastantur.
- Ab exemplis multarum vrbium, gentium, nationum, quæ seditionis motu extinctæ iacent.
- A simili, quia seditio est quasi viscerum passio in ciuitate.
- A contrario, quia vt in vnione ciuium conseruatio: ita in distractione est confusio ciuitatis.
- Ab authoritate Platonis vt, patet.
- Ab euẽtu, quia sola seditio hosti ciuitatẽ prodit.

Opp. *Quicquid est causa conseruationis non est primum seminarium interitus: sed seditio est causa conseruandæ ciuitatis: ergo non est seminarium eiusdem interitus. Probatur minor, quia distractis ciuibus in diuersas factiones cautior & tutior erit administratio; cautior, quia factione ardente prudentiùs se gerent magistratus; tutior, quia hoste cognito fortiùs se munient aduersus hostem. Hoc olim probatum fuit in imperio Romano, in quo tribuni plebis factiosè aduersantes nobilibus senatum prudentiorem multò effecerunt.*

Vtilitas ex hoste.

Mach. in Liu. lib.1.c.3.&4.

Resp. *Pernicioſa est illa opinio Machiauelli, quòd nutrienda sit in ciuitate factio seditionis filia. Respondeo igitur quòd neque cautior neque à periculo munitior hoc modo efficiatur ciuitas: nam quæ securitas esse potest cum ardeat in tecto ignis? At quid aliud est factio quàm facula ardens in tectis ciuitatis? Fateor si velis cautiorem reddi hoc modo magistratum, sed audi, miserum hoc est vt magistratus in vrbe cum ciue, quasi dux in tumultu bellà cum hoste viueret. Ciuitas locus est securitatis & regnum pacis, at quæ quies in regno est si ciues regibus hostes capitales fiant? Quod de Romano imperio ais, teipsum tuamq; causam lædit, nam tum exaruit pulchritudo Romæ cum tribunorum seditio floruit.*

Machiauellus refutatur.

Seditio facit omnia insidiantibus opportuna.

Liu. dec.4.l.4.

Cato in Scipionem.

Opp. *Perpetua pax ciuitatẽ deuorat: ergo seditio paci contraria aliquando est necessaria, quo dato, sequitur quòd semper non sit causa euertendæ ciuitatis. Antecedens probatur, quia diuturnitas pacis vnius seculi spatio tantam hominum multitudinem ac molem*

Vt sub Grace.

Ex pace bellū

*parit vt defectu rerum necessariarum ciuitas vulnerata cogatur sæpè ad iniustum bellum, quo partes superfluæ rescindantur.*

Resp. *Rarò pax in pestem vertitur, at dato hoc & concesso quòd pax pacem auctà multitudine deuoret, non tamen est necessaria seditio, quâ citiùs totum imperium quàm partes ruat. Præterea nunquam cogenda ciuitas ad iniustum bellum vt ciues amputentur: sunt enim potiùs sexcentæ aliæ viæ quibus hoc onere liberetur, vt si onerosa turba in subsidium mittatur aliorum principum, qui iniustè contumelijs & iniurijs ab alijs lacerantur, sic sæpè Roma fame ac peste se liberauit.*

Opp. *Studiosi viri iustissimè seditionem possunt mouere: ergo seditio non est per se ciuili bono repugnans atq; contraria. Antecedens apertè est in textu huius capitis. Ratio sequitur, quia boni viri nihil contra bonum commune moliuntur.*

Iusta vindicta iniqua seditio non est habenda.

Resp. *Iustissimè (inquit Philosophus) boni viri seditiones excitẽt, sed minimè quidem hoc faciunt; quasi diceret, virtute excellentes viri si à debitis honoribus arceantur, maiore æquitate vim possunt exercere; nolunt tamen, quia boni existentes nôrunt immane scelus esse seditionem excitare, nisi respub. tyrannide oppressa periclitetur, at tum iusta vindicta non iniqua seditio dicitur.*

Vt Cato à prætura.

Opp. *Seditio aliquando bono communi consulit: ergo non est prima causa ac seminarium conuersionum in repub. Antecedens probatur, quia seditionis potentiâ ac manu tyranni sæpè debilitati cadunt, quod est res grata ciuitati.*

Virtus non contendit, quia se contenta.

Vt Pisistratidæ ab Harmodio & Aristogitone.

Resp. *Commotio non seditio est quæ tyrannum tollit, seditio enim est vipera solùm in visceribus ciuitatis, at tyrannis non est ciuitas neq; ciuilis aut iusta administratio, vt anteà probauimus.*

Pol 4. cap. 2.

Opp. *Bellum est licitum: ergo seditio est licita. Antecedens patet, quia bellum est pacis causa. Argumentum tenet, quia seditio sub bello vt minus malum sub maiore latet.*

Sæuæ matris mitis filia.

Resp. *Vt bellum sit licitum requiruntur quatuor, primùm vt authoritate tam principis quàm ciuitatis fiat, tum vt sit iustum, tertiò vt sit publicè edictum, postremò vt sit ad bonum publicum & cõmune destinatum, si sic intelligas antecedens concedimus, si verò vniuersim loquaris pernegamus, nam bellum in genere non est licitum. Præterea ratio non cohæret, & quia in seditione prædicta conditiones*

Belli liciti conditiones quatuor.



*nes desunt, & quia seditio vi suâ non minus malum est quàm bellum, imò eo nomine est maius quòd nunquam ad pacem destinetur; quòd verò pax sequatur, hoc casu fit non causâ; quippè à Mario & Cinna, id est à seditiosis non intenditur.*

## Dubium.

*Vtrùm seditio sit tollenda potiùs quàm per tyrannum deuastetur ciuitas?*

RABIDA & furiosa res est seditio, cuius dente vulnerata ciuitas contabescit citò, cęterùm si fiat edentula eiusdẽ latratus (vt quidam volunt) plurimùm non nocet. Nam vt fures à tectis arcentur sæpè latratu canis: ita tyranni & oppressores rerumpub. strepitu seditionis ab intentis malis propelluntur. Sed nè videar ipsemet mecum colluctari, eodemque spiritu repugnantia dicere, affirmo nomen seditionis mitiùs aliquandò sumi non pro concitato furore ciuium in causa mala, sed pro ardore optimorum hominum qui bonũ commune studeant defendere. Hinc est meo iudicio quòd dicat in textu Philosophus virtute excellentes viros iustissimè seditiones commouere posse. Si possint certè tum possunt cum Roma Cæsaris rabie debilitata languet. Tarquinius superbus pulsus est regno, Cęsar occisus in senatu, vtrumq; factum Philosophantes quidam ciues approbârunt: est ergo toleranda seditio nè Phalaris, Nero & Dionysius regnent. Tres causæ sunt cur potentes tyranni (qui aliter pacari non possunt) seditionis ense tollerentur: prima est quia imperant contra naturam, secunda quia bono communi non consulunt, tertia quia populum nõ secùs quàm vultures suam prædam lacerant & dilaniant: iniustum ergo est eorum imperium ac violenta administratio ciuitatis, quę si lege & consilio sanari non potest, defectionis impetu coerceri debet. Rectè Hyppocrates; In periculosis tẽtandum est cum periculo. Sic enim est in corpore ciuili ac est in humano: sed in humano corpore potiùs breuis & acris dolor ferendus est quàm totius interitus: ergo in corpore ciuili breuis & truculenta tragædia

Vide pol. 4 c. 2.

Seditio nonnulla pro ciuium bonorum ardore habetur.

Bruti seditiosi.

Cur seditione tyranni tollantur causæ tres.

Pol. 5. cap. 10

Hippoc. in aphor.

dia ſuſtinenda eſt potiùs quàm ciuitatis ruina & deuaſtatio. Amara hæc medicina eſt, ſed tum neceſſaria cùm tyrannidis vlcera eò vſque prorepſerint, vt alio modo quàm ferro curari non poſſint. Animaduertendum tamen hic eſt curam iſtã labentis reipub. non à vertigine populi aut vnius cuiuſcunq; affectu dependere, ſed conſilio medicorum hoc eſt ſapientum virorum manu vulneribus ciuitatis debere applicari: tùm quidem ſedatio non ſeditio, turbatio quędam humorum non diſtractio diſtinctioq; ciuium appelletur. Eſt ergo ſeditio hoc modo nomineq; accepta tolerãda, ne crudelis Nero accenſâ Româ exitium Troiæ ad lyram cantet, hoc eſt, ne incurabile monſtrũ tyãnidis Perſico furore ciuitatẽ perdat.

Cautio.

Sueton. in Neron. cap. 38.

Opp. *Quicquid conuellit & ſubuertit ciuitatem non eſt omnino tolerãdum, ſed ſeditio (vt antea in multis locis probatur) conuellit & ſubuertit ciuitatem: ergo ſeditio non eſt omnino toleranda. Præterea demonſtratum eſt ſuperiùs tyrannos ſeditione tollendos non eſſe.*

Pol. 4. cap. 2.

Reſp. *Leniùs hoc loco (vt diximus) nomen ſeditionis ſumitur pro defectione prudentiorum ciuium in cauſa tyrannidis ac oppreſſionis ſolùm, idq; cum aliter reipub. vulnera curari non poſſunt; & ſic accepta ſeditio non conuellit ſed colligit, non ſubuertit ſed conſeruat ciuitatem. Inſuper agnoſcimus ſuprà à nobis demonſtratum eſſe tyrannos ad ſceptrum natos ſeditionis ferro tollendos non eſſe, quippè in illis ſacrum eſt nomen regis: at ſi ſimpliciter tyranni ſint, monſtraque naturæ in patriam fiant, meritò ſuarum partium defectionem ſentiant, ciuiumq; bonorum cenſuram patiantur.*

Simpliciter tyrannus non eſt, qui rex natus eſt. Vindiciæ cõt. tyran. queſt. 3.

Opp. *Arma in principes ſumere non licet: ergo non licet deficere armiſq; à regno eoſdem propulſare, quo dato videtur quòd ſeditio nullo modo ſit toleranda. Præterea cùm ſine grandi periculo fieri non poteſt, ſequitur quòd in ciuitate non ſit omnino concitanda.*

Tyranni vultures, non principes.

Reſp. *Verum eſt quòd arma non ſint ſumenda in principes, ſed tyranni rapaces vultures non veri principes habentur. Ad alteram partem argumenti reſpondeo, quòd ſicut grauis infirmitas corporis negligi non debeat, quia curari aliquando non poteſt ſine periculo vitæ: ita vlcera ciuitatis non ſunt omittenda, quia ſæpe ſanari non poſſunt abſq; reipublicæ magno diſpendio, quod quidem potiùs ferendũ eſt quàm vt totius ſequatur naufragium.*

CAP.



## CAP. II.

*Vtrùm vlla ſit propenſio humanæ naturæ ad mutationem rerumpublicarum?*

EXCELLIT ORDO quem in hoc libro perutili ſequitur Ariſt. nam factâ diuiſione in duas primarias partes, primùm de cauſis euertentibus & conſeruantibus rempub. in qua plures; deinceps de cauſis euertentibus & conſeruantibus reipub. in qua vnus dominatur, differit. Sed quoniam (vt eſt in prouerbio) mala cognita faciliùs euitantur, primùm zizania & nigra quaſi ſemina ſeditionis, tum cauſas & fundamenta conſeruationis graphicè & cumulatè deſcribit. Poſtquam ergo oſtenderit generatim diſceſſum populi à iuſto & æquali, omnis conuerſionis & retrogradi quaſi motus in ciuitate caput & initium eſſe, nunc alias cauſas ſeditionis ſed adhuc generales tradit: in quibus tria potiſſimùm conſideranda proponit, affectionem nempè eorum qui ſeditionem mouent, res de quibus litigant & contendunt, modos & rationes quibus hoc ſuum negotium tam pernicioſè demùm conficiunt. Sed quoniam in hoc capite breuis admodum eſt Ariſtoteles ſummatim delineabo ſingula. Affectio ergo eorum, qui igniculos ſeditionis alunt, eſt tumida philautia, & ſiticuloſa dominandi libido, quæ animos malorum ciuium tædio ſuæ ſortis ac conditionis ita exulcerat, vt à cõmuni ſocietate cõtinuò diſſiliant: cùm enim caninus iſte appetitus ſemel ſtomachos perditorũ ciuium inuaſerit, dici certè non poteſt, quantas flãmas bilis conceperit, quibus ſi fomites inuidię addas, mirum non eſt ſi tecta excelſa ciuitatis ardeant, ſi alta & glorioſa imperia cadant: cauſa ergo prima ſeditionis eſt elatio animi, quâ faſcinati mortales in ſui ipſorũ amore (vt olim Narciſſus) miſerè pereunt. Iſti ſunt qui ſe altiùs cum Icaro efferentes, & in curru veluti ſolis temerè volantes ſe poſſe omnia cum nihil poſſunt, ſibi deberi omnia cũ debentur nulla, otioſè ſõniant.

In Seditione conſideranda ſunt tria.

Primò affectio ſeditioſorum.

Ouid. Metam. 3. 8. 2.

Altera

Secundò, res, de quibus litigant, vt

Altera nunc consideratio est rerum, pro quibus factiosi ciues seditiones mouent: numerantur in textu quatuor, lucrum, honor, hisq; contraria, nempè damnum & ignominia, quibus si magistratuum negligentiam, abiectionem animi, morumq; dissimilitudinem addas, septem de quibus in fine capitis loquitur Philosophus generatim efficies. De horum singulis ordine quid dicam? Cùm omnes & singuli videant sub istis motum ciuilis (vt ita loquar) trepidationis occultari; Nam quid aliud est lucrum quàm fomes? Quid honor quàm seges contentionis? Rectè Poeta. Auri sacra fames; cui illud respondet, Itum est in viscera terræ, Effodiuntur opes irritamenta malorum. Attamen sic canunt ciues. Lucri bonus odor ex re qualibet, quod si non consequantur, tumultuantur nec non moliuntur insidias. Honorem sæpè definiuimus escam ambitionis qua capimur & suffocamur incauti, hoc negato Cæsar in patriam sua arma vertit. Damnum & ignominia stimuli sunt ad æstum & excandescentiam animi, perpauci enim vel potiùs nulli aut facultatum iacturam, aut sui contemptum æquis animis ferunt. Postremò quid magis vrget ciues ad seditionem quàm incuria magistratus? Quid magistratum magis in contemptum & odiũ rapit quàm abiectio mentis morumq; à suis ciuibus dissimilitudo? Sed de his iterum in suis locis, nunc ergo ad quæstionem venio, quę est, An vlla sit propensio humanę naturæ ad mutationem rerumpub. Non est sine causa proculdubio, quòd in primis hîc suadeat Philosophus, spectandum esse quo modo à natura afficiantur ciues, quipppe seditio nidum suum in sinu naturæ habet, pullosq; sæuos ex ea nonnunquam gignit. Nam etsi vniuersalis natura non erret; monstrum tamen particularis naturæ erratum dicitur: pari modo etsi homo vi naturæ imperio rationis subditus iustam & tranquillam reipub. administrationem requirat: est tamen in eo motus & propensio quædam ad nouitatem rerum, vnde vertigo nonnunquam maximarum ciuitatum non sine magno periculo appetentium nascitur. Quòd verò ista ad mutationem procliuitas in vtero naturę concepta sit, hinc liquidò constat, quia à primis fontibus

Lucrum. Virg. Æneid 1. Ouid. Metã. 1. Sueto. in Vespas. cap. 23. Quærenda pecunia primùm Virtus post nummos. Horat. Sat. l. 2.

Honor.

Damnum.

Ignominia.

Tertiò, Negligentia, Pusillanimitas, Dissimilitudo morum.

Quæstio.

Arist phys. 2.



fontibus humani generis infirmitatem rationis hausimus, quæ quidem infirmitas insolens & superba est, cui insatiabilis rerum nouarum cupiditas adiungitur: hinc illud, Mens humana nouitatis auida; quod si verum sit, quis non videt hunc mutationis appetitum ab ipsa natura suas vires petere? Insuper vt vniuersa natura varietate: ita vel maximè natura humana nouitate delectatur. Vt ergo illa perpetuam mutationem & vicissitudinem rerum desiderat: ita hęc nunquam suâ sorte contenta nouas pilas rotasq; fortunæ vertit: est enim flexibilis voluntas hominis, iuxta illud poetæ,

*Romæ Tibur amo ventosus, Tibure Romam.*

Horatius epi. 8. lib. 1.

Porrò cum ratio per tot quasi cancellos corporis res externas videat, cum mens quæ est lumen animi appetitu, affectu, sensu depressa plurimùm cæcutiat, necesse est vt eodem plerumq; modo afficiamur quo isti famuli intellectus, at nihil istis placet quod non est nouum, grata ergo est multiplex conuersio rerum quæ nouitatem parit. Ab exemplis hoc ipsum probo; nam quid pulso Tarquinio monarchiam in aristocratiam apud Romanos transtulit? nonne bellicosę gentis natura? quid aristocratiam apud Iudæos in regnum, regnũq; tandem in anarchiam? nonnè leuitas & inconstantia naturę? Nero optimè à Seneca instructus & educatus fuit, regnũ tamen in tyrannidem mutauit, solùm vt opinor instinctu motuque naturæ: vetus est illud,

*Naturam expellas furcâ licet, vsq; recurret.*

Horatius Epist lib. 1.

Et sanè permulti ciues ad mutationem rerumpub. non ad conseruationem nati sunt, qui rarissimè consilio aut pœnis reuocantur: apprimè ergo vtile est quod hîc præcipit & præscribit Arist. vt mores ciuium ac propensiones ad hoc malũ diligenter trutinemus, nam hæc naturę contagio pestem seditionis in angulis ciuitatis spargit. Huc addi potest quòd natura istam infectionem appetendæ mutationis à loco nõ aliter quàm homines pestem ab aere aliquando trahunt. Hinc olim Scythę & Persę suam barbariam à climate in quo viuunt suxisse dicũtur, & sanè frequẽter hoc cõtingit vt ipsa natura ciuium locũ in quo degũt plurimũ sequatur; dat enim

Timon de Alcibiade.

Locus naturam afficit. Vide. Pol. 2. c. 8. lib. 7. cap. 7. Hippoc. l. de aere & aqua. Alexandria Ægypti fato seditiosa. Marcel. lib. 23.

vt

vt pater sic patria cuiq; ortus initiũ & causã: si ergo locus ad mutationẽ rerũ ciuium animos inclinet, natura ciuiũ eò magis est coercenda nè ad rabiẽ seditionis suas vires intendat.

Distinctio.

In seditionibus considerandasunt
- Affectio ciuiũ, respectu
  - Æqualitatis.
  - Inæqualitatis.
- Materia seditionis generatim, vt
  - Lucrum, cui damnum opponitur.
  - Honor, cui ignominia opponitur.
  - Negligentia.
  - Patuitas animi.
  - Dissimilitudo morum.
- Modus, quo facta est seditio & commutatio ciuitatum, hinc quæstio de propensione naturæ ad conuersionem oritur; quæ satis apertè demonstrata tabulâ non eget.

Opp. *Generales causæ seditionis in primo capite attinguntur: ergo otiosè in hoc, itidemq; in tertio easdem nunc repetit Philosophus.*

Resp. *Ratio non tenet, cum diuerso respectu in singulis his locis discutiuntur: nam in primo capite easdem ad radicem primamq; cõuersionum causam refert, in 2. easdem cum suis contrarijs cõparat, in 3. earum exempla cum alijs adiectis seditionis causis demonstrat.*

Pol.3.cap.3. lib.2.cap.1.

Opp. *Dissimilitudo est causa conseruationis: ergo malè hoc loco causa seditionis assignatur. Antecedens patet in 3. libro, vbi probat Aristoteles ciuitatem constitui debere ex dissimilibus.*

Dissimilitudo alia morum, alia officiorũ.

Resp. *Dissimilitudo hîc morum ac volũtatum, at in 3. libro officiorum ac facultatum dissimilitudo intelligitur; illa labefactat, hæc conseruat ciuitatem.*

Opp. *Bona fortunæ ad politicum statum sunt necessaria: ergo lucrum, quod est fœtus fortunæ, est necessarium: quo dato, sequitur lucrum non esse causam seditionis.*

Resp. *Nõ lucrũ sed insatiabilẽ lucrandi diuitiarũ sitim aucupiũq; hominũ cõmutationis causã in ciuitate esse affirmat Philosophus: Idem de honore, libertate, genere, aliisq; rebus dicendum est.*

Opp. contra quæstionem.

Opp. *Seditio humanam naturã (quæ est compos societatis) penitùs conuellit: ergo ad eam in homine nõ est naturalis dispositio. Antecedẽs patet, quia nihil magis distrahit hominem ab imperio rationis quã discordia, nihil humanitatẽ magis cõfũdit quã seditio. Argumẽtũ probatur, quia si ad seditionẽ tenderet sibimet omninò esset infesta.*

Resp.



Resp. *Diximus antea hoc monstrum seditionis non in tota & vniuersali naturâ omnium, sed in particulari affectione quorundam generari: illos autem hic intelligimus qui magis affectum quàm rationem, magis sensum quàm mentem & intellectũ sequuntur. Huc quoq; referri possunt illi qui sub aspectu Saturni, Martis, aliorumq; siderum (quæ ad seditionem homines inclinant) nati sunt.*

Opp. *Qui viuunt secundùm appetitum aut sensum vitam belluarum non humanam viuunt, vt testis est Arist. in vltimo capite decimi libri Ethicorũ: non ergo videtur humana natura esse propensa ad commutationem, quippe humana natura in mente & sapientia vt illic docet, non in sensu aut appetitu ponitur.*

Resp. *Natura humana consideratur aut vt est absoluta, quæ rarissimè apparet; aut vt est infirma & imperfecta, quæ communiter multis contingit, & sic mens cum appetitu sensuq; connecta vnam naturam humanã efficit, quæ sæpè corrupta mutatione rerũ mirificè delectatur.*

## CAP. III.

*Vtrùm causæ seditionis rectè assignentur?*

VT olim Zeuxis in Helena pingenda sparsas & singulas decẽ virginũ partes pulchriores in vnã tabellã coegit demùm, vt excellens & diuinum opus penicilli magis eluceret: ita Arist. seditionis membra diuisim tractata in vnum iam locum trahit, vt mõstri horribilis species tanti viri arte descripta omnium animos ad studium pacis commoueat, recensẽt hîc ergo 13. seditionis causas, quæ fibris inter se cohærentes carybdim rerumpublicarum efficiunt; hæ sunt vt ordine dicam, iniuria, anaritia, honor, excellentia, metus, contemptus, excessus rerum, fortuna, discordia, otium, paruę occasiones, dissimilitudo, & locus. Iniuria (vt de singulis suo loco disputem) est iniusta læsio ciuis, quam nemo (teste Philosopho) nisi inuitus patitur; qui ergo istius aculeos aut per nominis aut per rerum priuatarum damnum & iacturam sentiunt, facilè acuuntur in eos qui illis iniustè nocent. Impatiens enim est natura humana damni, vimq;

13. Seditionis causæ.
1. Iniuria.

Liu.dec.1.l.3

vimq; iniuriæ non potest concoquere: si ergo Appij Romani contumeliosiùs cum populo agant, cauere oportet nè ex aristocratia democratiam faciant:quippe fixa non est ciuitatis anchora,in qua multitudo vulneratur iniuriâ;qui ergo velint seditionis neruos discindi,necesse est vt ab iniurijs & oppressionibus populi mentes manusq; detineant: nam nihil magis vrget ad factionem quàm iniuria, nihil vehementiùs vrit quàm oppressio. Auaritia quæ est secunda radix seditionis est inextinguibilis sitis & appetitus rerum quâ veluti febricitantes magistratus ad omne sterquilinium fortunæ fordidè rapiuntur;istâ omnium vitiorum fęce contaminati principes à suis ciuibus indigni semper imperio iudicantur:hinc liquefactum aurum suffocauit Crassum, stygium tormentum cruciauit Tantalum, nomen asini vulnerauit Mydam, quid multis? ciuitas tuta non est in qua auaritia regnat. Honor verus est præmium fælicitatis, falsus verò nihil aliud est quàm risus fortunę & inanis strepitus multitudinis;huius flatu permulti sic tument, vt omnes præ se insolenter contemnant,perpauci sunt qui istius voce & nomine non delectantur,nulli penè sunt qui vmbram honoris fugiunt,à quo si vel latum(vt aiunt)vnguem coacti discesserint,continuò in maniam aut phrenesin incitantur : nihil ergo truculentiorẽ scenam in repub.edit quàm iniusta honoris possessio, nihil maiorem luctum efficit quàm dedecoris metus & ignominia; circumspice si placet & intuere imperiorum stadia, ô quantas tragædias honorum excitauit ambitio? Excellentia quæ quartum seditionis ouum conficit,est eminens & insignis vnius aut paucorum præ alijs omnibus in ciuitate potentia, vndè(vt inquit Philosophus) monarchia aut dynastia enasci solet:hanc(vt ita loquar) omnipotentiam olim Argi, Athenienses, Romani, Carthaginenses,tam capitali odio prosecuti sunt,vt Herculem,Themistoclem, Scipionem & Hãnibalem præcellentes viros ostracismo testâq; exulum denigrarint : sed hoc malum suadente Philosopho nascens opprimi & coerceti debet nè inueteratum(vt ait Cicero)robustius fiat.Metus quinta exitit seditionis causa, qui hoc loco definitur

Eth.l.1.ca.12. 3. Honor.

2.Auaritia.

4.Excellentia.

Pol 3.c.9.Plut in Them. Scip.& Annib. Cic.Philip.5. 5. Metus. Cic.Tusc. quæst.lib.4.



definitur expectatio futuri mali : hoc animi motu perculsi, qui iniurias fecerint, nè dent pœnas aut ipsi Talionis legem patiãtur,flabella seditionis fiunt:sic antiquitùs in insula Rhodo nobiles, qui iuguni populo iniecerunt, metuentes vtiq; nè iustè affligerentur seditiosa arma in populũ susceperunt; vetus est illud,Odium est vmbra metus, at ex odio seditio nascitur: ergo ex metu. Sexta causa seditionis contemptus est,qui definiri potest supercilios quędam reiectio & indignatio ciuium, qui putant non minus se demereri quàm qui in arce ciuitatis sedent : Istius carbone notari abhorret humana natura,quippè libera cum sit,sui potiùs interitũ quàm contemptum patietur. Carthago superba illa ciuitas propter vnius legati contemptum deleta est:Thebana,Megarensis & Syracusana amplissimæ olim ciuitates contemptu fractę (vt hìc docet Philosophus) conciderunt. Incrementum septimo iam loco positum est monstrosa & vltra modum diuitiarum augmentatio, quæ non aliter ad aurum seditiosos, quàm fames ad prædam leones mouet. Quarè sicut corpus secundùm proportionem augeri debet, vt partes concinnitatem & consensum habeant:ita si in repub. ciues conspirare velint,modum accumulandi opes & potentiam obseruari decet. Nam aliter vt corpus in alterius animantis figuram vertitur:ita respublica in aliam administrationis formam facilè commutatur.Octaua fax seditionis est fortuna, quæ hìc incerta & occulta calamitatis causa definitur.Huius vulnus olim Tarentini,Argiui & Athenienses periculosè senserunt, vt hìc docet Philosophus, quorum nobiles fortuitò extincti non solùm sui sed eitam suarum ciuitatum calamitas extitêre.Cęca profectò est rerum humanarũ domina fortuna,quę ludens,Assyriorum,Persarum,Gręcorum,& iam etiam propemodùm Romanorum imperia in puluerem,penè dixeram in nihilum commutauit; cæcam fortunam causam appello, non quòd quicquam fiat sine prouidentia dei qui ortum & occasum imperatorum videt, sed quia ignota hæc causa est cur Alexandri veneno, hoc est cur monarchiæ & eorũ scepta occultis modis tollantur. Est ergo fortuna causa quædam

Sic Romæ Catilinar.

6.Contemp.

Liui.dec.3. lib.1.

7.Incrementũ.

Pol.3. c.9.

8.Fortuna.

Prouidentiâ Dei omnia fiunt.

9. Discordia. dam mutationis, si ignorantiam humanam, at nullo modo si prouidentiam diuinam spectes. Nonam seditionis causam nempe discordiam addit Philosophus, quę est de rebus leuioribus ciuium inter ciues inuidiosa contentio: Hęc inquit aliquandò efficit vt democratiæ, in quibus multi locupletes fiant, in oligarchias seu paucorum potentias migrent; diuites enim ægrè ferunt vt pauperes sibi in libertate imperij adæquentur. Huc etiam verecundia, quæ est indignitas magistratus, referri potest; cùm non iudicio sed sorte sartores & sutores sęcesq; populi in magistratum sumuntur, vt in Heręa alijsq; liberis ciuitatibus, in quibus nonnunquam simiæ non opes ingenij sed sordes & nates ab altis sedibus in officio produnt, sicut olim Piso temulentus in senatu fecit, & sicut hodie heu nimis multi passim & vbiq; faciunt. Decima nunc causa mutationis nimirum incuria & negligentia sequitur, quæ est in officio laboris tædium & oscitantia magistratus, qui oculum in summitate sceptri vigilantem non habet; hoc modo contingit vt vulpes & astuti homines alieno animo à repub. exulantes in reipub. viscera se insinuent, eademq; potiti voto lacerent & dilanient. Hac occasione vt opinor Israelitæ optarunt regẽ, quia iudices & sacerdotes negligenter suum præstiterunt officium, & certè videtur Salomon nimio otio vitæ sepultus regnum in tyrannidem, cultumq; dei in superstitionem commutasse. Rectè Poeta,

Verecundia.

Cic. in Pison. 10. Negligentia.

1. Reg. 8. 5.

*Otium reges, simul & beatas* *Perdidit vrbes.*

Liu. dec 6. l. 9. Scipio Nasica ideo noluit Carthaginem deleri, nè populus Romanus in otio viueret, & sanè ciuitas illa florere non potest in qua bos minoris quàm piscis emitur. Claudius Nero

Liu. dec. 3. l. 3. solitus est dicere Capuam Cannã id est perniciẽ fuisse Hannibali, quippè in ea suos milites meretriculis, balneis, alijsq; id genus delicijs mancipatos passus est effæminari. Hìc certè iustè & opportunè nosmetipsos christianos accuso, nam nostrâ ipsorum oscitantiâ & incuriâ augustissima imperia magna olim religionis ac pietatis lumina extincta iacent; vbi sunt Rhodus & Christiani proceres? vbi inquam sunt qui ad sacrum bellũ destinati mœnia Sion & Ierusalẽ hoc, est Christi

Ioãnitæ Melienses.



sti ecclesiã contra Persas & Turcas tuerentur? O Christe vestem tuam diuisimus & nosmetipsi inter nos diuisi sumus. Vndecimum locum inter seditionis causas paruæ occasiones habent, quę sunt res vt primâ specie apparent parui momenti, cæterùm si oscitantiùs aut negligentiùs tractẽtur, ciuitatẽ in magnũ periculũ & discrimen vocant. Nã vt multis arenis nauis immergitur, vt bos culicum multitudine suffocatur, ita rebus minimis ac tricis neglectis magna nonnunquam euertuntur imperia. Sapienter Hippocrates, Nihil cõtemne, nam nihil paruum est: pustula sæpè in peracutũ morbum, res parui ponderis in grande discrimen migrant: nõ est ergo in leuiculis scelerũ occasionibus extirpandis morandũ,

11. Leuiculæ occasiones.

*Nam mora dat vires, teneras mora percoquit vuas;*
*Et validas segetes, quod fuit herba. facit.*

Ouid. de rem. amor. lib 1.

Res parua inprimis videbatur Romanis tribunos plebis instituere, sed hæc libertas licentiâ factâ lumen consulum obscurasse dicitur; hoc ipsũ in textu declarat Philosophus Ambrasiorum exemplo, qui primùm homines paruo cẽsu in arces ciuitatis admiserunt, quâ semel patefactâ viâ multi nullius census carnifices rapiebãt imperium. Penultima seditionis causa est dissimilitudo morum, quæ hoc loco diuersa factorum & natorum ciuium affectio & dispositio dicitur; hęc certè inter cęteras maxima causa conuersionis est. Nã vt nihil citiùs corpus humanũ inficit quã pestilentiũ vaporũ cum innatis humoribus copulatio: ita nihil velociùs corrũpit ciuitatẽ quàm peregrinorũ hominũ admissio, in qua contagio & venenũ latet; hoc probat Philosophus multis exemplis, de quibus in dubitatione huius capitis plura dicemus. Postrema nunc causa sequitur, nẽpe locus, qui hìc non tã pro situ q̃ pro influẽtia cœli sumitur, nã sic in loco mutãdi mores vis magna inest: hinc gẽtes sub Marte bellicosę, sub Mercurio leues, sub Ioue fortunatę, sub alijs virtutibus cœli alijs affectę moribus ac modis dicuntur. Est quoq; in situ loci motus quidã & fomes quo sępè incitamur ad mutationẽ, sic teste Arist. Athen. magis populares erant qui in Piræeo, q̃ qui in vrbe habitarunt: vastitate suâ cõfusa Babyl. interitũ sui & ruinã vidit.

12. Dissimilitudo morum. Scita similitudo contra peregrinos.

13. Locus. Vide. Galen. l. an mores animi sequantur temperaturam corporis.

Distinctio. Causæ seditionis sunt aut
- Primariæ, vt iniustitia & inæqualitas, quæ omnis mutationis fundamenta ponuntur in cap. primo huius libri.
- Minus primariæ, & hæ sunt aut
  - Generales, vt honor cui ignominia, lucrum cui damnum opponitur.
  - Speciales, quæ in hoc capite à nobis distinctè explicantur.

Opp. *Multò plures sunt causæ seditionis quàm quæ hic enumerantur: ergo minùs accuratè instituitur hæc de causis disputatio.*

Alia seditionis fomenta.

*Antecedens patet inductione fraudis, oppressionis, licentiæ vitæ, famis, religionis, & his plurimorũ similium, quæ videntur non minùs animos ciuiũ vulnerare quàm illa quæ hîc à Philosopho recensentur.*

Resp. *Fraus & oppressio media sunt nõ materia seditionis, vt posteà docet Philosophus, reliqua verò quæ enumeras ad priora reduci ac reuocari possunt, vt licentia vitæ ad oscitantiam & incuriã magistratus, religio ad excellentiam, de qua satis iam modò diximus.*

Opp. *Multa inter hæc, quæ numerantur vt causæ seditionis, nullius mali saporem habent: ergo tanti mali causæ haberi non possunt.*

Adiaphora.

*Antecedens patet de honore, excellentiâ, libertate & loco, quæ omnia necessarium vsum in ciuitate habent. Ratio tenet, quia vt radice existente bonâ malus fructus, ita causâ existente iustâ monstrosus effectus (qualis est seditio) nasci non potest.*

Resp. *Honor, excellentia, libertas & locus ponuntur conuersionum causæ, non quòd hæc per se sint mala, sed quòd in illis sit esca mali ad quam factiosi ciues contendunt & rapiuntur. Virtutis comes (vt aiunt) inuidia est, honoris custos plerumq; metus, res optimæ nonnunquam malus vmbras habent, non quòd in rebus ipsis sit corruptio sed quòd in hominibus malis sit pernicioſa affectio, quæ bona fortuna in vsum malum vertit.*

Honor excellentia, libertas bonis bona, malis mala.

*Vt ergo sol dulcem odorem ex rosa, fætorẽ malum ex sterquilinio elicit: ita honor, virtus, libertas, studioſis & bonis viris rempub. conseruandi, malis verò & factioſis euertendi occasionem præbent. Respondeo ergo nec ex bona radice malum fructum, nec ex bona causa malum effectum per se & vi sua generari, fieri tamen potest vt fortuito & casu mõstrum ab ipsa natura suum ortum trahat.*

Opp. *Locus est principium conseruandi: ergo causa seditionis nõ est. Antecedens probatur authoritate Porphyrij & Arist. qui conseruationem rerum ipsi loco attribuunt.*

Resp.



Resp. *Res quælibet in suo loco tuta est secundùm Philosophos, at hîc locus causa dicitur seditionis, vel quia aliquando malis siderum aspectibus subijcitur, vel quia mari terraq; cinctus seditioſis arma porrigere videatur.*

Opp. *Tempus in libris Physicis causa corruptionis ac vicissitudinis rerum omnium dicitur: sed tempus hîc inter causas conuersionum non recensetur: ergo omnes causæ non assignantur.*

Resp. *Tempus ad paruas occasiones referri potest, nam in tempore minor quàm in loco causa seditionis latet: quare etsi tempus sit dimensio motus in quo res omnes mortales periodum & terminum existentiæ vident, causa tamen non est in tempore quod fluit, sed in ipsa materia quæ causam in se corruptionis habet.* Phyſ. lib. 4.

## Dubium.

*Vtrum periculoſa sit in rempub. peregrinorum admiſsio?*

PERICVLOSVM est angues in sinum & peregrinos in vrbem sumere: nam vt illi calore recreati mordent, ita hij libertate donati ciuitatem perdunt. Hinc illud in textu. Qui inquilinos aut aduenas recipiunt in ciuitatem, hij ferè omnes aut certè plurimi seditionibus conflictantur. Sed vt hoc ipsum argumentis probem, consideremus quamlibet gentem quæ proprios suos mores & ceremonias habet, si ergo alterius gentis populus in aliam ciuitatem migret, sedem nõ animum mutari dicimus. Iuxta illud Horatij,

*Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt.* Horat. lib. 1. epiſt. 9.

Hoc dato sequitur (meo quidem iudicio) grande periculum, ne receptis peregrinis antiqui mores ac leges in nouos ac peregrinos commutentur: sed quid citiùs parit seditionem quàm legum morumque mutatio? Quid ergo periculoſius quàm peregrinorum in ciuitatem admiſsio? Præterea quorsum natura pares se cũ paribus congregare docuit, si alienis moribus homines in ciuitatem traheret? Non vult natura vt oues cum lupis, non vult prudentia vt ciues cum peregrinis socientur: Philosophia enim hoc suadet, quòd contraria in eodem non possunt cohabitare loco: at peregrini maxima ex parte infesti sunt ciuibus quibuscum versantur. Huc adde quòd sicut locustæ segeti sunt, ita sunt aduenę ciuitati: nam Cicer. de amicit.

vt illę vaſtant & conſumunt granũ ſegetis:ita hij fructũ ciui. tatis vorant: quippè etſi rami ſint eiuſdem plantæ, à radice tamen non ſalutarẽ ſuccum ſed venenũ hauriunt, quo tandẽ infecta tota planta cadit. Domeſtica exẽpla taceo, quæ ſunt apud Ariſtotelem pauciſſimis demonſtrabo. Cum Trẹzenijs olim Achiui Sybarim auguſtiſſimam ciuitatem coluerunt, qui tandem in numerum immenſum aucti Trẹzenios Sybari eiecerunt, vnde (vt inquit Philoſophus) ſcelus Sybariticum natum eſt. Idem Thurijs fecerunt Sybaritæ contra illos qui ſe humaniter receperunt, aduenæ Byſantij ciuibus inſidias ſtruxerunt, ſed prælio ſuperati ceciderunt: Antiſſæi exules ex Chio ſuſceptos tandem armis eijcere coacti ſunt: Apolloniatæ, qui in ponto Euxino habitant, peregrinorum ſeditione ſunt agitati: Syracuſani in ſuum malum ſeditioſos hoſpites ſuſceperunt. Amphipolitę receptis Chalcidenſium colonis à patrijs ſedibus pellebantur. Sed quid in iſtis externis hæreo? Nonnè populum Dei admiſſi hoſpites vt ſentes & ſpinæ vulnerarunt? certum eſt Salamonem peregrinis fæminis in idolatriam incidiſſe. Hiſpani meo iudicio non iniuſtè ſeditioſos Iudæos à ſuis finibus expulerunt; propiùs non accedo, ſed Chriſtum oro nè peregrinorum turbâ immanis turbo in ciuitate fiat.

Sic Geneuæ Perinno duce. Bez. in Caluini vit.

3.Reg.11.

Philoxenia laudata. Deut.10.19. Rom.12.13. Heb.13.2. 1.Pet.4.9. Geneſeos.18. & 19.

Opp. *Vox Dei & virtus iubent vt peregrini in ciuitatẽ recipiantur: ergo iniquum eſt idipſum prohibere. Antecedens patet ex multis locis vbi expreſſè mandatur vt hoſpitales ſimus, & quis ignorat Abrahamũ fratremq; Loth angelos in ſua hoſpitia ſub nomine peregrinorum recepiſſe? Quod virtus iubeat manifeſtum quoq; eſt, cum in recipiendis peregrinis liberalitatis & magnificentia lumen maximè appareat, vt docent omnes Philoſophi.*

Peregrinus hoſpitio non ciuitate donandus.

Reſp. *Abſit hîc doceamus hoſpitiorum fores occludendas eſſe, id enim omnium minimè debere cenſemus fieri: hoc ergo eſt quod ſuademus, vt peregrini ſenatus, iudicij, imperij participes non fiant: vt eorum numerus & vires vltra modum non creſcant, ſi tamẽ aut pietatis aut alterius rei honeſtæ cauſsà patriam deſerant, & in ciuitatem alterius gentis coacti veniant, optamus vt honorificè accipiantur, omniq; humanitatis officio tractentur. Nam cœlum cœli*



*cœli domino, terram autem dedit filijs hominum.*

Opp. *Iuſtè & politicè aliquando ciuitates inire poſſunt affinitatis fœdera, vt ſanguine coniunctæ firmiores fiant: ſicut Romani cum Sabinis, Galli cum Francis, nos cum Normandis: ſed abſurdum eſt participationem illis negare: ergo fieri poteſt vt peregrini ad participationem ciuitatis admittantur.*

Reſp. *Vnio maximorum imperiorũ rariſſima eſſe debet, nam eſt admodum periculoſa: at ſi aliquando fiat, negamus tum quidem, qui recipiuntur, peregrinos eſſe; nam coniunctio ſanguinis libertatẽ ciuitatis dedit. Vt enim ſurculus in plantã alterius generis inſertus, ita populus in alterius gentis ciuitatem aſcitus partis naturam habet.*

## CAP. IIII.

*Vtrum nobilium factio ſit maxima peſtis in ciuitate?*

DONATO viro perdocto placet, quòd aliæ tres cauſæ ſeditionis in hoc cap. tradantur ab Ariſt. ſed tanti viri pace exiſtimo vndecimam ſuperiùs allatã cauſam (in qua paruas occaſiones ponit) fuſiùs hîc demonſtrari, nã ſic ait Philoſophus: Oriuntur ſeditiones « nõ de paruis rebus ſed ex paruis, diſ- « ſident enim & ſeditiones excitant « homines de rebus magnis, hoc eſt quaſi diceret, res paruę nõ ſunt cauſæ ſeditionis, donec vires & augmentũ quærant. Sed nè longiùs euagetur oratio, hoc caput in duas ſecatur partes, in prima nobilium ſeditionem maximè timendam citiſſimeq; curandam eſſe, in ſecunda vim & fraudem veluti dextrã & ſiniſtrã ſeditionum eſſe oſtendit: ex prima hanc quæſtionem mouco, vtrũ nobiliũ factio ſit maxima peſtis in ciuitate? Vix dubia res eſt de qua nunc loquimur, verũ quoniam monſtra noſtrorum temporum paradoxum illud defendunt, factiones inter ſummos principeſq; viros nutriendos eſſe, operępretium me facturum puto, ſi hîc cum Ariſt. paucis oſtendero diuiſionem procerum eſſe ruinam ciuitatũ: & vt à definitione incipiam, quid aliud eſt nobilitatis ſeditio quàm (vt ita loquar) paralyſis & diſſolutio totius ciuitatis?

Cap. diuiſio.

Factio nobilium, Rebellio ſubditorum. Anti-Macch. comment.3. theor.30. Florentini. Macch.de prin.cap.20. Nobilium ſeditio paralyſis ciuitatis.

Vt Marij & Syllæ, Pomp. & Cæsaris, Anto. & Augusti factiones.

Nam vt principijs neruorum malè affectis singulæ partes totius corporis tremunt: ita primarijs viris inter se diuisis necesse est vt omnes ciues in varias factiones distrahantur; sequuntur enim oues pastores suos, suosque duces & nobiles multitudo; si insaniant capita mirum non est si reliquæ partes corporis sint instrumenta furoris. Hoc probat Arist. multis & copiosis exemplis, quorum primum est de duobus Syracusanis iuuenibus magistratũ gerentibus, inter quos de re amatoria orta est dissensio: Altero enim absente, alter eiusdem delicias ad se pellexit, ille autem reuersus cõtrà eius vxorẽ induxit vt ad se veniret, ambo irati classicũ canunt, seditionẽ mouent, furit populus, perit ciuitas. Quapropter (inquit Philosophus) istiusmodi offensionibus nascentibus adhibenda cautio est, nec non citò potentium discordiæ componendæ. Rationem addit in textu, quia nobilium seditiones totam ciuitatem contagionibus malorum contaminatam in eandem fraudem trahunt, & quid hoc aliud est quod iam docemus? Vult Arist. seditionẽ nobilium esse sepulchrũ ciuitatis, idipsum volumus, optat vt citò vel minimæ inter illos tollantur discordiæ, idipsum peroptamus. Nam vt parua affectio in prȩcordijs animantis magnam in reliquis mẽbris alterationẽ facit: ita in summis viris (qui sunt veluti præcordia ciuitatis) minima contentio, inter ciues maximam seditionem parit. Alia permulta exempla in hunc finem à Philosopho adducũtur, quæ cum sint luce in textu clariora, breuitati iã studens libenter prætermitto, hortor tamẽ candidatos eadẽ perlegere, vt ad nostrorum temporum vlcera accõmodentur medicinæ. Insinuantur enim in illis ni fallor duæ inter nobiles seditionũ causę; falsũ oraculũ, & licentia vitę. O q̃ multi nobiles fallacibus oraculis decepti pericula adeunt! quã multi Paridis exẽplo faces Helenę in ciuitatẽ ferũt! Tarquinij insanus amor seditionẽ fecit, Antonij voluptas Cleop. & Aegypt. magna miseria fuit, nec mirũ sanè, nã arma furoris cęca voluptas habet: ex his iã cõstat nobiliũ inter se dissidia esse quasi deorũ fulmina, quibus subitò, si non extinguas, tota deuastetur ciuitas: si plures rationes quæras, sic punctis

Et cap. 8.

Vt inter familias Eboracẽsem & Lancastriam.

Vt Romæ Lentulus. Sal. Liuius. 1. decadis. 1. Plut in Anton. Rat. 3.



docco, Nobiles sunt columina ciuitatis, ergo si seditionibus distrahantur illi, necesse est vt totũ ædificiũ ruat. Iterũ, Magni & clari viri magnos animos, magnas opes & potentiã habẽt: ergo sine magno ciuitatis dãno & periculo seditiosi non fiunt. Postremò, nobilium vnio in virtute est conseruatio ciuitatis: ergo eorum distractio est eiusdẽ interitus & conuulsio. Sed reuertor ad textũ Philosophi, in quo explanationem duarũ, quas suprà attulit, causarum video, hę sunt excellẽtia & dissimilitudo morũ; illam in paucorũ potentia, democratia, & politia, magnas & crebras efficere alterationes exemplis narrat; hanc in oligarchia tũ solùm cùm diuites pauperibus adȩquentur, mediumq; non sit quo reconciliari possint. Excellentia.

Prioris exempla multa sunt, quę vrgẽt mutationes aliquãdò fieri aut ex parte inuidentiũ, aut ex parte eorũ qui insolentẽ victoriam quærunt, verbi causâ, Themistocli Athenienſium naues lignea ciuitatis mœnia interpretanti fidem senatus dedit, hinc ciuitas nauale bellum parat, populus pugnat, victoriam habet, dux Themist. creatur, seditio ob excellentiã nascitur. Herod. lib 7. Iustin. lib. 2.

Huc alia exempla de Syracusanis, de Chalcidẽsibus, de Ambracianis, quę sequuntur in textu, reuocari possunt. Postrema pars huius cap. nõ de causis sed de modis mutationis instituta est: modi verò duo sunt, vis & dolus, vis per ferrum & flammam, dolus per insidias, axes & rotas ciuitatum vertit; vis tum est cum altera pars alteri plurimùm succumbit, dolus verò cum aut ab initio decepti cogimur postea tolerare imperium, aut cùm ab initio decepti & posteà persuasi idipsum facimus: exemplum prioris modi est de quadringentis viris qui rempublicam olim Athenienſium tenuerunt; isti (vt ferunt annales) cum Lacedæmonij bellum indixerant, callidè mentiti sunt, populoque suaserunt Persarum regem contra Lacedæmonios pecuniam ad bellum suscẽptum suppeditaturum, rudis multitudo cõmento credidit, at suę credulitatis pœnas (vt est in historia) grauissimas tulit, nã hac fraude decepta sub tyrannide istorum sophistarum diutissimè vixit. Istę manus seditionis obtruncandæ sunt, quippè simplex est veritas, quam leones & vulpes fugiunt. Vis

Mutatio reip. fit vel vi, vel dolo.

Iustinus de Alcibiade. l 5.

Cic. de offi. l. 3.

contra naturam est, & vi atrociùs fraudulentia nocet, ictus leonis in quo vis est nos cautos, at morsus aspidis in quo fraus latet magis securos reddit; vtrumque malum, sed peius hoc illo; vtrumque bustum ciuitatis, nam in vtroque est medium seditionis.

## Distinctio.

Duæ sunt partes huius capitis, quarum
- Prima nobilium seditionem maximè periculosam esse ostendit, quia
  - Nobiles sunt veluti capita & columina ciuitatis.
  - Maximos animos, opes & potentiam habent.
  - Vt illorum vnio conseruar, ita illorum seditio ciuitatem perdit.
- Secunda duas manus & modos seditionis comprehendit, nempè
  - Vim.
  - Fraudem.

Opp. *Antea permittitur seditio nobilium potiùs quàm ciuitas deuastetur: ergo malè hoc loco defenditur quòd seditio nobilium sit maxima pestis ciuitatis.*

Resp. *Facilè huic rationi occurritur, nam illic non propriè seditio sed potiùs sceleratorum oppressio & sedatio quædam furoris approbari videtur.*

E malis minus.

Opp. *Furor multitudinis est maius malum quàm seditio nobilitatis: ergo seditio nobilium non est maxima pestis ciuitatis. Antecedens probatur, quia nobiles citiùs rationis imperio, quàm barbara & insana multitudo cedunt: quippè clari & eminentes viri maiorem vsum rationis habent, & turba populi nõ aliter quàm fera & (vt est in prouerbio) hydra multorum capitum perpetuò furit.*

Plebs bellua multiceps. Plut. in Demost.

Arist. in problem.

Resp. *Vis dispersa debilis est, vnita fortis: at multitudo vim dispersam & distractam habet, nam secum plurimùm discordat multitudo: maius ergo malum seditio nobilium quàm populi furor dicitur, non solùm quia vim magis vnitam, sed quia opes & potentiam maiorem nec non malitiam armatam habent.*

### Opp. contra secundam partem capitis.

Opp. *Vis licita est secundùm naturæ legem: ergo seditionis, quæ est contra naturam, non est instrumentum. Antecedens probatur, quia secundùm legem naturæ licet vim vi repellere.*

Cic. pro Milone & Sestio. Vim vi.

Resp. *Vis licita est secundùm naturæ legem non simpliciter & absolutè,*



*absolutè, sed tum solùm cum iniustè vis ac impetus infertur: hæc ratio ergo non sequitur, quia vis aliquando infesta, aliquando amica naturæ dicitur.*

Macch. in Liu. lib. 3. cap. 40. Pol. 4. cap. 12.

Opp. *Stratagemata & sophismata licita sunt: ergo fraus licita est: quo dato sequitur fraudem non esse seditionis comitem ac instrumentum. Antecedens patet antè in politicis. Ratio tenet, quia aliter idem instrumentum esset contrariorum.*

In stratagem. deceptio est, non dolus malus.

Resp. *Vulpina pellis & leonis corium hoc est fraus & furor in nulla bene instituta repub. coniungi debent. Ad rationem igitur respondeo negando omnia, quia etsi stratagemata & sophismata sunt licita; fraus tamen non admittitur, nam in illis solùm deceptio est, non dolus malus. Præterea absurdum non est eadem repugnantibus instrumenta conuenire, vt constat in bonis fortunæ quæ tam bonorum quàm malorum instrumenta existunt.*

## Dubium.

*Vtrum magici eorumq; fautores capitali pœnâ iustè sint plectendi?*

Delphis gesta res.

INTER historias de seditione in textu vna est de nobili quodam cuidam virgini contracto, qui consultis diuinatoribus (nescio quo portento præmonitus) ad sponsam non venit; hoc dedecus affines virginis tanquam contumelioſè tractati ægrè ferentes rebus sacris in locum sacra facientis occultissimè coniectis fautorẽ diuinantis, vt sacrilegũ necuere; hoc factum istorum nõ arguit Philosophus, vndè coniecturã facio illum quodãmodo approbasse. Hinc quæro, An magici eorumq; fautores capitali pœnâ iustè sint plectendi? Qui sunt magici antè in decimoquinto capite quarti libri paucis ostẽdimus, sunt quidem blasphemi sacrilegi, qui volantes in sinum dei quod propriũ deo est, nẽpè omnia præscire flagitiosissimè sibi assumunt; isti natalia fata hominibus, fatalia portenta ciuitatibus, mirabilia secreta omnibus se posse prædicere vbique iactitant, & sanè laribus suis instructi multa mira, miracula verò nulla omnino faciunt, oculum sæpè præstigiatores, at animum sæpè diuinatores fallunt. Simon Magus (vt ferunt) visus est in altum suis ipsius viribus volare, sed Petro orante blasphemus cecidit, & spectante populo animam

mam efflauit: faxit Deus vt istis temporibus non cum ethnicis à veris Christi oraculis ad Delphica præsagia, à tesseris salutis ad magicorum somnia & commẽta fugiamus: sed oblitus mei longior sum quàm oportet, rem igitur in manibus sic

Rationes contra Magicos.

probo. Proditores principum digni sunt capitali pœnâ, ergo magici eorumque fautores penâ maiore, si fieri id potuisset, plectendi. Ratio tenet, quia isti non in mortalem sed in ipsum Deum vi quadam proximè rapiuntur, eiusdemque nomine se agere falsissimè mentiuntur: hinc enim ieiunant, orant, numen inuocant, characteribus salutis se muniunt, aliasque ceremonias exercent, sed quorsum? Certè vt simplices & ignorantes sub specie religionis facinorosè fallant. Alterum

Leuit.20.

argumentum est à testimonio sacræ philosophiæ, quæ ad istos nos conuertere non solùm prohibuit, sed etiam capitali pœnâ sic facientes condemnauit. Postremò à bono ciuitatis hoc ipsum probo. Vtile & salutare est vt capitali pœnâ authores seditionis tollerentur: sed magici & eorum fautores sunt authores seditionis: ergo magici & fautores seditionis capitali pœnâ tollendi. Assumptio huius syllogismi constat, quia magici de conuersionibus rerumpublicarum & de fatis magnorum principum mentiti, statum administrationis perturbant, animosque ciuium distrahunt, & denique vitales quasi spiritus ciuitatis exhauriunt, vt sub Irene & Constantino in Græcia, sub Henrico sexto & Eduardo quarto in Anglia.

Opp. *Qui vtile præstant reipu. pœnâ capitali non sunt tollendi: sed magici & eorum fautores vtile præstant reipub. ergo pœnâ capitali non sunt tollendi. Minor constat, quia multa prædicunt isti Parcariẽ interpretes quæ reipu. scire plurimùm interest, hinc Merlini & Baconis vaticinia pro oraculis apud nos olim habebantur.*

Resp. *Fatendum est multa vera & mira istos prædicere, sed cum plura falsa & periculosa fingant, cumq; modus dicendi sit execrabilis, præstat à diuina prouidentia solùm dependere quàm tam detestabilem scientiam admittere. De Merlino & Bacono nihil dico, quos multi magos non magicos appellant: Baconus doctus, Merlinus somniator fuit.*

Merlinus. Bacon.

Opp.



Opp. *Moyses Propheta Dei hac arte videtur instructus fuisse: ergo illi qui eâdem vtuntur capitali pœnâ non plectendi. Antecedens patet, quia doctus ille in omni arte Ægyptiorum dicitur. Ratio tenet, quia nihil dignum capitali pœnâ in Prophetis fuit.*

Resp. *Moyses non arte magicâ instructus mira vt magici, sed digito Dei directus miracula vt Dei Propheta fecit: instructus fuit omni scientiâ Ægyptiorum, sed non eodem modo, nam illi à dæmone multa, hic verò omnia à Deo didicit: nihil ergo magicos iuuant exempla Moysis, Ioseph, Danielis, quippè hij Dei spiritu inflati abditissima temporum oracula, rerum futurarum vaticinia ediderunt.*

Exod.7.10.

## CAP. V.

*Vtrùm democratia sit maximè obnoxia mutationi?*

PARS hæc secunda est istius libri, in qua particulatim de causis mutationum in vnaquaque reipublicæ forma agit Philosophus, & primùm à democratia seu populari potentia incipit, quæ (vt Plutarchus & Patricius scribunt) huc illuc quasi nauicula sine clauo omni flatu & fluctu fortunæ pellitur; quid enim vulgo mutabilius? Quid populo leuius & inconstantius detur? Rectè Virgilius,

Plut. de trip. politiâ. Patri. de reg. lib.1.tit.3. Polyb.l.6. Æneidos li.2.

*Scinditur incertum studia in contraria vulgus.*

Quarè mirum non est si ista administrandi forma cum Chamęleonte sępissimè mutetur, nam in ea pręter leuitatem populi vnusquisque dignissimum locum vendicat, seque in ampliſſima reipublicæ munera & officia trudit: hinc quæstio, vtrùm democratia sit maximè obnoxia mutationi? Affirmamus esse: causæ sunt temeritas plebis, contrarietas opinionum, rerum ignorantia, odium insitum aduersus nobiles, assentatio ductorum, ijsdẽq; data potestas nimia. Percurram has singulas, sed sequutus Arist. primùm à duabus vltimis initium

Quæstio. Democratiæ mutationis causæ 6.

Assentatio ductorum.

initium sumam, nempè ab assentatione blandorum populi ductorum, & ab eorum nimia potentia data: verba Philosophi hæc sunt, Democratiæ mutantur maximè propter blandorum populi ductorum, leuiumq; concionatorum petulantiam, qui partim locupletes priuatim calumnijs onerantes, eos coire & conspirare faciunt, partim cõmuniter multitudinẽ in eos incitãtes: hinc impetu vtrinq; facto si superetur populus iustissimè à victoribus mutatur status, vt olim in insulis Co. & Rhodiorum, vt etiam Heracleæ, Megaris, & Cumis contigit: nam in quinq; his locis celebrioribus, vt hîc docet Philosophus, democratia (propter eas causas quas diximus) in alias formas translata fuit; sed istos demagogos & assentantes populi ductores anteà descripsimus, si ergo populus imperare velit, caueat ab illis: Nam sapienter Cato,

*Fistula dulce canit, volucrem cum decipit auceps.*

Plut in Antõ. Potestas nimia.

At populus leuis est & Amphionis cytharâ captus citissimè in fraudem pellitur: verbi causâ, Populus Cæsarem odio habuit, Brutumq; & Cassiũ vt deos coluit, at cum dulcis Antonius Cęsaris laudes perorauit, aduersus homicidas populus insaniuit. Sed ad alteram causam mutationis venio, quæ est cum vni vel alteri istorum populi ductorum maior quàm par est conceditur authoritas, vt si fiat dictator, aut dux exercitus, nam tum isti tędâ veluti ambitionis accensi extincto populari statu sibi rapiunt imperium, idemq; in tyrannidẽ crudelem vertũt, sic Pisistratus Athenis, sic Thrasibulus, Cleon,

Pol. 5. cap. 10. Tyranni ex radice tutoria. Plat. pol. 8.

Dionysius, Hiero, Agathocles, Syracusis: quid multa? Sic Periander Ambraciæ, Archilaus in Candia, Polycrates in Samo insula, Decemuiri Romæ & alij sexcenti, qui se ex ducibus exercitus dominos ciuitatis fecerunt: hinc illud politicũ

Axioma tyrannicum.

axioma est. Cuicunq; potestas absoluta exercitus, eidem potestas ciuitatis datur. Caueat ergo populus cui se cõmittat: nam vetus illud est,

Iuuenal.

*Asperius misero nihil est cum surgat in altum.*

Plut. in Sylla. Consensus populi regula Democratiæ.

Ignis in tecto ędificij rarò extinguitur, & Sylla potitus regno sine strage populi non refrenatur: tutum ergo est in populari statu vt magni honores dentur, sed ita vt ad consensũ populi

reuocentur



reuocentur omnia. Tertia causa ruinæ in hac forma est mira leuitas temeritasq; plebis, quæ cæco affectu & furioso quasi impetu in omne obiectũ mutationis rapitur. Sic populus Atheniensis nunc suos tribunos, nunc reges, nunc triginta Ephoros, nũc 400. nobiles & senatores remp. suã capessere & gubernare voluit. Cõcludo igitur hunc statum tãquam Euripum incertis motibus agitari. Contrarietatẽ opinionum (quâ populus vacillat) quid hic describã? certũ est rarissimè aut in

Democratię Euripus. Contrarietas opinionum.

concilijs, aut in iudicijs, aut calculis & electionibus suis sibi constare: fieri ergo non potest quin sic litigantes lupus inuadat: hostis enim vigil est & occasionẽ quærit, at opportunior

Liu. dec. 4. l. 4.

nõ est quã intestina populi cõtentio & ciuilis discordia multitudinis. Quòd ignorantia rerum in populo sit causa mutati-

Ignorantia.

onis, quis est tã imprudens qui non videat? rudis enim & imperita est multitudo, quæ sæpè stultitiâ prodit ciuitatẽ. Plebs Corinthiana stultissimè Romanos legatos stercoris iniectu violauit, at Roma offensa ob id facti augustimã Corinthũ pe-

Strabo. Polyb. Dio. Liui. Cic. pro leg. Man.

nitus deleuit, quod certè nõ feciſſet si populꝰ in legatos calluisset officiũ. Nihil hìc de Psillis populo in Africa circa Syrtes dico, qui austro ventorum vni (vt Sabel scribit) bellum intulerunt. Hæc scribo vt quâta sit ruditas & ignorantia populi quiuis intelligat: non tamen omnẽ multitudinẽ hoc stilo sed

Pol. 3. cap. 7.

agrestiorem partem populi perstringo, est enim (vt ait Philosophus) politior pars quædam multitudinis, est quędã stultior, cui si committatur imperium citissimè in scopulos impinget. His positis id quod est huius quęstionis cardo tandem concludo, nempè democratiam præ cæteris reipub. formis esse maximè interitui & mutationi obnoxiam, nam inter-

Politiarum fundamenta.

liquis (vt postea patebit) firmiora virtutis sunt fundamenta nec non maiora sapientiæ præsidia, quippe in monarchia vnius virtus, in aristocratia optimorum authoritas, in oligarchia diuitum prudentia, in politia totius ciuitatis consilium imperat. Sed vt cum Aristotele breuiter con-

Tres causæ cur mutetur democratia. Vide Plat. 8. & 9. pol.

cludam; summa omnium hæc est, quòd præcipua causa mutationis in democratia sit tribunorum petulantia, quâ quidem nobiles aut diuites vulnerati hunc statum

nunc

nunc in aristocratiam, nunc in paucorum potentiam, & nunc in tyrannidem conuertere & transmutare conantur. Altera verò causa est populi incredulitas, cum maiorem quàm par est autoritatem demagogis suique blandis ductoribus concedit. Postrema est ambitio multitudinis, cum non in aliam speciem, sed in crudeliorem imperandi gradum prorumpit furor, verbi causâ, cum non ex censu aliquo sed ex arbitrio populus magistratus eligit, cuius rei remedium est, vt hîc docet Philosophus, si diuersæ tribus non vniuersus populus viros præfectos & magistratus creent.

Distinctio.

Democratia maximè est subiecta mutationi propter
- Credulitatem nimiam, quam assentatoribus suis præbet.
- Potestatem nimiam, quam eisdem demagogis concedit.
- Temeritatē, quâ in omni ferè actione prodit.
- Ruditatem & crassam ignorantiam rerum, quâ plerumque laborat.
- Contrarietatem opinionum, quâ mirificè distracta fluctuat.
- Simultatem, quam semper cum claris viris & nobilibus gerit.

Opp. *Quo aliquid violētius est, eo magis interitui & mutationi est obnoxium: sed sunt quedā administrationes ciuitatis violētiores democratiâ: ergo sunt quædam administrationes magis interitui & mutationi obnoxiæ quàm democratia. Maior est Philosophi in Physicis, vbi docet quòd nullum violentum sit diuturnum. Minor patet, quia in tyrannide in qua vnus Nero, quàm in oligarchia in qua multi Nerones & tyranni præsunt, maior vis & furor inest.*

Resp. *Primum dicimus tyrannidem & oligarchiam in hoc sensu esse labes non formas ciuitatis, nam iniquè Nero apud Romanos, iniustè triginta tyranni apud Athenienses imperârunt: si verò mitius hoc nomen oligarchiæ sumatur pro diuitum solùm potentia, affirmamus minorem in oligarchia vim & furorem quàm in democratia exerceri.*

Opp. *In democratia est vnio totius multitudinis: ergo est omnium minimè subiecta mutationi. Ratio tenet, primū quia multitudo est maxima pars ciuitatis, tum quia vnita hæc multitudo se fortiùs potest*



*potest defendere, hostiumq; impetum propulsare.*

Democratia corpus sine capite. Polyphemus sine oculis.

Resp. *Hæc ratio inuerti potest, nam etsi sit maxima pars ciuitatis ipsa multitudo, tamen quia est veluti corpus sine capite, & armentum sine custode, eiusdem vnio non ad consensum virtutis sed ad motum seditionis tendit. Quare vt turba inexpertorum militum sine duce & ordine sæpè victorem: ita rudis & indigesta moles populi sine consilio nonnunquam ciuitatem perdit.*

Opp. *Recta reipublicæ forma diuturnior est non rectâ: sed democratia est recta reipub. forma, oligarchia autem non recta: ergo democratia est diuturnior oligarchiâ. Maior & Minor sunt Arist. in tertio & quarto libro Politicorum.*

Resp. *Comparatur democratia hoc loco non cum oligarchia pessima, sed cum eâ diuitum potentiâ in qua secundùm leges viuitur: & sic vicunq; sumitur democratia ob causas antea allatas multo infirmior est scopulisq; fortunæ subiecta magis.*

Opp. *Oligarchia est eminentior & illustrior status ciuitatis quàm populi potentia: ergo magis fortunæ scopulis & mutationibus est obnoxia. Ratio tenet, quia fortuna sapiùs cum magnis non cum paruis ludit.* Senec. in chor. 4 Hippol.

Resp. *Celsiores status & formæ ciuitatis magis subesse fortunæ dicuntur non quòd sæpius cadant, sed quòd eorum occasus conspectiores sint cum eueniant, vt ait Philosophus.*

Dubium.

*Vtrùm in ductoribus populi eloquentia causa sit quò minùs seditiones fiant.*

ORpheus siluas & lapides cytharâ suæ eloquentiæ post se traxisse dicitur, quod ergò olim de omni arte Ouidius, idem nunc de eloquentia dicimus.

*Emollit mores nec sinit esse feros.*

Veniunt ferrei milites à Mario & Cinna missi ad occidendum dulcem illum oratorem Antonium, at feros & crudeles carnifices ita eloquentiæ viribus leniuit, vt arma dejicerent, lachrymas profunderent. Diuina profectò & mira Plutar. in vita Marij.

vis eloquentiæ est, sed vt rem tantùm agam, hæc quidem in multis at maximè in illis valet qui mores hominum ferreos & valdè agrestes tractant: hinc est quòd hoc loco dicat Philosophus priscis olim temporibus democratias in tyrannides sæpè translatas fuisse, donec populi ductores eloquentes & diserti essent. At inquit arte dicendi propagatâ qui dicendo valuerunt imperabant populo, eumq; concionando sapienter moderati sunt: hoc est quasi dixisset meo iudicio, potentia susque deq; versa maximè requirit eloquentes viros, qui vi vocis potiùs quàm Martis, feritatem morum possunt lenire: at in democratia propter licentiam populi mores ciuitatis fluxi sunt, rudes ac dissoluti, ergo multò melius erit in eo statu si viri eloquentes præsint, qui contentionis ac discordiæ capita acie ingenij non gladij valent abscindere: sed quòd hæc ita fiant, si ita ordinetur respub. sic probo. Eloquentia ducis in bello est causa quò minùs in castris ardeat contentio: ergo eloquentia populi ductoris est causa quò minùs in vrbe fiat seditio. Antecedens, Cæsar, Themistocles & Xenophon fulmina belli & eloquentiæ: rationem verò Cicero & Demosthenes eiusdem lumina & fluenta probãt: nam illi turbam militum, hij populi furorem mellitissimis linguis mitigarunt. Porrò quid aliud est eloquentia quã copiosè loquens sapientia ad bonum ciuitatis tendens? Ergo si moderatores populi sint eloquentes viri, facilè seditiosos superabunt; nam maior vis est in voce eloquentis quàm in pugnantis manu. Postremò vt peritus medicus morbos & vulnera periculosa à putredine: ita eloquens populi moderator mores & vlcera ciuitatis à seditione seruat. Sed vt morbi diuturni citò contagionem gignunt sine ope medicinæ: ita mores populi citò ad seditionem tendunt sine ope & subsidio eloquentiæ. Concludo igitur in populi ductoribus eloquentiam causam esse quò minùs in ciuitate fiat seditio.

Sic Demost. Athenis, Romæ Cicero.

Vt Germanici inter milites Pannonios. Tacit. annal. 1.

Eloquentia copiosè loquens sapientia. Cid. de orat. lib. 3.

Opp. *Romæ & Athenis maximè eloquentia floruit: at in illis ciuitatibus aristocratia non populi potentia fuit: ergo videtur eloquentiam in populari statu maximè non requiri.*

Resp. *Etsi oratores in illis ciuitatibus oracula reipub. extiterunt, non*



*non tamen sequitur quin his de causis quas diximus magis ad popularem quàm ad optimatum potentiam requiratur eloquentia. Præterea in illis quoque rebus publicis eloquentia maximè causas populi non senatus spectabat, vt in historijs videre licet.*

Opp. *Arist. docet in textu blandos ductores populi fuisse causas cur democratia in tyrannidem sæpè mutata fuerit: ergo in illis non eloquentia, vt blandè docere; sed innocentia vitæ, vt iustè facere possint, videtur requiri.*

Resp. *Oratores viros bonos esse debere affirmat Quintilianus, idipsum hoc loco Arist. eloquentes ergo hic solùm illos appellamus, qui omnem sermonem ad studium pacis & virtutis flectunt, quiq; populum ad bonum ciuitatis trahunt.*

## CAP. VI.

*Vtrùm causæ conuersionum in oligarchia rectè assignentur?*

DE causis conuersionis in oligarchiâ seu diuitum potentiâ proximè nunc agere oportet, quæ in genere duæ sunt, iniuria oblata alijs, & inter se discordia. Iniuria est, cum pauci imperium tenentes premunt & veluti pedibus conculcant populum, qui iugum tyrannidis impatienter ferens cupidè ad vindictam sumendam rapitur. Nam quamuis nobiles & opulenti quasi in manu thesauros, leges, imperia ciuitatis tenent, fieri tamen non potest vt diu conspiranti populo furioso resistant. Exemplo nobis in hac re est plebs Romana, quæ à nobilibus læsa inuito senatu suos catulos latrantes & tribunos habuit. Discordia, quæ est secunda causa conuersionis, duobus modis vt hîc docet Aristoteles contingit; vel cum desti-

Iniuriæ definitio.

Discordiæ causæ duæ.

tuti imperio seditionem mouent, vel cum imperantes ipsi factioni fiunt. Primum est quando perpaucis ad honorem admissis alij potentes inuidiâ flagrant, rebusq; nouis eo vsq; studeant, donec ipsi quoque in altis honorum sedibus collocentur, vt Massiliæ, Istri, Heracleæ & in alijs ciuitatibus permultis contigit, in quibus cruentæ per nobiles tragędię agebantur, donec frater fratri, patriq́ue filius contra leges illarum vrbium in possessione dignitatis successerit: hinc Istri oligarchia versa in democratiam fuit, at Heracleæ à paucioribus potentibus ad sexcentos venit. Secundum, quod est inter ipsos diuites & potentes factio, trifariam euenit, vel ob paucitatem eorum qui admittuntur ad honorem, vel ob cõtentionem illorum qui plures sub sua potestate habent, vel per eorum ambitionem qui suam exosi sortem ad altissimum fortunæ gradum scandere enituntur. Paucitas enim in hoc statu populum armatum ad seditionem reddit, contentio verò nobilium vires penitus eneruat, ambitio deniq; ad tyrannidem aut monarchiã tendit: quippe si pauci sint magistratus debilis est hæc potentia, & impetum populi sustinere non potest. Si contentiosi sunt & inter se diuisi, mirum non est si ruinam videant, si ambitiosi, necesse vt casum periculosum sentiant, nam fortunæ scala lubrica est, & via honoris præceps. Exemplum primi est de populo, qui Cnidi oligarchiam propter paucitatem magistratuum in aliam formam commutauit. Exemplum secundi est de Charicle vno ex triginta Athenarum ephoris, qui populo assentatus seditionem fecit, sic Phrynichus ille vnus ex quadraginta viris, sic ciuium custodes Larissę (Politophylaces dicti) olim fecerũt. Exemplum tertij est quorundam militum qui ab Heracleensibus electi in subsidium sibi ambitiosè rapuerunt imperium, hoc quoq; euenit cum alter alterũ pellere & alterius cõmoda impedire conatur maximè in conuiuijs & iudicijs in quibus affectus statusq; hominum potissimùm vulnerantur. Sequũtur nunc aliæ in hac forma reipu. conuersionis causæ, nempe profusio rerũ, dissolutio morũ, electio iniusta, violẽta oppressio; his addit Philosophus diffidentiã nobiliũ qua timent populum



pulum & affluentiam fortunę quę parit odium: Prodigalitas seu profusio magistratuum (vt à prima initium sermonis sumam) est quasi gurges sine fundo, & quasi lues sine modo ciuitatis, quippe infinitè consumit bonum & infinitè in malum fluit; hinc custodes reipublicæ fures, oppressores, proditores & tyranni fiunt, nam exhaustis suis in aliena ruunt: sic Dionysius tyrannus ille fretus Hippario quodam (qui omnia vendidit) ad summum tyrannidis fastigium venit. Morari in hac re non possum, aliter optarem hîc vehementiùs vt nobilibus sua vendere nõ liceret. Altera causa est dissolutio, quę in textu luxus & intemperantia magistratuum dicitur. O vtinam Sardanapali non viuerent, qui Laides magis quàm ciuitates amant: sed festino. Alia causa est electio iniqua magistratuũ, quę tum dicitur cum meliores viri iniustè à muneribus ciuitatis dispelluntur, aut cum in perpetuum creantur quidã; vt nonaginta olim Elide, & Lacedęmone triginta, qui paucorum imperium in formam tyrannidis commutarunt. Hinc alia causa nascitur, nempe violenta oppressio, quę semper manu fulmina seditionis gerit. Nã vetus est illud vbi oppressio ibi (si liber sit populus) seditio sequitur. Quare minùs cautè & prouidenter hodie multi reges agunt, qui populum suum in pistrinum ad molendum tradunt, suosq; ciues non aliter quàm seruos & mancipia premunt. Ex hac etiam altera iam causa fluit, nempe diffidentia nobilium quâ timent populum; nam exortâ tempestate belli suorum ciuium suspicantur fidem, externos in auxilium vocant, se illis temerè committunt, superantur perfidi, pelluntur patriâ, mutatur forma ciuitatis: hæc omnia Corinthi, Larissæ & in alijs permultis locis, vt est in textu Aristotelis, euenerunt. Vltima causa conuersionis est affluentia fortunæ, quâ fortè tota ciuitas beata redditur; hinc rebus prosperis & ad voluntatem ciuium fluentibus omnes & singuli moliuntur regere, quibus si repulsa detur, vis statim & confusio sequitur. Causis iam datis formas in quas vertitur diuitum potentia paucissimis in calce huius capitis ostendit Philosophus: hæ vero sunt aut homogeneæ cum solùm gradus, aut heterogeneæ cum mutan-

Prodigalitas gurges sine fundo.

Dissolutio morum.

Electio iniqua

Violenta oppressio.

Diffidentia nobilium.

Affluentia fortunæ.

tur ſpecies. Exempli cauſâ, homogeneæ ſunt ſi oligarchia ſecundùm leges gubernata in alium modum tranſeat, in quo non leges ſed diuitum conſulta vigent; heterogeneæ autem cum diuitum potentia in optimatum aut populi imperiũ migret: hæ cauſæ, hæ formæ ſunt ex quibus & in quas oligarchica hæc ſphæra ciuitatis vertitur; ſed ne dũ breuis eſſe laboro obſcurus fiam, præcipua eorum quę diximus capita hîc recenſenda puto. Cauſas ergo mutandæ iſtius formæ in proprias & communes diuide: communes ſunt iniuria illata populo & inter ipſos diuites orta contentio. Propriæ ſunt profuſio rerum, diſſolutio morum, electio iniqua, violenta oppreſſio, diffidentia virium, & affluentia fortunæ, quibus addi poteſt aſſentatio populi, & diuitum ſi peccent periculoſa condemnatio. In illa enim ſophiſma, in hac magnum ſtratagema ineſt: quippe cum opulenti & magni viri rempub. atrociter vulnerarint, ſpecie in patriam charitatis tecti aſſentantur & blandiuntur populo; ſciunt enim ſe non poſſe ſecurim fugere, ſi hoc modo non conentur reipub. formam commutare. Marius nobilis Romanus ille commiſit ſcelus, accuſatus capitis ad tribunal venit, reus ſceleris inuentus adulatur populo, ſuccenſent patres, repugnant ciues, quid ſequitur? Tragædia & miſerabilis ciuitatis alteratio: cautè igitur in hoc ſtatu iudicandum, politicè condemnandum erit. Nam vt leones vulnerati crudeliùs ſæuiunt: ita nobiles quæſtionem capitis ægrè ferunt & patiuntur. Si ergò hos tolli aliquando iuſtitia mandet, nubeculis vtendum quidem eſt ne cadentes cometas multitudo videat: quippe populus in illis non ſeditionis ardorem ſed ſplendorem dignitatis, non pericula futura ſed præſentia lumina conſiderare ſolet.

Cauſę proprię communes.

## Diſtinctio.

Cauſæ conuerſionum in diuitum potentia ſunt, aut
- Communes, vt iniuria & diſcordia.
- Propriæ, quę ſunt, aut
  - Internæ, vt diſſolutio morũ, profuſio rerum, diffidentia animi, aſſentatio populi.
  - Externæ, vt electio iniqua, iniuſta oppreſſio, affluentia fortunæ &c. quę dilucidè exponuntur.

Opp.



Opp. *Nullæ hîc traduntur cauſæ conuerſionum quæ aliis ciuitatis formis non conueniunt: ergò malè vt propriæ & germanæ cauſæ iſtius à Philoſopho aſſignantur. Antecedens patet ab inductione ſingularum, nam iniuria, diſcordia, diſſolutio morum, profuſio rerum, & cæteræ quæ recenſentur non minùs monarchiam, ariſtocratiã, alioſq; ſtatus reip. quã ipſam de qua nunc agimus diuitum potentiã tollunt.*

Reſp. *Proprietas iſtarum cauſarum non in rebus ſed in perſonis modiſq; agendi cernitur, ſunt enim res ipſæ quæ hîc recẽſentur aliis & huic communes peſtes: ſed ſi perſonas & modos agendi conſideres, ex communibus propriæ & germanæ fiunt. Verbi gratiâ, electio iniqua & iniuſta oppreſſio lapſus cauſæ ſunt in omni rep. at ſi ad diuites & opulẽtos referas propriæ conuerſionis cauſæ in hoc ſtatu fiunt: ratio eſt, quia diuites in hac ſolũ forma ſunt magiſtratus, qui diſſolutione morum, profuſione rerũ, diffidẽtiâ animi, aſſentatione populi, aliiſq; ſimilibus modis ſæpiſſimè ſtatum ciuitatis in aliam formam vertunt.*

Opp. *Affluentia fortunæ eſt cauſa conſeruationis: ergo malè hîc inter cauſas conuerſionis ponitur. Antecedens patet, quia requiritur à Philoſopho vt ciuitas ſit omni affluentiâ rerum fortunata.*

Reſp. *Affluentia fortunæ requiritur ad ſplendorem & neceſſitatem ciuitatis, non ad tumorem & inſolentiam ciuis: cauſa ergo hîc dicitur cum eâdem diuites abutuntur.*

Opp. *Condemnatio ſeditioſi diuitis conſeruat oligarchiam: ergo rectè inter cauſas eiuſdem interitus non numeratur. Antecedens conſtat, quia ſublato ſeditioſo magiſtratu reſpub. metu liberatur.*

Reſp. *Condemnatio Craſſi aut opulenti alicuius qui ladit rempu. habetur hîc cauſa ſeditionis, non quòd tum metu non liberetur ciuitas cum monſtrum extinguitur; ſed quia plerũq; eminẽtis viri cauda & ſtimulus multitudo dicitur, quam ſi ante iudicium non lenias, cantharides ex ſepulchro euolantes ſenſeris: nam nobiles aliquando mitiùs viuunt, & mortui ſæpè acriùs quàm viui ſuos hoſtes pungũt.*

## Dubium.

*Vtrum adulatores populi permittendi ſint in ciuitate viuere?*

ANguis in herba latet, cum nobiles populo blandiuntur, ſerena frons malitiam tegit, & aſſentatio nobilium inſidias ſtruit. Rectè Athenienſes obiurgat Solon,

*Vos cata lingua viri, vos dulcia verba morantur:* Plut. in vita Solonis.

*Insidias nemo, quas struit illa, videt.*

Cur rides Cæsar? Cur arrides populo? Est certè in hoc risu magna suspicio. Pessime Antoni cur deseris senatum? Causa in promptu est, vt acquiras imperium. Itanè Clodi adularis plebi? Dignus sanè es vt condemneris cruci, sed verbis ludo, re ipsa tamen hocipsum probo. Proditores patriæ non sunt permittendi in ciuitate viuere, sed adulatores populi sunt proditores patriæ: ergò adulatores populi non sunt permittendi in ciuitate viuere. Maiorem fateor, minorem nego. Non est cur neges si assẽtationis istius finem altiùs perpendas; nam dic quæso quò istæ blanditiæ tenderent, quorsum proceres populi feces & turbas colerent? quare se custodes ciuium & Politophylaces appellarent? Si causam non sapias insanis nimiùm, hoc enim modo flammas conceptas in sinu tegunt, quas quidem tum in mediam ciuitatem spargent cum populum sibi satis deuinctum sentiunt. Homo inepte hostes apertos capi, & occidi iubes, Et adulatores populi qui sunt occulti & insidiosi hostes viuere & in senatum venire sinis? Quid aliud hoc est quàm mœnia armis defendere & intra muros ciuitatem seditionis facibus deuastare? Lege si placet de Caricle, de Phrinicho, alijsque populi demagogis, & si probes illorum facta, hæc nega, si velis, quæ fixi argumenta. Dic sodes vis esse prudens ciuitatis custos? Seriò tum disce nobilium quis aduletur populo, si quem inueneris, citò inuentum corrige; nam si diutiùs permittas hoc malum serpere, cum optes non licet remedium adhibere.

Opp. *Tribuni plebis sunt adulatores populi: sed tribuni plebis sunt permittendi in ciuitate viuere: ergo adulatores populi sunt permittendi in ciuitate viuere. Maior & Minor constant ab exemplo tribunorum apud Romanos, qui existentes demagogi & blandi populi ductores diutissimè floruerunt.*

Resp. *Tribuni plebis fautores non adulatores populi dicerentur, fuerunt enim creati & instituti non ad adulationem sed fauorem plebis. Quod verò Clodij inter illos vixerint, vi potiùs quàm iure hoc euenisse puto.*

Opp.



Opp. *In democratia necesse est vt nobiles viri & magistratus blandiantur populo: sed in eo statu reip. sunt permittendi viuere: ergo adulatores populi sunt permittendi viuere. Maior probatur, quia in democratia populi libido regit, cui si non cedant nobiles contra ius ciuitatis agent.*

Resp. *Si vltimam speciem popularis potentiæ intelligas, in qua populi libido regnat, negamus illam esse formam ciuitatis: at si mediocrem administrationem populi proponas, affirmamus in ea istos Clodianos permittendos non esse; quippè assentando leges violant & populi statum in tyrannidem conuertunt.*

## CAP. VII.

*Vtrùm causæ conuersionum in aristocratia & politia rectè assignentur?*

OMNIA suum tempus habent, quarè non solùm rerumpublicarum labes sed etiam optimę ciuitatum formæ sua fata vidẽt: in motu sunt humana omnia, & vt ortum ita canicie[m] interitumq; sunt habitura, nihil fixum, nihil permanens in hoc mortali gyro; mirum non est ergo si infirma cadant, mirandum tamen cũ firma & alta imperia ruant: popularis potentia & oligarchia, de quibus nunc diximus, apertas sui lapsus occasiones habẽt, sunt enim instabiles & fluxi ciuitatis status; verùm animo cogitare quomodo magna virtutis lumina sideraq; mundi ita deficerent, vt eorum nulla relinquãtur vestigia, non solùm admirationẽ sed etiam stuporem adfert. At vbi Assyriorum matutina stella, vbi magna Persarum pompa, vbi viridis Græcorum palma, vbi aquila Romanorum manet? Consenuerunt hæc omnia & veluti annosa planta in puluerem rediguntur. Aristocratię igitur & politię de quibus nunc agimus quasi in piramide fortunæ positæ aliquandò nutant nec non fatorum motu concussæ declinant sæpè. Causæ hic à

Philosopho paucis assignantur, quas breuiter percurram antequam ad argumenta veniam: animaduertendum hîc est nõ agi hoc loco de simplici sed de mixta aristocratia; mixtam autem appello illam quæ ex virtute, libertate ac diuitiarum affluentiâ constat, cuius cõuersionis causæ sunt aut communes aut proprię, communes vt paucitas magistratuum, ignominia, depriuatio honoris, inopia, ambitio. Proprię vt virtutis languor & contemptio, iniusta & inæqualis temperatura, immoderata rerum fortuitarum accessio, minimarum mutationum negligentia. Paucitas magistratuum in aristocratia & politia magnam sæpè inuidiam parit, nam cùm in illis sint multi virtute pares, qui dignitate æquales non sint, necessariò sequitur vel inter optimos quædã æmulatio ex qua nonnunquam fumus seditionis nascitur: & quamuis boni & studiosi viri rarò de honoris vmbra contendant, cum tamen sit honor præmium virtutis, magnanimi est existimare eundem sibi iustè pro merito virtutis attribui & concedi debere. Verùm si præmia, hoc est si honoris officia desint, Parthenij vt est in textu moliuntur insidias, id est carentes dignitate stomachantur. Probè factum erit si in his formis reipub. sint multa calcaria stimuliq; virtutis, vt apud Romanos aliquandò 300. aliquandò 500. senatores, apud Lacedæmonios 400. aliaque munera ad quæ studiosi veluti ad signa quædam in theatro ciuitatis contenderent. Huius defectu meo iudicio Venetiana aristocratia diu florere nõ potest, in qua multi sunt stirpe nobiles, & ij quidem ex grandi (vt loquuntur) at soli decem ex summo & intimo consilio. Secunda causa communis est ignominia, qua aliqui ab honoratioribus quibusdam viris afficiuntur. Insolens & impatiens est mens humana dedecoris, viri magnanimi non possunt ferre contumeliam, hinc Lysander malè tractatus à regibus inuasit rempub. idem fecit Catilina cum petebat consulatum. Tertia causa nempe depriuatio honoris huic persimilis & cognata est, quippe cum Aiax petit munus ab eo depulsus furit, vt Cinadon ille qui regnante Agesilao, Spartiatas penitus delere tentauit. Inopia quarta causa mu-

Aristocratia alia Simplex, alia mixta.

Causæ communes.
1. Paucitas magistrat.

Contaren. de Venet. rep. & Bembus. Venetiana Aristocratia.

2. Communis ignominia. Plut. in Ages. & Lysand. Diod. Sic. lib. 14. cap. 4.

3. Depriuatio honoris. Ouid. Metamorph. lib. 13. Xenoph. de rep. Spartan.

4. Inopia.



tationis traditur, quæ est quandò alij cum extremâ miseriâ conflictantur, alij rerum abundant copiâ: nam vt mediocritate seruantur respublicę: ita extremis omninò dissoluuntur. Hoc olim contigit Lacedæmone in Messeniẽsi bello, hoc Tyrtęus in poesi (quæ eunomia seu lex bona inscribitur) accuratè ostendit: hoc quoque nostra tempora declarant, in quibus ciues bellis exhausti in natali solo aut mendicare, aut latrocinari, aut fame & inopiâ miserè perire compelluntur. Vltima causa inter communes est plusquam Persica & insana ambitio magistratus, qui cum Alexandro totius mundi imperio non contentus viuit: sic apud Lacedæmonios videtur Pausanias ille fuisse, qui dux belli aduersus Medos fuit, & apud Carthaginenses Hanno. Sed hæc in textu sunt luce clariora, ad proprias ergo iam causas venio, quarum prima est languor & contemptio virtutis. Certum est in optimatum potentia & politia non tam homini quàm virtuti sceptrum deberi, nam omnia secundùm æquitatem & iustitiam in illis facienda: si ergo ab ea declinent, membrorum conuulsio & tremor sequitur: nam vt mens est in corpore, ita in illis virtus: at sine motu corpus perit: ergo sine virtute illa conuulsa cadunt. Secunda inter proprias causas est impar & inæqualis in his formis mixtio. Vt hanc causam intelligas, perpende temperatam non simplicem aristocratiam à Philosopho describi, quæ ex tribus constat, videlicet libertate, diuitijs & virtute, quorum si æqua non obseruetur proportio, necesse est vt contingat seditiosa conuersio. Nam vt consensio humorum in corpore sanitatem, intemperies morbum parit: ita istorum inter se conspiratio saluam, distractio verò turbulentam ciuitatem reddit. Nam in quamcunque partem inclinet respublica in eam conuertitur, vt si in libertatem tendat democratia, si in opulentiam oligarchia, si in excessum & excellentiam tyrannis oritur: sola ergo æqualitas virtutis & dignitatis manet. Tertia causa est legum optimarum antiquatio & abrogatio, nam vt laxati nerui in corpore humano magnam infirmitatem, concisi verò tormenta

Pol. 4. cap. 11.

5. Ambitio. Iust. lib. 2. Plut. in Themist. & Aristid. Diod. lib. 11. cap. 10.

Causæ propriæ.
1. Languor virtutis.

2. Impar mistio.

Libertas, Diuitiæ, Virtus, in aristocratia.

Humorum crasis.

Politia vitiosa quò vergat.

3. Antiquatio legum.

doloris

doloris gignunt: ita leges optimæ (quæ sunt veluti nerui harum administrationum) si negligantur dissolutionem, si autem omninò antiquentur seditionem faciunt. Hoc quidem Thurienſibus euenit inter quos nobiles contra leges, vt ait Arist. agros totos eousq; possidebant, donec (seditione facta) populo omnia cedere cogebantur. Causa quarta est immoderata rerum fortuitarum accessio, quæ oligarchię & tyrannidis plerumq; mater est. Nam cum senatores aureos montes cogitant, rarò excubias in arce ciuitatis faciunt: excessus enim otiosos magistratus reddit, & confidentes ad omne audendum & aggrediendum facinus; quippe hoc dæmone possessi contra leges & instituta maiorum sibi licentiam rapiunt, moliuntur noua, demoliuntur omnia. Hæc causa Locrorum senatui ac ciuitati perniciem attulit, vt apertè Arist. in textu docet. Postrema causa mutationis in aristocratia & politia est minimarum transgressionum neglectio, cuius finis vulnus & mors est ciuitatis. Nam vt rimula in naui neglecta demergit nauem: ita minima mala in ciuitate non obseruata totam sępisimè rempub. in discrimen trahunt. Lex erat apud Thurios vt vltra quinquennium nemo exercitus præfecturã gereret: Iuuenes hanc legem violant, factum videbatur paruum, negligitur, duces perpetui fiunt, forma ciuitatis in aliam vertitur & mutatur: sed de hac re posteà pluribus dicendum est. Præter has causas in hoc cap. docet Philosophus aristocratiæ conuersionem fieri duobus modis, vel internè cùm intra mœnia alitur seditio, vel externè cum dissimilis vel potiùs contraria est vicinarum ciuitatum administratio, qualis inter Lacedæmonios & Athenienses fuit. Hactenus de causis euertentibus illas respub. in quibus plures dominantur diximus, sequitur vt de causis iam conseruantibus breuiter dicamus.

4. Affluentia nimia.

5 Neglectio trãsgressionũ. Vide. cap. 4.

Modi mutãdæ aristocratiæ 2. Pol. 4 cap. 11. Diod. Sic. lib. 13. 7.

Distinctione opus non est, cùm satis distinctè & articulatim singulæ causæ enumerentur.

Opp. *Imperium quod virtute regitur facilè non cadit: sed aristocratia est forma ciuitatis quæ virtute regitur: ergo aristocratia facilè non cadit. Maior constat, quia virtus stabilis & firma est omnisq;*



*nisq; contentionis vacua. Minor patet, quia m aristocratia sola virtus regit; his concessis sequitur in hoc statu seditionis motus non concitari.* Pol. 3. c. 5. 7. 8.

Resp. *Aristocratia est vel simplex, quæ solùm ex studiosis & bonis viris constat, at hæc in rerum natura non existit; vel mixta quæ ex liberis, bonis & opulẽtis coalescit, & hæc motu aliquandò seditionis labefactata concidit. Non hìc de simplici sed de mixta disputat Philosophus.* Aristocratia Simplex, Mixta.

Opp. *Politia & aristocratia sunt distinctæ rerumpub. formæ: ergo eædem causæ conuersionis in vtrãq; tradi non possunt. Ratio constat, quoniam quæ sunt naturâ distincta, distincta sui ortus interitusque principia habent.* Pol. 3. cap. 5.

Resp. *Non sunt naturâ distinctæ rerumpub. formæ, sed vt aiunt subordinatæ, nam sub politia aristocratia vt species sub genere continetur.*

Opp. *Aristocratia non est nisi in ea maximè virtus dominetur: ergo malè hoc loco æqualis virtutum, diuitiarum ac libertatis mixtio requiritur. Antecedens probatur ex definitione aristocratiæ. Ratio tenet, quia ibi non est æqualis mixtio vbi vnius prædominatio manet.* Pol. 3. cap. 7.

Resp. *Non est æqualis mixtio quoad pondus, vt aiunt, vbi vnius manet prædominatio, at est æqualis quoad iustitiam: & sic in aristocratia virtutis, opulentia, liberalitatis est temperatura, ita tamen vt cæteris præluceat virtus à qua hic status pendet.* Mixtio ad pondus, iustitiam.

Opp. *Studiosi & boni viri externos honores populiq; applausus non peterent: ergo priuatio honoris in aristocratia seditionem non efficeret. Antecedens patet, quia virtus non in bonis externis sed internis cernitur. Ratio probatur, quia in aristocratia virtui dominatum tenet.* Virtus sese contenta.

Resp. *Duplex respectus est in petendo honore, vel sui vel ciuitatis. Boni & studiosi viri honores petunt non sibi sed vt ciuitati prosint; his enim ornati magis lucẽt, populumq;, qui maximè rebus externis capitur, ad maiorem curam habendam ciuitatis trahunt.* Boni honores petunt, non sibi sed ciuitati.

Dubium. *Vtrùm liceat nobilibus viris quocum veline affinitatis iure se copulare?*

Aper-

„ APERTVS est de hac re in textu Philosophus, Lacedæ-
„ mone inquit opes ad paucos perueniunt, daturq; nobi-
„ libus quidlibet faciendi potestas, vt eis etiam liceat quocum
„ velint affinitatis iure coniungi: itaq; Locrorum ciuitas prop-
„ ter Dionysij affinitates prorsus euersa est, quod in benè mix-
„ ta & temperata rep. nunquàm contigisset. Quid? An liceat
„ bubulco affinitatem quocum velit contrahere, & patricio
viro idipsum agere legibus negatur? Quæ obsecro causa est
cur non liceret? Affinitas nobilium in peregrinis nationi-
bus honores, opes, & vires auget, ciuitatem munit, hostes
pellit, dissoluit lites, amicitiam gignit, omnia in republica
augustiora, omnia firmiora facit, sidera conferta magis quã
dispersa lucent, & ita affinitatis iure coniuncta lumina ciui-
tatis; Surculus in plantam insitus alterius generis, naturæ
vi cum illa crescit, fructumque veriorem fundit: ita qui-
dem sanguinis scaturigo in aliam nationem deducta beati-
orem ciuitatem reddit. Vt ergo vis vnita fortior; ita sangui-
nis coniunctio melior. Roma, Lacedæmon, Athenæ, aliæq;
gentes affinitatis peregrinæ fœdera non contempserunt, &
hodie monstrum non est idipsum fieri; nam quis magna im-
peria ac ciuitates vbiq; gentium affinitatis vinculis coniungi
non videt? Non est ergo neganda affinitas, non est nobili-
bus prohibenda. Hęc omnia (quæ ais) speciem quandam ve-
ritatis habent, sed spinæ sub rosis pungunt, & hami sub esca
dulciore latent: nam si res ad viuũ disputetur, inuenies multò
melius actum iri cum illa ciuitate, in qua ista affinitatis li-
centia prohibetur, quàm in qua sine vlla circumstantiarum
consideratione permittitur: fucatas ergo rationes tuas nego:
quippè ista sanguinis copulatio honores, opes, vires, non au-
get, ciuitatem non munit, non pellit hostes, non dissoluit li-
tes, amicitiam non gignit, omnia augustiora & firmiora non
facit, sidera tua conferta non lucent, surculus insitus & inser-
tus de quo loqueris non crescit, exempla quę adfers nõ pro-
bant, leuissima sunt omnia quę dicis, idq; non verbis sed re-
bus sic probo. Periculosius est ciuitati permittere, vt princi-
pes viri nuptiali fœdere alijs gẽtibus iungãtur, quã peregrinos
ad

Nobilium affinitas, quasi galaxia.

Quæstionis veritas

Contra affinitatem cum exteris contrahendam.

Ratio 1.



ad participationẽ ciuitatis admittere, sed illud (vt antè probatum est) non licet: ergo nedum hoc licebit. Maior constat, quia principes magis nocere possunt, & certè retinentes serpentinam naturam occultiùs nocebunt: si occasio detur: nam peregrini peregrinos mores nõ possunt deponere, in quibus si venenum lateat, quis aspidis ictum non timet? maximè cũ lumina ciuitatis peregrino semine inficiantur. Præterea innouatio morumq; diuersorum confusio tolerari in recta reipub. forma non debet: ergo principibus neganda est alterius gẽtis nuptialis associatio. Argumentum tenet, nam hinc legum mutatio, hinc morum confusio, hinc rerum innouatio nascitur; quippè gratę non sunt tantorum nuptię, si leges, mores & ritus patriæ aliquantulum non cõmutentur: at quantum periculum hęc ciuitati ferant cęcus & infans sapiunt. Deinceps id nõ licet in iusta administratione ciuitatis vnde contentio, ira, seditio oritur: sed ex nuptiali principum libertate contentio, ira & seditio oritur: ergo nuptialis principum libertas nõ est licita. Assumptio probatur, quia fieri non potest quin istâ licentiâ datâ populus grũnire & murmurare incipiat, metuatq; ne sub hac specie primarij viri reipub insidias struant: ex hoc metu contentio, ex hac contentione furor, ex hoc furore seditio fumos & flammas petit; tutius ergo est hoc ipsum negare quàm permittere, quàm tolerare. Porrò vt monstrũ est capiti humano alterius animantis partes & membra annectere: ita malũ est ciues alterius gentis nobilibus (quę sunt ciuitatis capita) nuptiali fœdere copulare. Nam vt illud vi naturę fieri nõ potest sed errore: ita hoc ex præscripto prudẽtiæ permitti non debet sed ignorantiâ humanâ aut saltem incuriâ, quæ sæpè portenta in ciuitate parit. Insuper dic quæso quo alio modo Hetrusci, Samnitæ eneruati & extincti fuerunt à Romanis olim, nonnè peregrini sanguinis coniunctio illis causa tragœdiæ fuit? Postremò quis audet negare Abrahamum & Isaacum religiosam habuisse curam nè sui filij cum Cananitis (quamuis iuxtà habitarunt) nuptiali fœdere iungerentur? Cum Moabitis & Ammonitis nuptias contrahere Israeli non licuit, quantumuis illi sanguine populo

Cap. 3.

Ratio 2.

Ratio 3.

Ratio 4.

Ratio 5.

Ratio 6. Genes. 28.

Dei

Dei copulati erant. Nihil hic de nuptijs Salomonis dicam, quæ inter scelera à Nehemia religioso illo aulico numerantur. Sed propiùs accedam, legite annales nostros de nuptijs Henrici primi, secundi, tertij, Iohannis primi, Eduardi secundi, qui omnes non nuptias sed potiùs exequias reipub. celebrasse dicantur. Si ergo Anglia, Gallia, Germania, aliæq; vicinæ nationes ex hoc ouo basiliscos in sua viscera protrusos & proreptantes olim senserunt: nonnè longè prudentiùs respublicæ illæ administrantur in quibus hoc virus non spargitur, quàm quæ eodem infectæ periclitantur? Sed nihil hoc loco simpliciter & absolutè definire audeo, cum Catones, Scęuolas, Fabritios, hoc est grauissimos senatores contrarium aliquando approbasse videam. Cæterùm in eam partem nunc mea propendet opinio, vt existimem multò firmiores illas ciuitates esse, in quibus hoc monstrum non alitur, quàm in quibus viget ac toleratur.

Opp. *Sæpè coguntur ciuitates vicinas nationes in subsidium sui vocare, sed nullo modo meliùs hoc fieri potest quàm si principes cum principibus iure affinitatis copulentur: ergo iure affinitatis copulari principes non est absurdum. Minor constat, quia affinitas naturæ vinculum est quo ex multis vnus fiat; hinc Euripides, Affinitas præclara res est quâ in aduersis rebus nihil est melius.*

Resp. *Hæc ratio fallax est, magisq; non tenet quàm si diceres, medicina est salubris in tempore agritudinis: ergo simpliciter medicina est salutaris. Nam etsi fateamur affinitatem alienæ & vicinæ gentis non nocere tempore necessitatis, si tamen hinc simpliciter prodesse reip. talem affinitatem concludas, non cohærebit ratio. Neq; hoc loco concedimus vel tempore necessitatis hoc optimum remedium esse, si modò aliter in suppetias allici & vocari nostri vicini possint. Euripidis sententia non est de peregrinâ sed de domesticâ affinitate, vt apud illum videre licet.*

Opp. *Consuetudo maiorum multaq; exempla nationum in historijs docent hoc olim licuisse: ostende igitur causam cur iam non liceat. Præterea ex tali vnione nobilium imperia diuersa quasi in vnum coaluerunt, nec non contra hostis impetum & maliciam diutissimè in portu permanserunt.*

Resp.



Resp. *Non quid consuetudo sed quid ratio iubet hoc loco quæritur; exempla sunt istius rei, vt fateor, sed in illis sæpius pernicies quàm salus ciuitatis eminet. Licuisse hoc ais, sed rarissimè; ex præscripto legis tolerata fuerunt multa, sed non approbata mala. Quod dicis ex tali vnione nobilium imperia diuersa quasi in vnũ coaluisse, verum est in Romano imperio, quod alia multa hoc modo deuorauit. Reliqua quæ adfers verba sunt, & firmâ probatione egent.*

## CAP. VIII.

*Vtrum causæ conseruantes remp. sint corrũpentibus contrariæ?*

*Virum nouis malis exortis in ciuitate remedium præsens adhiberi debeat?*

DE pernicie satis, nunc de salute ciuitatis agitur; illius causę morbi sunt, huius verò remedia ac medicina. Vt ergo medicus tam sanitatem quàm ægritudinem corporis considerat: ita politicus nõ solùm pestes sed etiã causas conseruatrices ciuitatis tradere & assignare debet: hinc verba in textu hæc sunt. Si ea quæ sunt pernicioſa ac pestifera reipub. administrandæ formis teneámus, perspicuum est ea quoq; nobis esse nota quę sunt his salutaria: contrariorum enim efficientia sunt contraria, at interitus seu pernicies saluti contrariatur. Ex his verbis colligo principia conseruationis & interitus inter se opponi & sibi inuicem repugnare. Ratio prima à contrarietate effectorum petitur, nam contraria effecta contrarias causas habent: sed dissolutio & conseruatio reipublicæ sunt contraria effecta: ergo dissolutio & conseruatio reipublicæ contrarias causas habent. Propositio huius syllogismi Topicum axioma est. Assumptio probatur, quia dissolutio est mors quædam & interitus, conseruatio autem vita & quasi salus ciuitatis: at inter mortem & vitam, interitum & salutem lis est & repugnantia. Præterea causæ quę habent contrarios fines sunt inter se cõtrariæ, sed causæ conseruantes & corrũpentes remp. contra-

Quæstionis primæ fundamenta.

rios fines habent: ergo causæ conseruantes & corrumpentes rempub. sunt inter se contrariæ. Maior cõstat, quia diuersitas finium repugnantiam causarum arguit. Minor probatur, quia finis causarum conseruantium est beatitudo, corrumpentium verò est ipsa miseria ciuitatis. Huc adde similia illa ex naturâ & medicinâ, nempè quòd sic se res habeat in ciuitate vt in natura & medicina: sed in natura causæ interitus sunt contrariæ causis salutis, & in medicina causa morbi causis sanitatis: ergo in ciuitate principia dissolutionis & conseruationis sunt inter se contraria. Postremò ab inductione omnium causarum earumq; comparatione hoc ipsum apertum & perspicuum erit: nam si hæ cum illis, hoc est conseruatrices cum corrumpentibus conferantur, vtriusq; oppositio liquidò apparebit. Sed dices eadem medicina aut cibus nonnunquam prodest, nonnunquam nocet eidem corpori: cur igitur eadem causa idipsum non faciat ciuitati? Præterea bello aliquandò corrumpi, aliquandò etiam conseruari ciuitatem videmus: est ergo sæpè vna eademque causa vtriusq; effectus. Neque id verum est quòd semper contraria effecta contrarias causas habeant, nam sol indurat lutum, dissoluit ceram. Leuiora hæc sunt quæ ducis, nam si concedantur singula, non lædunt causam: quippè eadem causa potest diuerso respectu eidem prodesse & obesse sæpè, vnum tamen per se, alterum fortuitò & casu agitur. Verùm si effecta vi suâ cum causis suis conferantur (vt fit hoc loco) necesse est vt contrariæ causæ contrarios effectus habeant. Quod de sole adfers, nihil est cum non ad idem disputetur; hic enim quæritur, Vtrùm repugnantes causæ contrarios effectus in eadem ciuitate gignant? Tu verò doces eandem causam in diuersis rebus vt in luto & cerâ diuersos effectus procreare, quod quidem non negamus, hæc enim diuersitas non in causa sed in subiecta materia inest. In textu nunc sequitur secunda propositio vndè etiam secunda iam quæstio nascitur, quæ est, Vtrum minimis malis exortis in ciuitate remedium præsens adhiberi debeat? Latentes & occultæ impetigines sæpè in læpram totius corporis serpunt: ita quidem malorum

Dubia.

Idem prodest & obest diuerso respectu.

Quæstionis secundæ status.



malorum mica in molem conuerti potest. Grana veneni nonnunquam vitam tollunt, sic minima mala ciuitatem; in malis ergo non pondus sed virus, non magnitudo sed contagio, non species sed pernicies quæ ex illis oritur spectari debet. Inter causas ergo conseruatrices ciuitatis quas hic tradit Philosophus hæc minima non est, quæ nos monet vt malorum atomi in administranda ciuitate non negligantur; hoc ipsum probat à similibus Aristoteles. Quemadmodùm inquit parui sumptus (si sæpè fiant) rei familiaris quantumuis amplæ fontem exhauriunt: ita legum & institutorum transgressiunculæ si accumulentur neruos concidunt ciuitatis: & quamuis in minimis statim non apparet commutatio, serpunt tamen hæc monstra & veluti è cauernulis suis primùm in angulos tum in arces ciuitatis suas flammas suaque venena spargunt. Si ergo in vlla re cautus sit magistratus, in hac maximè vigilare ac prouidere debet, nè parui nomine deceptus illum sophisticum & astutum paralogysmũ audiat, nempè, Ignosce Cæsar nam hoc paruum, ignosce iterùm nam illud paruum, paruum hoc tertium ignosce quæso; sic totum paruum est quia partes paruæ, imò totum prauum est quia partes prauæ. Nam vt ex multis granis magnus aceruus: ita ex multis paruis offensionibus immane facinus constituitur. Hoc quoque perspicuum est in similitudine errantis & amantis perditè. Nam vt parua in principio itineris digressio fit magnus in fine error: ita minima legis transgressio si negligatur fit tandem lues ciuitatis. Caueat ergo Scęuola qui virgulam censoriam tenet, nam aliter vt Pamphyli in re amatoria ab hystrionica salutatione ad oscula, & deinceps ad alia concepta scelera sensim & pedetentim veniunt: ita isti à paruis malorum punctis & vmbris in Oceanum profiliunt flagitiorum, quorum pestifero halitu tota infecta ciuitas tandem contabescit. Nauis tametsi magna paruis arenis aliquandò mergitur, dic ergo causam cur ciuitas minimis malis non conquassetur? Sit ergo hoc vnum inter reliqua de conseruatione reipublicę vtile ac salutare præceptum, vt minimis malis enascentibus in ciuitate præsens

Minima castiganda sunt mala.

1. Ratio.

2. Ratio.

Adulatores arcendi à rep.

remedium adhibeatur. Accedo nunc demum ad ſecundam conſeruandæ ciuitatis cauſam, quæ monet vt archiſophiſtæ & adulatores à republica penitus relegẽtur. Iſti enim vulpinis ingenijs & caninis blandimentis populum decipiunt: quippè inſidioſis ſophiſmatis & phaleratis verbis ſæpiſſimè ignari capiuntur. Pulchrum videtur pauperi vt nullam incurrat pœnam ſi non ad ſenatum veniat, ſed captio hæc eſt, nam ſub hoc obtentu diues ſibi imperium rapit; remedium ergo hic tradit Philoſophus vt iſtis fides omninò non detur, nam ſub aureo folio lethale venenum fundunt. Tertium cõſeruationis præceptum eſt vt principes viri rectè ſe gerant tàm erga eos qui ſunt extra rempub. quàm erga eos qui ad gubernacula ciuitatis ſedent: hoc enim modo debiles & infirmæ reſpub. ſæpè magnæ & diuturnæ fiunt: nam cum in eo ſtatu homines viuunt in quo nullis iniurijs, nullis damnis, contumelijs nullis afficiuntur, non dubitandum eſt quin ciuitati vt ſibi ſuiſq; faueant: putat ergo Philoſophus conſultum iri, ſi plures regant, vt multa popularia inſtituta fiant. Nam vt alimentis in ſingulas partes corporis receptis magis conſeruatur totum: ita beneficijs in omnes ciues collatis tota reſpublica multò beatior redditur. Huius rei defectione oligarchia ſæpè in popularem potentiam, & monarchia in tyrannidem cõuertuntur: obſeruandũ tamen hîc eſt magnos honores per longum tempus priuatis concedi non debere; quippè tantum mali conari non poſſunt qui paruo tempore quàm qui magno magiſtratum tenent. In quarto axiomate conſeruandæ reipublicę præſcribit Philoſophus, vt tam magiſtratus qui in ſpecula ciuitatis vigilant, quàm ciues qui in operibus verſantur, imminentes procellas ac tempeſtates timeant. Nam vt incuria magiſtratus eſt ciuibus exitio: ita vigilans timor reipublicæ magno præſidio erit. Facilè enim hoſtis timentes non inuadit, de repentino vigilantes non opprimit & confundit: qui enim timent reipublicæ globum ſemper in oculis ferunt, hoſtium inſidias non ſolùm remotè ſed etiam propè inſtructas vident. Quinta conſeruationis cauſa eſt vt ſeueris legibus nobilium diſſidia coercean-

Integritas principum.

Prouida circumſpectio in periculis ſuſpectis.



ceantur, vt liberi & immunes à contentionibus ad factionem non incitentur, vt denique naſcitura mala antequam radices agant dextrâ magiſtratus extirpentur. Sed feſtino ad ſextam cauſam, quia de hac antea ſatis copioſè diximus, in illa enim Philoſophus cenſus remittendi & augendi rationem & proportionem habet. Dictum eſt enim antea ex diuerſitate cenſus mutari quandoq; paucorum potentiam & politiam: remedium huius mali eſt ſi pro auctis & diminutis ciuium facultatibus cenſus proportio fiat, adeoq; ſecundũ iſtam proportionem factam munera & præmia ciuitatis dẽtur. Septima cauſa huic cognata eſt, nẽpè vt magiſtratus non patiantur vllos vltra modũ in ciuitate aut diuitias, aut honores, aut populares amicos ſibi accumulare; hæc enim plerũque homunciones tumere faciunt, nam rarò ſedato animo res proſperas & ſecundas ferimus. Cum ergo mãdantur honores, tutius eſt paruos diu quàm breui ſpatio magnos concedi; ſi verò contigerit in vnũ aliquem plurima effundi, aut paulatim hæc tolli debent, aut ipſum ſic excellentem negotijs externis & legationibus impedire oportet: his enim modis vel diminuetur potentia, vel ſi reſiſtat iuſta tollendi dabitur occaſio, melius eſt enim membrum tolli quàm vt totum pereat. Octauò requirit Ariſt. vt grauis cenſor & vigilans inſpector morum in ciuitate qualibet habeatur, qui obſeruet linceis oculis potiſſimùm eos qui reipub. parùm accõmodatè viuunt: nemo enim in ciuitate inutile pondus eſſe debet, nemo inſigniter flagitioſus: cogendi ergo ſunt mali ad cenſuram, cogendi ad rationem vitæ. Boues ſine ſtimulo, ſegnes ſine flagello, mali ciues ſine cenſoris virgula rariſſimè ſuum munus & officium præſtant; ſi ergo non ſit in adminiſtratione ciuitatis diſciplina, naſcetur ex otio periculoſa ciuium morumque licentia: hoc verò otium maximè tum euenit, cum magnam reipublicæ partem ſecundo afflatu fortunæ exultantem & ferocientem videris: cuius mali primum remedium eſt particulis ciuitatis contrarijs rerum agendarum curam mandare imperiaque tradere; quod ſi non feceris cicadæ otioſæ exedent fructum, & formicæ laboran-

Cenſus proportio.

Modicæ facultates, diuitiæ, honores.

Grauis cẽſor.

Honores meritò non quæstui fiant.

borantes sustinebunt esuriem. Nona conseruandæ ciuitatis causa est inter cæteras maximè vtilis & necessaria, nimirùm vt summoperè caueatur, nè honores turpissimo quæstui fiant & exponantur. Meretrices enim sunt dignitates quæ se substernunt lucro, ignominiosi sunt honores qui augmentantur pretio: quippè creantur magistratus in republica non vt onerent sed vt honorent ciuitatem, non vt ciues premant sed vt oppressis opem clementer ferant. Sed ô Christe, vbi hic candor? Vbi est hic amor virtutis? Lepram Nahami serui quis timet? Quis corium corrupti iudicis intuetur? Verùm alibi de hac re satis dictum est, ad decimum præceptum venio, in quo cautio est ne ærarium publicum compiletur:

Ærarij cura.

hoc autem nè fiat prescribit Philosophus vt pecuniæ per curias, tribus & centurias coronâ ciuium spectante in gazam deferantur, rationesq; publicæ & rerum & officiorum sæpiùs exigantur; aliter enim vngues vulturum mordicùs tenebunt prædas, & in priuatos vsus (quod publicum est) iniustè rapietur: constituendi ergo sunt in qualibet ciuitate clauigeri atque ædiles honestissimi viri, qui potiùs bono communi quã

Fauor.

suo ipsorum lucro addicti viuunt. Aliud præceptum sequitur quod maximè ad democratiam & paucorum potentiã spectat, eiusdem vis & sententia hæc est, quòd in democratia opulentis, in paucorum potentia egenis parcere & fauere oporteat, nam aliter verendum est ne conflatâ inuidiâ tandem oriatur seditio: si verò locupletum copias imminuere ac decurtare velis, politici est eos cogere ad ludos, choros, aliaq; istiusmodi munera exhibẽda populo, in quibus laus aliqua acquiritur, & quorum aliquandò vsu ciuitas recreatur.

Hęreditarium ius.

Postremum axioma est vt patrimonia non donatione sed successione generis in sobolem reipub. transferantur, hoc enim modo naturę digitus hęredem, iustitię habitus possessorem facit, at naturam omnes, iustitiã boni colunt. Illud quoque addit Arist. quòd nemo plures hæreditates vnâ teneret, sic enim æquabiliores erunt reip. facultates, pluresq; egentes copiosi & locupletes fient. De paucorum potentia hoc dictum esse exponit Thomas, quia si pauperes non minùs quàm



quàm opulenti Plutum hoc est diuitiarum deum possint licitè salutare, æqualitatis specie contenti quiescent magis, diuitumq; imperium placatiùs ferent.

Distinctio.

Demonstrantur in hoc cap. causæ conseruatrices reip. ex quibus eximuntur

- Quęstiones duę, quarum
  - Prima est de contrarietate principiorum.
  - Secunda est de præsenti malorum remedio, vt anteà distinctè probatur.
- Præcepta seu documenta optima, quibus iustè administrari & conseruari potest ciuitas, quæ etiam suis locis, numero ordineque constant.

Oppo. contra primam quæst.

*In politia causæ conseruatrices corrumpentibus non sunt contrariæ: ergo absolutè in omni statu reipub. hæc quæstio non tenet. Antecedens patet, quia politia ipsa constat ex contrarijs partibus, nempe ex oligarchia & democratia, hinc causa quæ vnam conseruat partem, alterã corrumpit, sed eadẽ causa sibi nõ est contraria, est ergo status in quo hæ causæ non sunt contrariæ, nisi easdẽ sibi contrarias diceres.*

Resp. *Oligarchia & democratia considerari possunt duobus modis, aut diuisim, & sic sunt contrariæ formæ ciuitatis; aut coniunctim & mixtè in politia, & sic non sunt contrariæ: nam vt elementa in mixto temperiem, ita hæc duo in politia vnam ciuitatis formam efficiunt. Respondeo igitur causam quæ conseruat vnam partem, alteram non corrumpere in politia neq; sibi contrariam esse.*

Opp. *Timor ciuium est causa rebellionis: ergo non est causa conseruationis, vt hic defenditur. Antecedens patet, quia oderũt quem timent homines. Ratio tenet „ quia eadem non est causa contrariorum, vt in principio huius capitis docetur.*

Resp. *Timor vel est seruilis, & sic est causa seditionis: vel venerabilis (qualis est filiorum in patrẽ, subditorum in principem) & sic est causa amoris & conseruandæ ciuitatis. Alij respondent timorem hoc loco intelligi illum, quo solliciti sumus de malis futuris, quibus vulnerari potest respublica.*

Timor seruilis, venerabilis.

Opp. contra secundam quæstionem.

Opp. *Mala sunt necessariò toleranda in ciuitate: ergo minimis malis præsens adhibere remedium non est res tam necessaria vt*

*hic requiritur. Antecedens constat, quia fieri non potest quin mala fiant (est enim corrupta natura hominis) at si quoties peccent homines sua fulmina mittat Iupiter, exiguo tempore inermis erit. Praterea in multis leuioribus conniuere debet prudens magistratus, multaq; sunt dissimulanda mala: ergo de minimis sollicitari non debet. Postremò multa sunt concedenda infirmitati naturæ; hinc vsura, lupanaria, bigamia, aliaq; sexcenta mala tolerantur: quòd si aquilæ muscas, leones mures, hoc est si magistratus res minimas curarent, Socratis leges aranearum telæ viderentur, in quibus res minimæ impeditæ penderent, res verò ponderosæ laberentur facilè.*

Resp. *Verba hæc sunt, nam quamuis necessariò sunt toleranda mala, non tamen sequitur quin malorum initia omni conatu ac studio tollerentur; nam hinc cogimur labes reip. sæpissimè tolerare, quia non conati sumus primas causas malorum tollere. Fateor ergo conniuendum esse sæpè nec non dissimulanda mala, hoc etiam addo plurimùm infirmitati naturæ concedendum esse: verùm hæc non probant remedium præsens non adhibendum esse: nam quamuis in malis commissis prudentia iubeat nonnunquam conniuere, malorum tamẽ initijs prouidẽtia (quæ est futurorum perspicax) iubet occurrere præsensq; remedium adhibere, & hoc non est muscas aut mures capere, sed maximorum facinorum occasiones & radices euellere.*

Opp. contra causas conseruationis.

Opp. *Politicum non est cum potentiam diuitum metuamus illos cogere ad choros, ludos & spectacula edenda populo, vt illorum diminuantur copiæ: ergo male hoc ipsum præscribitur. Antecedens patet, primùm quia honorificentius est vt aliqui abundantes rerũ copiâ ad splendorẽ & ornatũ ciuitatis viuant, tum quia ludi chorici & spectacula res minimè vtiles definiuntur in textu esse, in quas pecunias profundere est indecorum.*

Resp *Animaduertendum hîc est quòd sit aperta interpretum in hac parte textus cõtradictio; nam Argyropilus sic exponit vt Arist. omninò prohibere ludos, choros aliaq; id genus delectabilia videatur. Lambinus verò quem sequor apertè contrarium sensum elicit, vt legentibus videre licet. Respondeo igitur consultum & politicum esse vt potentia diuitiæq; nobilium quos timemus aut legationibus vt suprà, aut ludorum faciendorum curationibus extenuentur: nam*



*nam quamuis decus ciuitatis requirat vt sint qui magnâ rerum copiâ abundantes ad splendorem ciuitatis viuant: cùm tamen eorum potentia in perniciẽ tendat hoc stratagema (quo languidiores fiant) non est negligendum. Praterea etsi res minimè vtiles dicantur istæ, si habitum iustitiæ; sunt tamen vtiles, si ornatum reipub. spectes, in qua non omnia ad necessitatem, sed multa etiam ad dignitatem & decorum fiunt.*

Opp. *Vnitas religionis seu pietas est maxima causa conseruandæ ciuitatis: sed hæc omittitur ab Arist. ergo rectè de causis non disputauit. Maior probatur, quia religio est timor Dei quo ciues maximè in officio continentur.*

Resp. *Quod necessariò intelligitur non deest, at necessariò hanc causam intelligi hinc cõstat, quod Arist. sæpè de sacerdotibus sacraq; facientibus ante disputauerit: certum est vel ethnicos habuisse quadam formã religionis, sed euanuerunt in cogitationibus suis & stulti facti sunt. O vtinam nos (christiani religionis vnitati studeremus,* Rom. 2. *nam miserabilis experientia docet nihil magis animos ad seditiones distrahere quã cõtradictionis spiritu impulsos in religione fluctuare.*

Dubia capitis.

*An tutius sit paruos honores diù quàm breui spatio magnos cõcedi?*
*An ludi & chori in ciuitate permitterentur?*

SEPTIMA causa reipub. conseruandæ est, vt nemo vltra commensum & conuenientem modum augescat diuitijs, honoribusque efferatur; ne verò hoc fiat, præscribit Philosophus vt potiùs parui honores diu, quàm breui spatio concederentur magni. Parui honores sunt munuscula, magni autem augusta munera & officia ciuitatis; in istorum comparatione prima hæc dubitatio ponitur, nam probat Philosophus multò consultiùs in ciuitate paruos honores diù quàm breui tẽpore magnos concedi. Rationes quinq; assignari possunt, à cõparatione, à naturâ humanâ, à circumstantijs, à similibus, & ab exẽplo. A comparatione, quoniã in paruis honoribus (tametsi diuturnis) est timor exiguus, at in magnis (licet breuissimis) est tumor maximus: qui enim paruis fruuntur officijs si insolescant facilè sedari possunt, at qui in summis reipublicæ subsellijs sunt constituti, si intumescant non nisi periclitante

Rationes quæstionis primæ,

tante repub. deuinciuntur. A natura humana hoc ipsum probatur, quia plerumq; naturæ vi incitamur ad summum fastigium rerũ, grauissimèq; patimur & sustinemus occasum: cũ ergo in alto sumus timemus lapsum, & si videamus hanc gloriam breui mansuram, siue iure siue iniuriâ possessam contendimus retinere: sed in paruis honoribus tantam nominis eclipsim non patimur: melius ergo est paruos honores diu quã magnos breui concedi ac demandari. A circumstantijs, quia magnis honoribus præditi ad breue tempus officia retenturi à loco, à tempore, à diuitiarum & amicorum copia auxilium quærunt, vt viribus superiores facti vno quasi impetu possint in sui fauorem volentes & nolentes pellere: sed parui honores etsi sint diuturni istis subsidijs & circumstantijs carent. A similibus, quia vt peracuti morbi & dolores ad breuissimũ temporis spatium durantes citiùs extinguunt vitam quàm lenti diutissimè permanentes: ita honores magni & violenti breui finiti tempore maius periculum ciuitati creant quàm parui qui diu multumque in reipublicæ luce continuantur. Vt enim est in acutis morbis impetus quo vita tollitur: ita est in magnis honoribus temporis breuitate definitis rabies quædam, quâ ciuitas ipsa conquassatur. Ab exemplis hoc etiam constat, quia nemo negare potest breuem Cæsaris dictaturam periculosiùs vulnerasse Romam quàm perpetuum Catonis consulatum. Alia nunc dubitatio sequitur, Vtrùm ludi, choriq; permittendi sint in ciuitate? Memini me olim in Ethicis de his rebus obiter disputasse, verùm quoniam opportunè se offert quæstio, abs re non erit eandem pauciss imis demonstrare: censeo ergo quibusdam adhibitis circumstantijs hæc tolerari ac permitti debere; non quòd per se & vi suâ res vtiles, sed quòd in moderato illorum vsu splendor comitatis (quæ virtus minima non est) manifestè apparet. Sunt igitur ludi non inanes & histrionicę fabulæ, veneris illecebræ, sed facetæ comædiæ magnificęq; tragædię, in quibus expressa imago vitę morumque cernitur. Choreæ hoc loco non sunt sumẽdæ pro lasciuis corporis motibus in gyro factis quibus inflammatur venus, de

Quæstio. 2.

Ludorum & chorearum acceptio. Cic. pro Murena.



de quibus sic ait orator, Nemo saltat sobrius: sed pro numero, ordine & harmonia virtutis decoro corporis motu ad vsum expressis, in quibus ipse Dauid olim delectabatur sanctus. Spectacula sunt celebriora quædam theatra ciuitatis, vt coram principibus stadium currere, hastas vibrare, visu noua, sumptuosa & admirabilia ostendere: quòd hæc sint licita sic probo. Non sunt inhonesta, non sunt indecora: ergo sunt licita. Iterum honesta recreatio est licita in ciuitate: sed in istis est honesta recreatio: ergo hæc sunt licita. Prætereà multa splendidè, magnificè multa in ciuitate fieri est licitum: sed hæc sunt istiusmodi: ergo hæc sunt licita. Deinceps mortales sine intermissione à studijs, curis, negotijs diu viuere non possunt, sunt ergo aliqua inuenienda media quibus ciuitas recreetur: at meliora istis arte inuentis, authoritate approbatis, celebratis ordine excogitari non possunt: ergo sunt permittenda. Porro hæc sunt virtutum nempe affabilitatis & comitatis media: ergo sunt toleranda. Adhuc in his mores hominum depictos discere, præclara inuenta doctorum obseruare, temporum antiquorum caniciem cernere, vocem, vultum, gestumq; splendidè componere, varios affectus & passiones mouere, famam acquirere & comparare possumus. Cum ergo ex ijs tot commoda existant, non solùm toleranda sed etiam iustè approbanda videntur. Insuper antiquissimis olim temporibus in omni præclarè instituta repub. floruerunt ista: ergo sunt licita: desiderari non possunt exempla in hac re. Nam Roma, Athenæ, Lacedæmon, Carthago, aliæque mille ciuitates loquuntur, in quibus ædiles ob hanc causam fuerunt instituti. Postremò his addi potest ratio quæ est in textu, nempe quòd hoc modo potentiores viri quos timet ciuitas (coacti ad ista edenda populo) lumbentur sedatioresque fiant.

2. Reg. 6. 14. Spectacula.

Ratio.

Scenæ trigemina corona.

Fenestell. 2. cap. 13.

Opp. *Diuturnitas in paruis honoribus non minùs nocet reipub. quàm in magnis concessis breuitas: ergo tutius non est paruos diu quàm breui spatio magnos concedi. Antecedens probatur, quia contagio seditionis tempore longo serpit antequam in pestem vertitur: sed in paruis honoribus longum tempus conceditur, in magnis breue,*

Honores magni breues, parui diuturni.

*breue. Prætereà videmus in monarchijs ſummos honores eſſe perpetuos, mediocres verò breui finitos tempore, quod certè in optimo ſtatu reipublicæ non fieret, ſi hæc quæ docet Philoſophus vera eſſent: nam ſi magnos honores concedere breui temporis ſpatio ſit periculoſum, perpetuos eoſdem fieri erit longè periculoſiſſimum.*

Seditio ſerpit, volat.

Reſp. *Contagio ſeditionis aliquando tardiùs, aliquando velociùs ſerpit; tarda quidem eſt in paruis honoribus, quia vires & materia deſunt: at in magnis tametſi breui ſpatio duraturis velox & violenta eſt, quia vires & materia adſunt. Ratio quæ additur de ſummis honoribus in monarchijs facilè in contrarium ſenſum retorquetur, nam (non ait Philoſophus) periculum eſſe in perpetuitate maximorum honorum, quâ ſummis viris eſt ſatisfactum; ſed breuitate, quâ homines ambitioſi vulnerentur: non ergo ſequitur hæc ratio, breuis vſura honoris nocet: ergo perpetuitas magis nocet; quia breuitas & perpetuitas non hîc vt maius & minus, ſed vt contraria & repugnantia, quorum eſt contraria ratio, ſumuntur: argumentum ergo hoc modo inuertitur, Breues ſi magni honores nocent: ergo perpetui non nocent.*

## Opp. contra ſecundum dubium.

Actio in hiſtriones.

Opp. *Ludi, choreæ, ſpectacula res minimè vtiles in textu dicuntur: ergo non ſunt licita. Prætereà ſæpè bonos mores corrumpunt, opes exhauriunt, animos ciuium à rebus neceſſarijs ad nugas flectunt: ergo ſunt prohibenda. Huc adde quòd inſtar monſtri ſit videre viros muliebri veſte hiſtrionicè diſſimulantes fœminas, & cum iſdem in gyrum ſaltantes turpiter: non ſunt ergo toleranda iſta. Inſuper in primitiua luce eccleſiæ patres hæc ipſa prohibuerunt, definientes nihil aliud hæc eſſe quàm à menſis ad ludos ſurgere: at expreſſo Dei verbo hoc negatur: ergo & illa. Poſtremò ſexcenta ſunt alia meliora nos recreandi media, vt hymnos canere, fabulas morales legere, auiculas cantatrices cum Diuo Ambroſio alere.*

Exod.22.6. 1.Cor.10.7. Epheſ.5.19.

Reſp. *Singulis his argumentis ordine reſpondeo, primùm ergo affirmo ludos, choreas, ſpectacula, res minimè vtiles reſpectu maximarum rerum quæ in ciuitate ſolent nominari. In ſecundo argumento antecedens nego, nam hæc (modo quo antea definiuimus) mores non corrumpunt ſed corrigunt, animoſq; ciuium non ad manes nugas ſed ad vtiles vitæ ideas trahunt. Ad tertium dico non indecorum eſſe, non impium*



Scelus in mente, non in veſte.

*impium vt viri fœminarum perſonas in ſcenico theatro fingant: nõ enim in veſte ſed in mente ſceleris contagio ineſt. Altera pars argumenti choreas veneris non Dianæ & virtutis vrget. De quarto argumento ſic ſentio, quòd patres ſolum prophana & ethnica ſpectacula prohibuerunt, quæ nomine Iouis, Phœbi, aliorumq; idolorum ſuperſtitioſè celebrata fuerunt: at honeſta & laudabilia hæc, de quibus iam loquimur, agere non eſt à menſis ad ludendum ſurgere. In poſtremo argumento nimis ſeueros ſtoicos loquentes vt opinor audio, qui virtutem omnis perturbationis vacuitatem eſſe definierunt. Agnoſco quidem hymnos canere ſanctum eſſe & delectabile, ſed dicant iſti mihi, an ſemper hymnos & Pſalmos cantant, edunt nunquam? Eputant ur nunquam? Imo Corinthum cum Demoſthene nunquam ſalutant? Quid multis? In ludis & choris laudetur nomen domini vt ait Rex ille propheticus.*

Pſal 150.

## CAP. IX.

*An ad munus principis neceſſariò reipub. dilectio, potentia & iuſtitia requirantur?*

*An in duce exercitus eligendo potiùs ſcientia rei militaris quàm amor virtutis aut ciuitatis ſpectari debeat?*

QVONIAM principes ſummiq; magiſtratus rerump. ſceptra & ſphęras tenent, neceſſe eſt vt præter cauſas iam allatas conſeruandæ ciuitatis ab illis quædam reipub. præſidia & ornamenta fluant. Sunt autem ſũmi magiſtratus, quorũ veluti dextrâ ac poteſtate cardo ſeu globus totius ciuitatis in bonũ aut malum vertitur, quippe penes illos eſt ſumma potentia rerum. De illis nunc diſſerens Philoſophus requirit tria, quæ maximè habere magiſtratus decet, nempe dilectionem ſtatus quem tenent, potentiam quâ alijs pręſint, virtutem quâ ſuis ciuibus vitę exẽpla fiant; in primo amor, in ſecundo honor, in tertio ſplendor honeſtatis lucet: in duobus illis velle & poſſe, in hoc poſtremo

Tria magiſtratuum ornamenta.

bene

bene velle & posse insunt;at non solùm velle & posse in summis viris sed bene velle & posse ad iustam reipub.administrationem spectant,hæc tria igitur in summis administratoribus ciuitatis sunt necessaria; sed vt sigillatim tractentur ista, primùm de dilectione,tum de potentia; postremò de virtute

1.Dilectio. principum dicemus.Dilectio est beneuola,constans & fidelis affectio animi sic transiens in rem aut personam dilectamvt eidem non minùs bene quã nobismetipsis exoptemus:hanc in primarijs viris ciuitatis postulo, quippè si non diligant remp. cui præsunt, proculdubio non dabunt operã vt in beato statu conseruetur; tædium enim est & molestum nobis illud tueri

Eth.lib.8.c.10. quod non diligimus. Prætereà qui fieri potest vt patres non diligant suos filios?At gubernatores reipub. sunt patres:ergo gubernatores reipub.ciuitatem diligerent.Illud quoq; notum est tyrannos odio suo ciuitates perdere: ergo oportet veros principes easdẽ diligere Huc adde quòd sicut medici morbos

Plat.in.Polit. corporis:ita principes mala ciuitatis tollerent, quod quidem sine beneuolo affectu fieri non potest. Deinceps summi viri sunt ipsa lumina & præcordia ciuitatis: ab illis ergo & splendor & amor in ciuitatẽ fluerent. Nam vt à præcordijs est vita partium si sit consensio: ita à magistratibus est salus ciuium si sit dilectio Quid?An potest aliquis odisse seipsum?sed si princeps non diligat ciuitatem seipsum odit: ergo princeps semper ciuitatem diliget. Maior constat, nam nihil sibi pernicie-em quærit. Minor patet, quia princeps nihil aliud est quàm personata ciuitas.Postremò hanc charitatem in patriam olim

Val.Max.l.5. Liui.decad.1. lib.2.& 7. Exod.32.32. Codrus rex ille Athenien̄sis,Lycurgus rex ille Spartanus, Scęuola,Curtius,alijq; infiniti viri nobiles ostenderũt,qui omnes & singuli mori pro sua patria non dubitarunt.Nihil hic dicam de Moyse duce illo & magistratu optimo, qui potiùs quàm populus periret suum sanctissimum nomen è libro vitæ expungi & obliterari voluit. Alterum quod hîc in moderatoribus reipublicę requirit Philosophus est potestas rerum, quæ nihil aliud est quàm iustè acquisitum in ciuitate imperium.

2.Potestas. Vt ergo per amorem appetitur reipub. conseruatio: ita per potentiam iustitię actio & executio quęritur.Optamus enim bene



bene per dilectionem, at opem præstamus solùm per imperium; sed vt parùm est amare aliquem nisi possis prodesse: ita parum est rempublicam diligere nisi possis adiuuare: dic quales sunt principes sine sceptro, quales sunt summi viri sine imperio? Est ergo potentia in illis necessaria, potentia inquam in leges, potentia in ciues, potentia denique quâ bonos euehere, malos tollere, res magnas tractare & definire possunt: sunt enim principes animatæ leges non ideæ, sunt summi magistratus non idola. Tertium quod requiri- Princeps animata lex.
tur in principibus est virtus seu iustitia (vt textus habet) rei- Cic.3.de legib
publicæ(in qua viuitur)accommodata:nam, vt hîc ait Philo- 3.virtus.
sophus, si non idem ius quadrat omnibus reipublicæ administrandæ formis, iustitia quoque differat necesse est; alio enim modo alij atque alij idipsum sumunt quod iustum est: non quòd iustitiæ habitus & essentia, sed quòd modus & existentia mutetur,vt in ethicis docuimus:quòd verò hæc sit necessaria sic probo.Verus honor non est sine virtute: sed principes viri verum haberent honorem: ergo principes viri virtutem colerent. Prętereà illorum corrupti mores totam ciui-
tatem inficiunt, necesse est ergo vt virtute alijs pręluceant. Pol.2.cap.9.
Porrò qui possunt alios iustè reprehendere & coercere cum ipsi illud Catonis audiant?

*Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.*

Postremò olim non homines sed virtutes maiores nostri ad amplissima in repub. munera extulerunt, cur igitur nunc temporum insignis hic ordo consenescceret? Sequitur in 2.Quæstio.
textu obiter iam alia quæstio,nempè,An in duce exercitus eligendo potiùs scientia rei militaris quã amor virtutis aut ciuitatis spectari debeat?Philosophi sentẽtia hęc est,In imperio "
militari mandando peritia vsuq; rei militaris potiùs quã vir- "
tus spectari solet;rariores enim existũt boni imperatores quã "
boni viri. Quid? an modò tantopere virtutem in summis postulauit,& nunc in imperatore eandem negligit?Animaduertendum hîc est distinctionem virtutis adhibendã esse: nã alia
moralis,quę virum bonum; alia ciuilis, quę ciuem aut magi- Virtus moralis, ciuilis.
stratum studiosum efficit; illa animi,hęc officij virtus vt suprà dicitur.

dicitur. Cùm ergo dicat Philosophus potiùs militaris rei scientiam quàm virtutem in duce exercitus eligendo spectari debere, non absolutè postponit virtutem scientiæ militari, sed comparatè loquutus ait magis in bello hoc ipsum requiri; optandum tamen est vt duces Themistoclem & Scipionem tam in rei militaris disciplina quàm in vitæ integritate imitentur, hoc est vt non solùm hostes sed etiam seipsos vincere & moderari contendant, vt facinora egregia agant & facinora vitæ fugiant. Verùm si eò res deducta sit tandem vt exortâ belli tempestate vel ad rem militarem administrandam aptus, sed improbus; vel erga rempub. benevolè iusteq; affectus, sed scientię militaris inscius sumeretur, virtutem potiùs officij in hoc casu quàm animi spectare oportet: quippè Antonius quamuis Cleopatram diligat, imbelli Catoni qui solam iustitiam colit est præferendus, non quòd Cato non sit vir melior, sed quòd Antonius rei militaris longè peritior habeatur: hæc omnia eò perueniunt vt potiùs leo quàm lepus rebus bellicis præficiatur. Cęterùm si non dux exercitus sed quæstor ciuitatis fieret, maiorem virtutem quàm scientiam requirit Philosophus; in duce enim militaris scientia, in quęstore probitas & conscientia quęritur; quid moror? Rem punctis agam. In electione illa maximè requiritur virtus quâ munus susceptum meliùs præstatur: sed munus imperatoris bellici meliùs scientiâ rei militaris quàm virtute perficitur: ergo in electione imperatoris bellici potiùs scientia militaris quàm virtus requiritur. Præterea sine rei militaris scientia victoria acquiri non potest: at sine vitæ innocentia potest: ergo magis illâ quàm hæc in electione ducis desideratur. Porrò potest aliquis esse bonus ciuis etsi morales virtutes desint: ergo potest aliquis esse dux fortis etsi vitæ integritate careat. Insuper vt leo fortis & tamen rapax, ita dux peritus & tamen vir malus esse potest. Postremò Sylla dux nobilis sed superbus, Coriolanus dux nobilis sed furiosus, dux nobilis Antonius sed intemperans, dux nobilissimus Alexander sed crudelis fuit: quamuis ergo optandum quidem sit vt in belli ducibus factis responderet vita, in electione tamen eorum potiùs bel-

Vide Cic. pro lege Manil.

Ducis virtus & quæstoris diuersa.

Rationes.

Pol. 3. cap. 3.

Plut. in horum vitis.

li



li scientia quàm vitæ ratio considerari debet. Sed dicet hic aliquis quòd omnino in administratione reipub. non desideretur virtus, quippè si suppetat alicui & reipub. gubernandæ facultas, & erga reipub. administrandæ formam beneuolentia, nihil aliud desiderari videatur; nã quid vltra posse & velle in administranda ciuitate requiri potest? Istam obiectionem in textu diluit Arist. ait enim quòd sic se res habeat in administratione ciuitatis ac in gubernatione sui ipsius, sed euenit sæpè vt quis & seipsum diligat & possit operari, defectu tamen virtutis cupiditates sequatur, minusque rectè viuat; ita quamuis magistratus posse & velle habeat erga rempu. si tamen virtus deficit facilè errabit, minusq; iustè & studiosè reget. Nam vt parùm prodest in planta facultas producendi fructum si desit fructus: ita in summo magistratu parui æstimatur gubernandi rempublicam potentia si desit virtus. In potentia semen & intentio, in habitu verò fructus & perfectio inest: non satis est ergo velle, non satis posse, nisi secundùm habitum virtutis opus actioque sequatur. Vtinam hic principes summique viri ac magistratus animaduerterent se sine virtute nihil aliud esse quàm errantes stellas sine luce, florentes plantas sine fructu. Sed de his hactenus, nunc alia pars capitis sequitur, in qua documenta quædam conseruandæ reipu. ab his tribus (de quibus iam diximus) dependentia constant. Horum primum instar oraculi est, nempè vt illa pars ciuitatis superior sit quæ reipublicæ formæ præsenti faueat, eamque saluam esse velit, inferior autem ea quæ rebus nouis studet: sic enim maior firmiorque potentia magistratus, sic diuturnior ciuitatis administratio erit. In altero præcepto requirit Philosophus singularem prudentiam magistratus, vt in qualibet reipublicæ constitutione medium obseruet & perscrutetur, excessus enim pernicioſus est: errant igitur qui in populari statu conseruari rempub. somniant, si omnia decreta fiant popularia. Similiter in oligarchia falluntur qui ignorantes medium omnia trahunt in potentiam diuitum, nam certum est (licèt isti status administrandi rempub. sint labes si optimam ciuitatis formam spectemus) in ijsdem

Dubium.

Resp.

Imperium sui, & reip. similia.

Inanis potẽtia.

Stella sine luce, Planta sine fructu, Princeps sine virtute.

Corollaria politica 4.

1 Inferior sit pars quæ nouis studet.

2 In cõstitutionibus medium seruandũ. Pol. 4. cap. 11.

prudentes viros mediocritatem quandā non latere, à qua deflectentes turpiter errant, ſtatumq́; reipub. ignoranter concutiunt: hoc probat Philoſophus ſimilitudine. Nam vt ſimæ nares aliquantulùm à recto deflexæ ſuam pulchritudinem adhuc non perdunt: ita hæ labes reipub. nempè popularis diuitumq́; potentia (ſi in extrema non tendant) mediocritatē ſeruant; ſed vt illæ nimium aduncę & aquilinæ deformes: ita hæ nimium (vt ita dicam) dentatæ immanes & intolerabiles fiunt. Tertium documentum eſt quòd legumlatores & politici noſſe debeant, quibus rebus quælibet forma ciuitatis cōſeruetur: hinc iuſtè reprehendit Philoſophus antiquas conſuetudines magiſtratuum in nonnullis oligarchijs & democratijs, in quibus olim vltrò citròq; infectis & maleuolis iuramentis ſuſceptis alij alijs vtrimq; perniciem machinati ſunt. Nam cùm neutra adminiſtratio conſiſtere quidem poteſt ſine opulentis & plebe, fieri non poteſt quin labefacta ruat, ſi iureiurando accepto nocendi hinc indè occaſio detur, hoc eſt ſi diuites iurent perniciem plebi, ſi iterùm plebs iurata diuitibus exitio fiat, remedium iſtius mali amor eſt & gratificatio omniū. Poſtremum præceptum eſt vt ciues ab incunabulis ad diſciplinam reipub. legumq́; obſeruationem informentur, ſic enim inſtructi ſine murmure & difficultate maiorum decretis obtemperabunt: nullius ergo rei maior principibus cura eſſe debet quàm educationis omnium, maximè verò procerum in quibus lumen ciuitatis ſplendet. Sed de hac re in Ethicis copioſiùs diximus, & in ſeptimo Politicorum dicturi ſumus, tacitus verò hoc vnum prætereire non poſſum, quòd carpere videatur Ariſtoteles magiſtratus in oligarchijs, qui diuitum filios molliùs & effæminatiùs educari ſinunt, pauperum verò liberos omni laborum genere opprimi & onerari iubent. Quod olim Philoſophus de oligarchicis magiſtratibus dixit, vtinā de moderatoribus rerumpublicarum in hoc ſæculo dicere non liceret; certum eſt mollem indulgentiam procerum luem ciuitatis eſſe maximè peſtiferam, quippè ſi fontes inficiantur neceſſe eſt vt riuuli ſordibus coinquinentur.

3. Politici iudicium de ijs quæ ſtatui profint.

4. Diſciplina ciuium ſecundum leges.

Diſtinctio.



Diſtinctio.

Diſcutiūtur in hoc cap.
- Duę quæſtiones, quarum
  - Altera virtutes principis.
  - Altera officium bellici imperatoris docet.
- Quatuor propoſitiones, quæ ſunt de parte ſuperiore ciuitatis, de medio, de prudentia legumlatorum, de educatione procerum.

Opp. contra primam quęſt.

Opp. *Plura in ſummis magiſtratibus requiruntur quàm dilectio, potentia & virtus: ergò accuratè de iſtis non diſputauit Philoſophus. Antecedens probatur, quia prudentia in omni magiſtratu maximè requiritur, quippe ſine prudentia nomen magiſtratus meretur nemo.* Plut. lib. Cum principe philoſophandum.

Reſp. *Prudentia (vt vult Aquinas) ſub nomine potentiæ continetur, nam potentia eſt triplex, naturæ in robore, rationis in prudentia, ciuilis in amicitia multorum conſtans: prima in ſummis viris non requiritur, duo autem poſtrema genera requiruntur.* Potentia triplex.

Opp. *Dilectio oligarchiæ eſt mala: ergo vt ſtatū magiſtratus diligat in omni ſtatu reipub. non requiritur. Antecedens probatur, quia oligarchia eſt labes ciuitatis, ſed labem reipub. diligere eſt malum: ergo dilectio oligarchiæ eſt mala.*

Reſp. *Primùm negatur quòd oligarchia ſit ſimpliciter labes reipub. nam quamuis opponitur ariſtocratiæ ſimplici, reſpectu tamen mixtæ non penitus habetur mala. Aliter etiam reſpondeo, requiri, vt mali principes malas reipub. formas diligant, ſi eaſdem diu conſeruare velint.*

Opp. *Potentia res eſt imperioſa & ambitione plena: ergo ſummis viris eandem concedere eſt periculoſum. Antecedens probatur, quia potentia eſt reipu. clauus in quo ſalus aut pernicies ciuitatis ponitur.* Potentia clauus reip.

Reſp. *Etſi mali potentiâ abutuntur, non tamen ſequitur quin bonis & ſtudioſis ſit neceſſaria: nam vt illi ad perniciem, ita hij ad ſalutem reipub. hac datâ poteſtate tendunt.* Vide Plut. lib. requiri in principe doctrinam.

Opp. contra ſecundam quęſt.

Opp. *Periculoſum eſt duci nec diligenti patriam, nec colenti virtutem exercitum committere: ſed hæc ponit in textu Philoſophus*

*faciendum: ergò id quod eſt periculoſum hoc loco præſcribit. Maior patet, quia ſi non diligat patriam hac datâ occaſione facilè poteſt euertere, ſi non virtutem colat neque ſe neque alios rectè moderari queat, vt poſteà in textu etiam probatur.*

» Reſp. *Hæc verba Ariſt. multis ſubobſcura videntur, ait enim, Si* » *quis ad ducendum exercitum aptus ſit ſed improbus, atq; erga reipu.* » *adminiſtrandæ formam non beneuolus, eſt tamen bono & beneuolo* » *ad imperium militare præferendus. Notãdum hîc eſt non ſic intelligi Philoſophum quaſi diceret illum rei militari eſſe præficiendum qui nec patriam omnino diligat, nec virtutem colat: ſed comparatè hîc præceptum dare, quòd peritus & expertus rei militaris, tametſi præſenti adminiſtrationi ciuitatis non multùm faueat, ſit belli ignaris & inexpertis hominibus præferendus.*

## CAP. X.

*Vtrum regnum & tyrannis rectè diſtinguantur?*

Diuiſio eorũ quæ ſequũtur.

OSTREMA hæc pars libri eſt in qua cauſæ conſeruandi & corrumpendi reſpub. illas diſſeruntur in quibus vnus ſolùm præeſt ac dominatur. Diſtributa eſt hæc pars in tria capita, quorum primum cauſas euertendæ tyrannidis & monarchiæ, ſecundum cauſas vtriuſque conſeruandæ, tertiũ Platonis de cauſis errata continet.

Cap. diſtribut.

In hoc primo capite huius tractatus diſcutiuntur duo, propoſitio & comparatio: propoſitio eſt rerum de quibus deinceps dicere propoſuit, comparatio in diſtinctione regni & tyrannidis conſiſtit. Propoſitio hæc eſt. Reſtat vt de » monarchia diſſeramus, & quibus rebus ſoleat interire, & quibus conſeruari. Huc addit Philoſophus quòd quæcunque ſuprà de ariſtocratia, oligarchia, & democratia dixerit, eadem de regno & tyrannide nunc quidem dici poſſint. Nam monarchia perſimilis eſt ariſtocratiæ, tyrannis verò ex popularis diuitumque potentiæ vitijs extremis conſtat: eſt ergo (vt



(vt ſuperiùs demonſtratum eſt) omnium deterrima, vtpote quæ ex duobus reipub. erratis eiſque peſſimis coaleſcat, quorum omnes deflexiones & facinora in ſe veluti in vnum globum congeſta continet. Hanc propoſitionem comparatio ſequitur, quæ diſcrimina regni & tyrannidis comprehendit. Differunt ergo regnum & tyrãnis in ſeptem, nimirũ ortu, materiâ, formâ, fine, prærogatiuâ, cuſtodiâ, actione & modo imperandi. De diſtinctione ortus hunc ſyllogiſmum ex textu colligo. Regnum ad bonorum perfugium ac præſidium aduerſus populi iniuriam comparatum eſt, & rex ipſe conſtituitur ex viris bonis propter excellentiam vel virtutis, vel rerum geſtarum, vel generis, vel beneficiorum, vel potentiæ, quæ in his cunctis cernitur. Sic olim aliquot reges facti ſunt quia iugum ſeruitutis in bello à ceruicibus ſociorum depulerint, vt Codrus; alij quia ſuos liberarint, vt Cyrus; alij quia fines ſuos propagarint, vt Lacedæmoniorum, Macedonum, Moloſſorum & Romanorum reges: ſed tyrannis ex populo & multitudine conſtituitur aduerſus nobiles & illuſtres viros, ne ſcilicet populus iniuriâ ab eis afficeretur: & ſanè maxima tyrannorum turba ex leuiſsimis populi cuſtodibus (nobilibus falſò criminãdis & calumniandis) orta eſt: ſic Panætius apud Leontinos, Cypſelus Corinthi, Piſiſtratus Athenis, Dionyſius Syracuſis; quid multis? Sic Philon apud Argiuos, Phalaris apud Agrigentinos, Richardus tertius apud Anglos in tyrannides proruperunt: Regnum ergo & tyrannis in ratione ſui ortus differunt. Differunt quoq; hęc duo in materia, nam obiectũ regis pax eſt & iuſtitia: at tyrannis ſeditionem, libidinem & iniuſtitiã quęrit. Tertium in quo differunt eſt forma, nã rex definitur cuſtos ſocietatis, cuius eſt opulẽtos ab iniurijs plebis, & plebem à contumelijs magnorum tegere: ſed tyrannus nullo communis vtilitatis habito reſpectu non ſuis ſed ſibi conſulit, omniaq; ad ſui ipſius libidinem vertit. Differunt etiam in fine, quia regis ſcopus eſt honeſtas, tyranni voluptas & deuaſtatio ciuitatis. Cuſtodiâ, nam ſatellitium regis conſtat ex ciuibus, tyranni verò ex peregrinis. Prærogatiuâ, quia regis imperium heroicis virtutibus, tyranni verò adminiſtratio malè

Tyrannis deterrima. Pol. 4. c. 2. & 11.
Thom. de reg. pri. lib. 1. 3.
Tyrannidis à regno differentiæ 7.
1. Ortus.
Pol. 3. cap. 10. & 11.
Cic. de off. l. 2.
Iuſtin. l. 2. Herodot.
Iuſtin l. 1. Diod. Sic. lib. 2.
Plat. pol l. 8. ad finem.
Plut in Solon.
Diod. Sic. l. 13. c. 29. & 30.
2. Materia.
3. Forma. Cic. de off. l. 2.
4. Finis.
5. Cuſtodia. Pol. 3. cap. 10.
6. Prærogatiua.

7. Modus imper.

quæsitis opibus decoratur. Modo imperandi, quia regnum infinita bona habet, quibus officium honorificè præstare potest: at tyrannis omnia mala democratiæ & oligarchiæ continet; oligarchiæ, quia diuitias tanquam finem sibi proponit, quia sui custodiam & saginationem quærit, quia populo in nulla re credit, quia ciues armis priuat, oppressionibus affligit, ex vrbe ejcit, omnia pro libidine furenter agit. Democratiæ, quoniam primarios odio habet, nobiles insidiosè tollit, palam aliquando in exilium agit, sibi infestos accusari, condemnari, occidi iubet, vndè illud Periandri consilium fuit, quod Thrasibulo de eminentioribus papauerum capitibus decurtandis dedit. Est enim proprium (vt aiunt) quarto modo tyrannis nobilissimas, antiquissimas, optimasque familias è medio aut vi aut insidijs tollere. Hac distinctione factâ inter regnum & tyrannidem sequitur vt primùm de conuersione, tum de conseruatione monarchiæ cum Aristotele dicamus. In conuersione debent considerari duo, causæ & modi; causæ sunt aut communes aut propriæ: communes quinque, iniustitia, metus, contemptus, lucrum, ambitio: propriæ quæ causis conseruantibus (de quibus postea disputatum est) opponuntur. Modi duo sunt, internus vt tyrannis aut seditio, externus vt bellum hostisq; inuasio. Causæ communes dicuntur, quia eadem sunt principia & regnum & optimatum potentiam euertendi, eadem tyrannidis paucorum & popularis imperij. Nam vt regnum & aristocratia ex bonis: ita tyrannis & vltimæ popularis & paucorum potētiæ species ex pessimis viris legibusq; constant. Sed ad quinq; causas redeamus, prima iniustitia est, quæ (vt hîc docet Philosophus) versatur aut in iniuria, aut in rapinis. Iniuria autem vel nomini per contumeliam, aut corpori per stuprum aut plagam infertur: quid moror? Impatientes sumus contumeliæ, nominisque fama tenera est, quæ nec angi nec tangi debet: si verò pestiferum malitiosi dentem aculeumq; senserit, continuò iracundiâ ardet celeriq; motu ad appetendam vindictā rapitur. Hinc Harmodius Pisistratidas illos Athenis tyrannidem exercentes deleuit, quia probro & dedecore sororem

Tyrannis quid debeat oligarchiæ, & quid democratiæ.

Periandri consilium. Vide Herod. in Terpsich.

Monarchię euersionis causæ communes quinque. Vide Macch. in Liui. l. 3. c. 6.

1. Iniustitia, in iniuria vel rapina. Vide cap. 11.

Iustin. lib. 2.



rem suam affecerunt. Meritò Periander (monstrum illud tyrannidis & libidinis) vim & insidias vitæ sustinuit, quia inter pocula Alexim suum interrogauit, vtrùm necne ex se pregnans esset. Philippus rex ille Macedonum à Pausania satellite occisus est, quòd iniuriam ab Attalo eidem Pausaniæ illatam non vindicauit. Nihil hîc dicam de Amynta, de Euagora, Archelao, alijsque plurimis, qui pro exemplis in textu à Philosopho apertissimè ducuntur, eò vt opinor, quò reges intelligant, nihil magis eneruare magna imperia quàm iniuriam, nihil citiùs tollere quàm contumeliam. Secunda causa regnum euertendi est metus: hinc illud, Pessimus est custos diuturnitatis metus. Exemplum in hac re est Artabanus, qui criminationem quæ ad Darium pertinebat extimescens Xerxem adortus interemit. Tertia causa contemptus est vitęq; turpitudo, quæ odium personæ gignit; sic Arbactus (Medus ille) Sardanapalum regem cum scortis colum telasque trahentem à regno in roguni impulit; sic Dionysio iuniori (quia solitus est quotidie inebriari) Dion vim & insidias fecit. Cyrus quoque Astyagem oppressit, quia & illum & suos milites otio & luxuriâ corruptos & veluti liquefactos obseruauit. Quarta causa lucrum est & siticulosa rerum cupiditas seu auaritia, huius studio ac ęstu inflammatus Mithridates in Ariobarzanem vi & armis rapitur. Postrema causa ambitio est, de qua sępè diximus, in hac audaces & prędentes naturâ plurimùm ciuitatem lædunt. Audent enim omne facinus, vt aliquo modo celebres & noti fiant. Romam accendit Nero vt nomen, Herostratus flammis Dianæ templum exussit vt sibi famam quæreret, sed pessima fama est quam ignominia sequitur. Pauciores (inquit Philosophus) ex hoc numero & naturâ sunt, hoc enim definitum & inconcussum tenere debent, actum scilicet de sua vita esse, si improbum conatum non sequatur effectus. At vereor certè ne nimis multi hodie Bruti & Cassij viuant, qui nihil de salute sua laborantes audent in senatu suos Cæsares vulnerare. Dionis fortasse (vt est in textu) persuasionem habent, qui paruâ manu Dionysium aggressus, dixisse fertur,

Iust. l. 9. & Plut. in Alexand.

2. Metus. Cic. de off. l. 2. Iust. l. 3 Diod. Sic. l. 11. c. 15.

3. Contęptus. Plut. Lan seni gerend. resp. Iustin. l. 1. Diod. Sic. lib. 2. Plut. in Dion. Diod. Sic l. 6. Xenoph. Cyri pæd. lib. 1.

4. Lucrum.

5. ambitio.

Sueton. in Neron. cap. 38.

Vide Macch. in Liu. l. 3. c. 6.

Horat in epist. *Est aliquid prodire tenus si non datur vltrà.*

Minax omen mali est, cum tales in repub. viuant, qui vitâ suâ posthabitâ tanta audent scelera, tantaq; facinora aggrediuntur. Nimis ergo cauti, nimis prouidentes non possunt esse Argi Mercurijque ciuitatis, quorum est non solùm vultures sed etiam pullos ambitionis in ipsis nidis suffocare. His positis de causis euertentibus regnum, proximè de causis tyrannidis corrumpendæ agitur; hæ causæ duę sunt, externa & domestica: externa, cum aliqua respub. aduersaria tyrannidi eâque longè potentior impẽdet: animaduertendum hîc est tyrannidi popularem statum, paucorum potentiam, aristocratiam & regnum aduersari. Sed dices: quomodò popularis paucorumq; potentia contrariari possunt, cùm ex illis in postrema specie tyrãnis constet? Dicendum est, quòd istæ huic non per se & vi suâ vt bonum malo, sed casu & fortuitò vt figulus figulo opponuntur: regnum autem & optimatum imperiũ per se tyrãnidi repugnant & aduersantur, quippè ad diuersos oppositosq; fines tendunt. Altera causa interna est nẽpè seditio, cùm tyranni inter se dissident, vt exempla Gelonis, Thrasibuli, Dionysij & Dionis in textu manifestè docent. Sed quæret hîc aliquis, quænam sint causæ vt tyranni insidijs petantur? Respondet Arist. potissimùm duas esse, odium & contemptum, quibus iram addit, sed ira pars odij est, quâ furentes affectus in animo concitantur. In ira enim nullus rationi locus est, præsertim si contumeliâ aut iniuriâ prouocetur: hinc Pisistratidę Athenis olim eiecti fuerunt. Cęterùm longè violentior animi passio habetur odium, quod perpetuò in Phalarides (id est) crudeles & truculentos tyrannos ardet. Quod ad contemptum attinet, is indè oritur quoniam plerumque omnes tyranni libidinosè ac voluptuariè viuant: motu enim præcipiti dilabentes in omne genus libidinis, se contemptui exponunt, multasq; insidiantibus occasiones præbent. Vt odium & contemptus sunt propriæ causæ euertendæ tyrannidis: ita regnum suas interitiones & quasi fata extrema habet. Duobus enim modis interit; vel extrinsecus, cùm potentior inuadit hostis; vel intrinsecus ac domesticè, idq;

Ex pessimo genere ne catulus habendus. Vict. in vita Maxim.

Causæ euertentes tyrannidem duę. 1. Externa.

Hesiod. l. dier. & noct.

2. Interna.

Herod. lib. 7.

Dubium.

Ira cum dolore, Odium doloris expers. Iustin. lib. 2.

Modi quibus interit regnũ.



idq; bifariam, aut cùm regni participes & amici regũ inter se discordant; aut cum ipsi reges tyrannicè & contra leges imperant: si verò regnum iure naturę ac successionis alicui obtigerit, tum verendum est, nè aliquandò nutet, cum homines inepti & contemnendi honore regali decorentur. Nam vt prudentia conseruat: ita stultitia & ignorantia nauem reip. in Syrtes pellunt; atque hęc de causis ac modis quibus regna & tyrannides conuertuntur.

Regni ruinæ, dissidium, legum violatio. Contemptus in hæreditarijs.

## Distinctio.




Opp. *Tyrannis non est omnium administrationum deterrima: ergo non rectè sic esse in textu concluditur. Antecedens patet, quia natura hominem non flectit & inclinat ad deterrimum: sed natura hominem flectit & inclinat ad finem tyrannidis, nempè ad proprium & priuatum bonum: ergo tyrannis non est omnium administrationum deterrima.*

Tyrannorum meta.

Resp. *Quamuis vnusquisq; benè sibi potiùs quàm alteri mallet, idq; secundùm naturam; est tamen monstrum hominis non homo qui societatem fugit, nullamq; communis vtilitatis rationem habet, ortus enim nostri partem parentes, partem patria vendicat: qui*

Fera aut deus. Pol. 1. cap. 2. Cic. de off. 1.

*ergo se solùm diligit is contra naturam viuit, quæ illum animal societatis & communionis particeps in vtero materno finxit: natura ergo tyrannidis non fauet, quæ omnia ad non ens, vacuum, & violentum ducit.*

Cap. 3.4.5.6.7. Opp. *Causæ conuersionis quæ hìc enumerantur antè tractatæ fuerunt; ergo hoc loco nugatur Philosophus. Antecedens probatur, quia iniustitiam, metum, contemptum &c. causas esse euertendi alias rerumpub. formas antè demonstrauit.*

Ambitio populi, principũ. Resp. *Hæ quas obijcis causæ communes non propriæ dicuntur. Præterea alio alioq; modo affectæ possunt esse causæ propriæ diuersarum mutationum, vt ambitio populi democratiam, ambitio regis monarchiam perdit.*

Plut.l.Cum principe philosophandum. Opp. *Maxima causa euertendi regnum est assentatio regis: sed ista causa inter cæteras non recensetur: ergo minùs accuratè conuersionis causæ demonstrantur. Antecedens constat, quia nihil magis principes corrumpit quàm assentatio, nihil periculosiùs decipit quàm adulator, qui auribus nihil præter placentia canit.*

Vide Antimacch.com.1. theor.2. Resp. *De hac causa anteà satis copiosè disputauit, non opus ergo fuit nunc adhibere. Porrò eandem etiam hoc loco non neglexit, cùm in principio huius cap. dicat ex lenibus blandisq; populi ductoribus reges sæpè tyrannos fieri.*

Opp. *Docet Philosophus popularem paucorumq; potentias opponi tyrannidi: ergo ex eisdem componi non potest, vt hìc contendit. Antecedens est in textu. Ratio probatur, quia nihil ex contrarijs componitur.*

Resp. *Democratia & oligarchia illæ duæ extremæ species dicuntur opponi, non quòd simpliciter & absolutè tyrannidi repugnent, sed quia vt figulus figulum eandem impediant.*

## Dubia capitis.

*Vtrum tyrannis possit esse diuturna?*

*Vtrum rex publicâ famâ laborans regno priuari debeat?*

Pol.4.cap.2. Cur tyrannis sit iniquissima rationes. INTER omnes formas labesq; ciuitatis tyrannis est vltrà quàm dici potest iniquissima: rationes in textu sunt de quibus olim copiosè diximus, placet tamen easdem (quoniam



niam ad institutum spectant) paucis repetere. Tyrannis longissimè omnium à studio communis boni discedit: ergo est inter omnes iniquissima. Antecedens constat, quia in democratia bonum multitudinis, in oligarchia bonum diuitum, in tyrannide verò bonum tantummodo vnius quæritur. Præterea tyrannis est maximè contra naturam & violenta, cum homines à natura liberos diro seruitutis iugo vulnerat: ergo est omnium deterrima. Porro tyrannis omnium malorum in repub. sentinam ad se trahit, cum vniuersa popularis paucorumq; potentię scelera in se comprehendat: ergo est præ reliquis pernicioſissima. Postremò maxima bona ciuitatis extinguit, vt pacem, virtutem, ordinem, legem, nobilitatem: ergo est intolerabilis. Singula ista nobis argumẽto esse possunt, vt probemus tyrannidem diuturnam esse nõ posse: nam si maximè omnium à studio boni communis desciuerit, diu constare non potest, quippè salus reipub. in studio virtutis, pernicies in malorum colluuione ponitur. Præterea quod violentum & contra naturam est diu constare nõ potest: sed probatum est tyrannidem esse violentam & contra naturam: ergo diu florere non potest. Porrò quò plura sunt mala eò violentiùs ruunt, nam vt copiosi halitus sursum rapti motuq; violento accensi in fulmina prorumpunt, quæ citò apparent citoq; extinguuntur: ita tyranni in altum vecti animoq; tumido elati scelerum suorum furijs agitantur, quæ diu ardere non possunt; verùm vt fulmine disruptæ ac dissolutæ nubes euanescũt: ita tyrannorum furore rerumpublicarum naues concussæ pereunt. Deinceps sublatis pace, virtute, ordine, lege ac nobilitate, quî fieri potest vt diu imperium constet? Nam vt columinibus dilapsis declinat ædificium: ita his sublatis, quæ sunt veluti præsidia ciuitatis, necesse est vt totum langueat imperium. Postremò huc addi possunt alia argumenta à comparatione, similitudine & exemplo. A comparatione, quia tyrannis omnes causas sui interitus habet, quas aliæ omnes & singulæ reipublicæ formæ furięque habent: ergo diuturna esse non potest. A similitudine corporis naturalis; sicut enim corpus illud diu viuere

Vide Thom. de regin. princ. lib.1.3.

Cur non sit diuturna.

Arist.de cœlo & mundo lib. 1.& 2.

Tyranni fulmina.

Iuncta nocẽt.

Tyrannis malorum sentina.

viuere non potest in quo maxima omnium humorum dyscratia & intemperies inest: ita tyrannis in qua omnium malorum sentina & colluuies manat diuturna esse non potest. Ab exemplo Dionysij, Phalaridis, Neronis, aliorumque plurimorum, qui præmaturâ morte & vitam & sceptrum amiserunt. Nam verum est illud,

Iuuenal.

*Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci*
*Descendunt reges, & siccâ morte tyranni.*

Dubium. 2.

Altera dubitatio est, an rex publicâ famâ laborãs regno priuari debeat? Dionysius iunior ille propter insignem ebrietatem, propter mollitiem animi rex ille Sardanapalus, Periander, Ambracianus imperator propter non nominandum scelus, alij quoque permulti (vt perspicuum est in textu) propter nominis ingloriam, vitæ, famæ & imperij vniuersam

Plut. in Dione. Diod. Sic lib. 6. Iustin. lib. 1.

» eclipsim pertulerunt. Multę (inquit Philosophus) impressiones factæ sunt in quosdam principes monarchas, propterea

à Cratæo in Archelaum.

» quòd pudicitiam alicui eripuissent. Et iterùm, Nonnulli ex amicis principes adoriuntur propter contemptum vitæ: & alibi; dum (inquit) libidinosè & voluptariè viuunt, multas ijs qui adoriri volunt occasiones adoriendi præbent. Miror certè cur ista à quibusdam adducantur exempla, quasi probarent licitum esse principes regali sceptro iustè decoratos ob vitæ dedecus regno spoliare: estnè hoc reipub. consulere? Estnè hoc ciuium saluti prouidere? Siccinè nomen regis colitur? Siccinè deus in regis persona adoratur? Certè quidem hoc non licet, respondeo igitur hæc exempla esse facti non iuris; eademq; tyranni, non regis. Agnosco tamen plurimùm vitæ spurcitie regiam maiestatem obscurari; sed vt mala fortunæ beatitudinem labefactant illa quidem, non autem tollunt: ita flagitia vitæ regalem splendorem obscurant, officium regis tamen non extinguunt: rex ergo publicâ famâ laborans regno priuari non debet. hoc verò concisè sic probo.

Caligula coniuratis.

Vide Thom. de regin. prin. lib. 1. 6.

Exempla facti non iuris.

Contra tyrannicidium.

In persona officioq; regis consistit salus totius ciuitatis: ergo ob turpitudinem vitæ sceptro spoliari non debet. Præterea

mutatio



mutatio legis malæ est periculosa: multò igitur periculosior est mutatio regis. Immò lex sæpè pernicioſa toleratur: ergo multò magis rex malus permittendus. Huc adde, quòd vitia sint infirmitatis non muneris, viri non officij: officium ergo intactum manere debet, etsi vir sæpè pernicioſè viuat. Porrò vt planta non est radicitus euellenda, tametsi aliquos ramos putrescentes ferat, semperque fructum non fundat: ita reges penitùs extingui non debent, tametsi vitæ ac nominis suos nævos habeant. Deinceps pauci sunt reges qui malè non audiunt, nam illorum comes inuidia, & vmbra contumelia dicitur; at qualis fenestra ad omnem nequitiam rabiemque patefiet si reges ob inuidiam deponantur? Postremò nec lex, nec consuetudo, nec exempla maiorum iubent, vt reges propter vitę labes sua sceptra perdant: videtur ergo non licere: nam quamuis legimus de quibusdam qui sub prætextu vindicandi scelera, quæ in regibus scatere dixerint, hoc facinus perpetrauerint: illos tamen patricidas ac proditores non iustos ciues nominamus.

Pol. 2. cap. 6. & 4. cap. 1.

Vitia viri sunt non officij.

Regum comes inuidia.

Tyrannicidæ parricidæ.

## Opp. contra primum dubium.

Opp. *Multa traduntur à Philosopho in proximo cap. conseruandæ tyrannidis præcepta & media: ergo videtur, quod possit esse diuturna, nam aliter frustra conseruandi media assignarentur. Præterea antiquitas docet tyrannidem Athenis, Lacedæmone, Romæ diu floruisse: constat ergo posse diuturnam esse. Deinceps quis nunc non videt tyrannidem Turcarum diutissimè permansisse? Postremò vt media aeris regio perpetuò manet frigidissima, etsi violenta sit & contra naturam hæc frigoris impressio: ita tyrannica administratio manere potest diuturna, etsi cæde & sanguine sit acquisita; si enim papauerum capita amputentur, pedes ciuitatis non possunt resistere.*

Tyrannidis columnæ.

Vt à Tarquinio.

Resp. *Prima pars argumenti non sequitur, nam etsi multa conseruandæ tyrannidis assignentur media, sunt tamen illa mala & imbecilla: Nam vt mortifero accepto vulnere frustra propinantur medicinæ, quippè mors sequetur: ita tyrannidis (quæ est maximum*

*reipub.*

*reipub. vulnus) frustra conseruandæ traduntur præcepta, quippe violento motu orta statim lapsa conuelletur. Altera pars argumenti nihil probat, nam in illis rebus pub. quæ nominantur anchoram*

Pol. 1. cap. 3. *nullam tyrannis habuit. De Turcarum imperio dicendum est, quòd respectu Barbarorum seruorumq; naturâ non sit tyrannicum. Nam vt domini & serui est naturalis relatio: ita herilis administratio Turcarum si seruilem populum sub illo imperio spectes, non iniusta nec contra naturam serui libenter id subeuntis esse videtur.*

Opp. *Qui regnum perdit dignus est priuari regno: sed rex publicâ famâ laborans regnum perdit: ergo rex publicâ famâ laborans dignus est priuari regno. Maior constat, quia indignus est honore qui vitæ indignitate honorem spernit. Minor probatur, quia rex*

Plut. lib. Cum princ. philosophandum. Saulem, Roboam, Ioram Ochoziam, &c. *publicâ famâ laborans suo sceleris exemplo totam ciuitatem in perniciem ducit, vt Sardanapalus monstrum libidinis ad mollitiem animi, Nero portentum crudelitatis ad feritatẽ, Iulianus apostata totum populum ad hæresin & paganismum traxit. Præterea sacra Philosophia docet multos ob vitæ impietatem regno caruisse.*

Resp. *Fatendum quidem est à principe in populum habitum boni vel mali citissimè transfundi ac deriuari; hoc tamen nõ arguit regno spoliandum esse, quippè turpitudo regis (vt ais) regnum non perdit, neq; populum nisi volentem ad vitæ foeditatem trahit; est enim peccatum voluntarium, & populus non ad labes principis sed ad leges ciuitatis suam vitam dirigeret. Sit ergo Sardanapalus, Nero, Iulianus, dissolutus, tyrannus, hæreticus; populus tamen castus, clemens & pius esse potest, si se legibus diuinis non moribus humanis subijciat. Quæ addis ex sacra Philosophia vim legis non habent, quippè ab exemplis lex vniuersalis non trahitur, aliter non minùs Salomon quàm Saul regni iure priuatus fuisset.*

Legibus viuendum.

CAP.



## CAP. XI.

*An regibus conueniat academias tollere, artiumq; scholas prohibere?*

INCEPS hîc sum, vtrùm melius sit de conseruatione tyrannidis plura nunc scribere quàm de re tam vili & periculosa penitùs tacere; si Arist. sequar dicendũ est, at vereor ne Machiauellus sub sua larua & pallio rideat: Hinc enim suum venenum hausit, hinc sua principia & fundamenta petijt, hinc suum principem vel potius tyrannum didicit: quid agam igitur? Si scribam carpet, si non scribam triumphabit: at scribam. Nam vt medici de veneno præcepta tradunt, vt cognitum illud vel omninò euitetur, vel cum alijs alexipharmacis temperatum ad virus pestilentius expellendum valeat: ita politici de tyrannide philosophari possunt, aut vt tollatur penitùs, aut vt cum alijs administrandi formis admixta seditionis vires impetusq; frangat. Si ergo hoc loco quæras cur tam amplè, solicitè ac copiosè de causis conseruandæ tyrannidis disputet Philosophus: Respõdeo hoc non feciſſe quia fauet, sed vt tyrannorum sophismatis & arcanis ad viuum reseratis, nos illorum insidias citiùs fugiamus. Non enim optat tyrannidẽ conseruari, sed conseruandi artes & modos (quibus vtuntur Nerones) docet; si ijsdem vtaris ad perniciem ciuitatis, abuteris Philosopho, qui hoc non suasit; si ijsdẽ prẽmonitus vigilantiùs ciuitatem cures, Arist. sapis, nam id persuasit. Sed ad Arist. textum me conferam, in quo de causis conseruandi regnum & tyrannidẽ vberiùs differit, primùm generatim de vtroq;, tum speciatim de tyrãnide. Generalis regula hæc est, quòd duo ista administrandi genera ex contrarijs cõseruentur, causę enim cõtrarię producũt cõtrarios effectus; si enim

Macch. de principe.

Mala vt venena propinanda.

ea

ea quæ ſuperiùs demonſtrata ſunt corrumpant has formas, neceſſe eſt vt eis contraria conſeruent & tueantur: Exempli cauſâ, odium frangit, amor conſeruat regnum. In ſpecie autem regni conſeruandi cauſa eſt imperandi moderatio. hoc eſt, cum principes inextinguibili honorum ſiti non ardent, ſed ſuis finibus contenti viuunt: quo enim pauciora ſunt in quibus illis permittitur imperiũ, eo tutius & diuturnius ipſum imperium manet, reges enim hoc modo inſtructi minus ferociunt minuſque heriles & tyranni fiunt; hinc inde reges apud Moloſſos per multas ætates hominum floruere. Ferunt Theopompum regem illum Lacedæmoniorum Nicandri filium Ephoros regibus oppoſitos inſtituiſſe, regiamq; hoc modo maieſtatem aliquantùlum imminuiſſe: hic poſteà à ſua vxore interrogatus, an non puderet minorem poteſtatem liberis ſuis relinquere, quàm ipſe à patre accepiſſet, minorem (inquit) mea coniux forſan relinquo, ſed firmiorem ac diuturniorem trado. Sunt enim magna imperia magnis ſubiecta caſibus, & Iouis fulmina ſæpè in alta cadunt, meliùs exiguo viuitur, & rex ſuis contentus diutiſſimè conſeruatur. Supereſt nunc tandem vt cauſas conſeruandæ tyrannidis exponam: inuitus quidem hoc facio, ſed imitatus Philoſophum hoc animo me facturum dico id, vt pulli ſcorpionis non citiùs excluſi quàm ſuffocati videantur; ſcio equidem non ſine periculo carbunculos vlceraq; peſtis diſſecari poſſe. Nam vt ex illis ſanies peſtifera halituſq; contagioſus fluit, quo ſpiritus vitales inficiuntur: ita hoc patefacto vulnere quo grauius non eſt in ciuitate, ſubtimeo ne pernicioſi ſimul cum aere fætidum vaporem in ſua præcordia hauriant. Sed ad rem. Duo ſunt tyrannidis conſeruandæ media; vnũ Perſicum & immane, alterum ſophiſticum & diſſimulatione plenum; illud cæde, ſanguine & oppreſſione, hoc fraude, hypocriſi & perfidiâ conſtat; illud in primo actu & ſcenâ leones & cannibales oſtendit, hoc verò ſub toga gladium, ſub nube fulmẽ habet; in illo ſine modo ſceleris, in hoc ſub ſpecie virtutis conuiuia truculenta fiunt; illud denique apud Barbaros ſolum, hoc verò (proh dolor) apud Chriſtianos viuit.

Cauſæ ſpeciales regni conſeruandi.

Imperij moderatio.

Herodot. Lycurg. in Clio. Plut. in Lycur.

Idem Theop. Plut. in Lacó.

Cauſæ conſeruandæ tyran.

Altera perfica altera ſophiſtica.



viuit. Nam regna nunc temporũ non habentur tuta, niſi vulpes quaſi coniugatæ ſegetẽ meſſemq; populi faculis accenſis vaſtent. Phalaris, Nero, Periander, Hercules furens in prima tragędia; Mithridates, Tygranes, Cæſar, alijq; innumerabiles in ſecũdâ ſua fata lugent. Prima tragędia quę Barbarorũ eſt tredecim furias eaſdemq; feras & feroces habet, quarum voces horribiles & execrandas numero & ordine ſequutus Philoſophum hîc recitabo. Iſtarum prima tota flammigera veluti ab inferis in theatrũ prodiens, hanc legẽ tradit. Nobiles (inquit) & ſapientes viri tanquã eminentiora papauerum capita obtruncentur; mortui enim nõ mordent, vires ſepultę non lędunt, potentes oppreſſi non nocent; ſi ergo in altum accreſcant cedri exſcindantur, nam ſi diutiùs viuant nocebunt plurimũ. Sed vide quid agas. Nam vt ſublatis columnis ruit ędificium: ita extinctis nobilibus cadit imperiũ. Secunda inter nigras ſorores paulò lenior eſt, violenta tamẽ, nam ſic loquitur, Sodalitates & conuiuia in ciuitate funditùs prohibeantur, & quid ita? Certè nè cõcordia, quæ eſt infeſta tyrannidi, inter ciues hoc modo alatur: ſed caue, nã ſine concordia nec domus nec ciuitas diu cõſtare poteſt. Tertia Megerâ furentior, capitali odio in Palladem concepto, fulmina in arces Muſarum mittit. Tollantur (inquit) ſcholę, tollantur Muſę, honeſta inſtitutio, diſciplina ac ſapientia tollantur, tollantur deniq; Athenæ in quibus mores iuuentutis effæminantur, franguntur vires, futiles quæſtiones mouentur, noua de lana caprina phantaſmata diſcutiuntur, magna excuduntur de Deo, de fide, de ciuitate leuiſſimarũ opinionum monſtra. Itanè peſſima faſcinatrix ais? Vis tolli ſcholas? Vis tolli Muſas? Vis ſacras ædes & artes tolli? Patienter immanitatẽ hanc tuam non fero, & quamuis Meduſæ caput geris, in te tuamq; funeſtam vocem dicere non ceſſabo: ſit ergo hæc quęſtio, An fas ſit regibus academias tollere, artiumq; ſcholas prohibere? Licet ais, at non decere dico, idq; punctis, ſic tandem probo. Academiæ & artes ſunt lumina & fontes ſapientiæ, à quibus ſplendor & ſapor virtutis in omnes partes reip. fluunt: ergo eaſdẽ tollere nõ licebit. Antecedens cõſtat,

Immanitatis 13. furiæ.

Prima nobilium laniena. Theodotus. Plu. in Pomp. Mach. de prin cap. 3. Sebaſt. Fox. lib. 3.

Secunda ſodalitatum prohibitio.

Tertia Scholarum euerſio.

Dubium.

Pro academijs.

Academiæ orbes, artes sidera. Academię vt oculi.

quia academiæ sunt veluti Musarum orbes, & artes sidera in illis fixa: at nisi orbes suum motum, sidera suam lucem habeant, quæ vita rerum, quæ influentia erit? Præterea vt oculi sunt in corpore, ita academiæ & artes sunt in ciuitate: sed oculos effodere non licet: ergo academias & artes tollere non licebit. Propositio aperta est, quia vt oculi omnia mẽbra corporis, ita academiæ omnes reip. partes illustrant. Assumptio probatur, quia vt prohibet natura oculos euellere: ita prohibet iustitia Athenas & Musas tollere. Deinceps cõtra ius naturæ ac rationis est academias tollere: ergo eas tollere non licet. Antecedẽs perspicuũ hinc est, quia natura cõfusionẽ, ratio ignorantiã fugit, quæ tamẽ duo sublatis academijs artiumq́; scholis sequuntur necessariò. Quæ enim cognitio rerum sine arte, quis ordo sine toga, quę administratio ciuitatis sine doctrina & sapientia esse potest? Insuper quæ sunt honorifica, bona & necessaria in rep. tollere nõ oportet: sed academiæ artiumq́; scholæ sunt honorificæ, bonæ & necessariæ in rep. ergo illas tollere non licet. Honorificæ sunt, quia verũ honorẽ; bonę quia candorẽ vitę, necessarię quia in rep. ciuiũ ordinẽ & amorẽ pariũt. Huc adde quòd reges perpetuò studere debeant bono & conseruationi ciuitatis, quod certè facere non videntur si academias tollant: nã quid magis licentiam morũ, perturbationem rerum, barbaritatẽ plebis, tyrannidem principis gignit, quàm bonarũ literarũ naufragium & casus? Porrò atroces tyranni hoc agunt: ergo iustis regibus id agere non licebit. Antecedens patet, quia truculenti olim carnifices Athenas (fastum totius Grecię, sidus & lumẽ) penitus extinxerunt: sic Iulianus funestus apostata Christianorum gymnasia sustulit, artiumq́; professoribus silentium iussit; sic in Hungaria alijsq́ue eximijs mundi partibus (quas Mahometes vicit) academiæ, scholæ & artes immanitate oppressæ iacent. Norunt enim crudelitatis mõstra Palladẽ & tyrannidẽ, amorem artis & Martis furorẽ, sapientiæ lumen & ignorantiã, studiũ virtutis & odiũ ciuitatis simul cohabitare nõ posse. Multa hic alia se offerũt argumẽta quibus probetur hęc causa, sed infinitum esset omnia quæ

Academiæ à tyrannis dissolutæ.

velim



velim de re tanta scribere, pauca tamen hæc addam si non sim molestus, nempe à tempore, à testimonio, ab exemplo. A tempore, quia omnes ętates hominũ academias & artes approbarunt: eas ergo tollere nõ licet. De antecedẽte dubitari non potest, cùm constet (si historijs fides adhibeatur) omnes sciẽtias post diluuiũ colũnis lapideis insculptas posteris apparuisse; constat deũ solem, lunã, aliaq́; cœli lumina dedisse in signa temporum; probabile ergo est primã ętatẽ honorasse astronomiã; constat Tubalem Adami filiũ inuenisse musicã; cõstat Chaldęos in omni arte fuisse instructissimos, quod fieri non potuit si à maioribus suis artes non didicissent. Superfluum esset alias ętates ordine percensere: nihil ergo hîc dicam de Moyse alijsq́; gubernatoribus filiorum Israel, qui omni scientiâ Chaldęorum ac Aegyptiorum fuerũt imbuti: nihil hîc de Samuele cæterisq́; prophetis, qui Rama Gilead sua collegia & academiã habuerunt. Nihil hîc de Paulo qui disputando sępè in schola cuiusdã Philosophi nomine Tyrãni, adeoq́; Athenis nõ contępsisse sed approbasse venerabile nomen academię videtur: nihil de Cõstantino, Theodosio alijsq́; verè augustis imperatoribus, qui scholas, collegia, academias magnificè extruẽdo ecclesiã Christi plurimùm propagarint: nihil de beatissimis nostris fundatoribus, qui in Anglia (fortunatâ insulâ) duo totius orbis terrarum nobilissima gymnasia, Oxoniam & Cantabrigiam ædificarunt, in quibus docti & sapientes viri non aliter quàm stellę (vt loquitur propheta) lucent, suos radios in omnes mundi plagas ac regiones fundũt. Da Christe vt in perpetuũ fulgeant, nullamq́; eclipsin ô Christe patiantur: fac quęso, ô salus omniũ, vt in illis vox ista non audiatur, tollantur scholę, tollantur academiæ: conserua nobis principem Elizabetham quæ fauet, conserua patronos qui illas sub alis fouent, excita multos Wicchamos, Waynfletos, Whytos, qui ad gloriam tui nominis hæc loca augeant. Consecrantur tibi ô deus, non sinas deficere; dextrâ tuâ in hunc vsque diem seruasti, non sinas cadere; pelle vultures, pelle lupos si qui sint, & non patiaris ruere. Rationes à testimonio & exemplis tacitus hîc

Gen. 1. 14.
Gen. 4. 21.
Dani. 1. 4.
1. Reg. 19.
Act. 19. 9.
Act. 18.
Polidor. l. 4. Authoris pietas.

nũc prætereo,nam adhuc(est Deo gratia)vbiq; florent academiæ,viuunt doctissimorum hominum ingenia,monumẽta maiorum palàm & apertè hanc rem loquuntur,plenæ hi-
Heldeberg de academijs. Sebast.Fox.de reg.l.2.Card. de varietat. storiæ,annales pleni sunt illorum laudibus quas malitia nulla delebit, ætas nulla conticescet.Si nominatim testimonia & exempla requiras lege Heldebergiũ,qui de singulis mundi oraculis & academijs scribit; sed breuitati studeo, aliter potuissem hic quidẽ vrgere, quòd nihil magis barbaritatẽ, vim,perfidiam,licentiam vitę,hęresin,atheismum,& confusionem omnium parit quàm scholarum & academiarũ defectio.Si ergo iusti, si tuti, si pij ac religiosi velint esse principes,non tollere sed fouere, non euertere sed conseruare debent academias,in quibus splendor regis,honor ciuitatis,amor virtutis, omnium bonorũ sapor ac influentia inest: pernicioſa ergo vox ista est & planè tyrannica,tollantur scholæ, tollantur academię. Imò oraculum hoc sit, viuant scholæ, viuant Athenæ, artes ac scientiæ, quæ sunt radij diuinæ sapientiæ,ad gloriã beatæ triadis in sempiternum viuant: pius est qui assentitur,improbus qui Amen non acclamat. Istam Megeram aliæ Erinnis sequuntur vmbræ, pergam igitur eo ordine quo inceperam. Quarta furia inuida & malitiosa est,
Quarta ciuium familiaritatum prohibitio. quæ sua det vt ciues inter se ignoti & suspicioſi arte & fraude fiant; notitia enim & familiaritas fiduciam & beneuolentiã gignunt,in quibus tyrannidis ruina cernitur. Sed attẽde,firmius imperiũ illud est,quod amicitiâ,quàm quod vi acquiritur. Laruata iã quinta in theatrũ venit & vt videatur prouida,
Quinta Satellitium. iubet vt satellites pro foribus versentur, obseruentq; vt omnes & singuli redeuntes à foro portas regis aut principis viri in quauis ciuitate salutent: hoc (inquit) modo ciues perpetuò seruire & famulari discẽt; sed audi,metus & seruitus sunt
Malus custos metus. mali ianitores ciuitatis.Sexta callida & astuta est,sed vt habeatur sapiẽs, præscribit,vt vbiq; & passim susurrones atq; exploratores constituantur,qui in peregrinis nationibus arca-
Sexta Susurrones. Vide Antimach.comment.1.theo.2. na principum,domi secreta ciuiũ perdiscant, suisq; tyrannis referant & denuncient:sed quæso hoc tecum cogita, quã sit miserũ sic imperare. Verũ de hac causa in dubitatione huius cap.



cap.plura dicemus. Septima furibunda est,quæ vult vt calũniæ,lites & discordiæ inter ciues disseminentur,vtq; plebs cũ nobilibus,potentes cum infimis, omnes cum singulis digladientur; sed considera qualis sit futura administratio, si sub cineribus pestifera nutriatur seditio. Octaua intonat in pauperes,iubetq; vt plebs ad extremam fortunam miseriamque insidioſè redigatur,aliter (inquit) otio fluxuq; rerum ad altiora animi cogitata tendet: hinc Pyramides AEgypti,hinc columnę Cypselidarum,hinc Olympij ędificatio,hinc Polycratis opera in Samo inuenta fuerunt, quæ omnia ad otij fugã inopiamq; plebis faciunt: huc quoq; referri possunt subsidia benignitatis, tributa subditorum vltra modum exacta: sed rectè ille,Thesaurus principum est in arca subditorũ.Reliquę istius ordinis execrabiles vmbrę horribili voce ad hunc modum stridẽt. Suscipiantur(inquit)bella siue iusta siue iniqua ne ciues otio delectẽtur & insoleſcat hostis. Amicis (inquit decima)confidere nõ oportet.Vxoribus & seruis(inquit vndecima)omnia indulgere cõuenit.Adulatores,sicarij,dissoluti(inquit duodecima) ad latus tyranni admittantur; isti enim omnia ad gratiam loquuntur, quoniam sunt ad omne facinus instructi,ad omnẽ licentiam vitę educati. Peregrini (inquit vltima) potiùs quàm ciues ad conuiuia & familiaritatem sumantur.Sed ô miseram remp.in qua Mars,diffidentia,libido,seruitus,adulatio,morũq; dissolutio regnant! multę sunt istę furię,quibus in deuastandis rerump.formis vtuntur tyranni,earum tamen voces ad duo capita vel potiùs arcana tyrannicę astutię redigi ac reuocari possunt. Tyranni enim id agunt & conantur vt ciuibus suis auferant tũ nocendi voluntatem tum potestatem conspirandi;illud fit pusillanimitate & diffidentiâ,hoc verò opum,armorum ac pręsidiorum priuatione;pusillanimitas & diffidentia in animis ciuium ingenerantur, si nugis ac nouis specie magnis, sed reuera de lana caprina occupentur, si prouisum fuerit ne altioribus cogitationibus incumbant,si tragœdijs nobilium ad angustum pressumq; animum adigantur.Alterum nempe conspirandi facultatem tollere contingit, si arma, opes,aliaque

Septima lites ciuium. Macch.de prin.c.20.in Liui.l.3.c.27. Octaua Populi inopia. Vide Antimacch.comment.3 theor.32.

9. Assidua bella. 10. Diffidentia amicorum. 11. Indulgentia in suos. 12. Familiaritas impura. 13. Peregrinũ hospitium.

Arcana tyrannica. Ne velint,Ne possint nocere ciues. Diffidentiæ.3. causæ.

vitæ neceſſaria auxilia ſub prætextu aliquo virtutis à ciuibus tollantur, hinc enim inermes & elumbes fient, ſed quodnam robur & firmitatem corpus habet cũ eiuſdem membra contabeſcant? Quam dignitatẽ ciuitas in qua ſuis viribus & armis boni ciues carent? Atque hæc de priori modo nempe Perſico tyrannidem conſeruandi, ſequitur nunc vt de altero nempe ſophiſtico & ſimulato diſſeramus. Hic verò eſt, cum tyrannus non vt leo, ſed vt vulpes & verſipellis regiam maieſtatem imitatur, ſimulatq́ ea ſolùm facere quæ Cæſaris perſonam deceant; de hoc nouem præcepta adhibentur, quę enumerabo tantùm, nam vereor ne principes iſtorum nimis capaces fiant. Primum ergo eſt vt tyrannus videatur pater patriæ, curaniq́; rerum omnium in ſe ſollicitè ſuſcipere, hoc autem (vt docet Philoſophus) continget, ſi populi ſudore acquiſita in ſcorta, peregrinos & artifices ſcelerum non niſi clam profundat, ſi aliquãdo rationem acceptorum reddat, ſi de fauore in populum ſtudioq́; virtutis ſæpe loquatur. Secundum eſt vt tributa, ſubſidia, aliaſq́; exactiones ſolùm nomine adminiſtrandi neceſſaria, vtputa bellum aut captiuorum redemptionem poſtulet. Tertium vt nõ ſeuerus ſed grauis, non formidandus ſed venerabilis, non aſtutus ſed ſimplex, non inops mentis ſed politicus, non demiſſi animi ſed magnificus eſſe videatur. Quartũ vt neminẽ niſi ſub ſpecie deuotionis in Deum aut patriam iniuriâ lædat. Quintum vt palàm vnam vxorem habeat quamuis clã multas Laides & meretrices alat; ſæpè enim multę tyrannides (vt ſupra demonſtratum eſt) propter turpitudinem vitæ extinctæ fuerũt, vt Tarquinius, Heliogabalus, Appius Claudius, alijq́; ſexcẽti qui in fruendis voluptatibus nullum modum tenuerunt. Sextum vt egregiè diſſimulet tyrannus ſe ſobrium & vigilãtem tutorem eſſe in extirpandis ſeditionis fibris, in augendis reip. bonis, in obſeruandis antiquis legibus ac inſtitutis maiorum. Septimum eſt vt ſingularem in Deum pietatem ſummamq́; religionem fingat, nã hoc modo (vt ait Philoſophus) ſubditi de religione principis perſuaſi minùs ſibi metuent, rariuſq́ue illi ſtruent inſidias, quem à Deo adiuuari credunt.

Octa-

Fraudis miniſtri 9.

Vide Mach. de prin c. 20. Antimacch comment. 3. theor. 26.

Mach. de prin cap. 18.

Piſiſtratidæ.

Mach. prin. cap. 18.



Octauum eſt vt aliqui benè merentes de repub. præmijs honorificis ſed ſophiſticè, alij verò ſupplicijs ſeuerè afficiantur. Poſtremum eſt vt occiſis nobilibus ſub ſpecie & nomine lęſæ maieſtatis concedat eorum reditus poſteris, ne videatur potiùs ſæuitiam quàm iuſtitiæ ſeueritatem propoſuiſſe. Horum omnium ſumma hæc eſt, vt tyrannus, rex, pater patrię, tutor ciuitatis, patronus iuſtitiæ, vitæ lumen, rationis columen eſſe videatur. Sed Chriſte bone! Quæ hęc præcepta? Quæ tegumenta & nubes ſcelerum? Eſtné hoc viuere? Eſtné hoc imperare? Fidem, religionem, pietatem in Deum & patriam ſimulare? Si hoc liceat, quid tandem non licet? Deum ergo obſecremus vt Machiauellum alioſq́ue pſeudopoliticos legere & in oculis, animis, manibuſq́; ponere & geſtare nunquam liceat.

Mach. prin. cap. 19.

## Diſtinctio.

- Modi cõſeruandi tyrannidis ſunt duo,
  - Vnus barbarus ſeu Perſicus, huius generis ſunt
    - Potentiores interficere,
    - Sodalitates & conuiuia tollere,
    - Scholas & academias ſubuertere,
    - Ciues inter ſe ignotos reddere,
    - Peregrinos ad forum ineſcandi cauſâ admittere,
    - Suſurrones & exploratores clàm inſtituere,
    - Inter nobiles, diuites & plebeios calumnias ſerere,
    - Populum ad inopiam, metũ & puſillanimitatẽ cogere,
    - Bella iniuſta ſuſcipere, vt omnia ſint ſalua domi,
    - Amicis non confidere,
    - Vxoribus, meretricibus, ſeruis omnia indulgere,
    - Paraſitos, ganeones, carnifices, alioſq́ue id genus homines beneficijs afficere.
  - Alter aſtutus ſeu ſophiſticus, huius generis ſunt
    - Diſſimulanter ſummam curam rerũ omniũ habere,
    - Oeconomiæ prætextu tributa exigere,
    - Grauitatem & venerationem perſonæ fingere,
    - Neminem apertè iniuriâ vulnerare,
    - Vnam palàm vxorem tenere,
    - Sobrietatem, vigilantiam, ſtudiumq́ue pietatis ac religionis egregiè ſimulare,
    - Bene merentes aliquando ſub colore virtutis præmijs afficere, malos autem punire.

Opp. *Machiauellus præcipua capita ſuorum de principe præceptorum ex hoc libro petijt: inſtè igitur vulnerari non poteſt, niſi eodem (vt aiunt) gladio iuguletur Ariſt.*

Arist.& Machiauelli differimen.

Resp. *Aliud Machiauellus, aliud Arist. sibi proposuit, ille enim ad monarchiam, hic ad tyrannidem has causas retulit; quippè Philosophus admodùm sapienter arcana tyrannorum hoc modo retexit, at Machiauellus istas vitæ & administrationis labes tanquam leges in regno & rege posuit.*

Opp. *Quædam hoc loco carpit Philosophus quæ anteà approbauit: ergo minùs cautè de istis iam causis disserit. Antecedens patet,*

Pol.4.cap.13. *quia anteà licitum esse docuit, vt sophismatis in fallendis ciuibus magistratus vtantur, in quo præcepto omnes modos sophisticos conseruandæ tyrannidis mihi ponere videtur.*

Sophismata ex fine æstimanda sunt.

Resp. *Alia est intentio boni magistratus, alia tyranni; ille enim vtitur sophismatis, fallitq; aliquandò ciues, sed ad bonum cõmune tẽdit; hic verò præstigijs insidijsq; vtitur, sed sibi non ciuitati consulit.*

Opp. *Peregrinos ad forum admittere, populum ad inopiam, metum & pusillanimitatem cogere, bella cum vicinis nationibus (vt omnia sint tuta domi) suscipere, æconomiæ nomine tributa exigere, aliaq; media tyrannidis conseruant monarchiã: ergo iniustè hoc loco sunt condemnata. Antecedens probatur, quia ius gentium requirit vt vbiq; terrarum fora & templum peregrinis pateant: Natura iubet vim vi repellere, prudentia postulat vt populus metu à factione, tributis à seditione deterreatur.*

Resp. *Hæc omnia quæ adfers aliquo respectu in recta reipub. administratione tolerari possunt, non tamen si eo animo fiunt quo in tyrannide proponuntur. Licet enim peregrinis forum patefacere, sed non inescandi causâ, licet populum ad inopiam & metum cogere, non vt opprimatur sed vt in officio contineatur melius, idq; tum solùm cum superbus, contumax & factiosus existit.*

## Opp. contra quæstionem.

*Academiæ institutæ sunt solùm ad otiosam contemplationem rerũ, quæ non prodest reipub. ergo illas tollere regibus licebit. Antecedens probatur, quia academia nihil aliud est quàm magna schola in qua artes speculamur: hinc aulici non academici sunt ad ciuitatem apti, est enim in illis ingeniorum actio, est in his verò quædam segnis & inutilis studiorum veluti sepultura: illi enim agendo disputant, hi verbis solùm & quasi somniantes inter se de rebus parui momẽti certant, quippè quid nomen & verbũ, quid genus & species, quid tropus &*

Aulici academicis magis politici.



*& schema, quid vnitas aut linea, quid gnomon aut cythara, imò vt altiora dicam, quid sphæra & sydus, quid materia & forma ciuitati prosint? At hæc sunt mysteria de quibus Platonici, academici & Aristotelis alumni in scholis disserunt.*

Resp. *In verbis his tuis motus inest, at nullum in rebus pondus: ridiculum enim est quod dicas academias solùm ad otiosam contemplationem destinari, quippè in illis practica reperiuntur ingenia, & ab illis actionis sydera tanquam à suis orbibus germanis lucent. Nomen* In otio negatium. *& verbum, genus & species prosunt reipu. nam in illis radices viresque artis ac rationis insunt.*

Opp. *Contingit aliquando hæresi infectis academicis rempub. in qua sunt eiusdem infectionis tabe laborare: si ergo aliter extingui non potest contagio, easdem tollere & extirpare licebit. Nam melius est corruptas partes amputari, quàm totam ciuitatem in discrimen trahi. Hoc ni fallor sacra tabula confirmant, in quibus constat collegium sacerdotum Baal & mendacium prophetarum iussu domini per suos* 3.Reg.c.17. *vates penitus deleri. Præterea ciuitates sæpè radicitùs delentur propter conspirationem in regem: multò ergo magis deleri debent propter rebellionem in Deum, cuius venerandi summam & singularem curam omnes principes ac imperatores habere decet, nam* Prou.8.15. *verum illud est: Per me reges regnant.*

Resp. *Vt submersio hominis non est causa cur aqua, vt deuastatio domus non est causa cur ignis tolleretur: ita academiæ propter infectionem erroris funditùs non extinguendæ. Quod vrgeas ex suppositione, nempè si aliter extingui non potest contagio; respondeo ex falso nil nisi falsum: sed falsa est ista suppositio, fieri enim potest vt medicinâ sæpè, non sanguine tollatur ista contagio. Præterea hæc ratio fallaciam habet (vt quidam volunt) à secundùm quid ad simpliciter, nam etsi fortasse in hoc casu liceat, non tamen sequitur simpliciter licere. Quod addas melius esse partem infectam quàm totum perire, verum est si pars non sit primaria in qua vita totius & anima consistit, qualis est ipsa de qua nunc agitur academia, quæ est vita & anima ciuitatis. Deinceps exempla sacrarum literarum semper legem non faciunt. Postremò vltima ratio iniquam comparationem inter regem & Deum habet, nam Deus potiùs conuersionem quàm confusionem querit, verùm tamen si eò prorepserit contagio vt medicinâ curari*

*non possit, tenent aliqui iustiorem non esse tollendi causam quàm quæ est aduersùs deum & religionem impia conspiratio. Cæterùm eorum pace dicam homines non mœnia, non reditus, non vectigalia peccare: authores ergo mali potiùs tollendi sunt quàm loca; nam illis sublatis meliores succedant, at his deletis spes nulla manet.*

## Dubia.

*An liceat exploratores & auscultatores passim collocare?*
*An permittenda sit omnibus de regibus loquendi libertas?*

Contra delatores. Antimacch. comment. 1. theor. 2.

SICCINE viuis Hiero, vt metuas sermones & rumores ciuium? si rectè agas non est cur timeas, sin malè iustum sanè non est speculatores tuos in angulis ciuitatis collocare; imò Persicum, Barbarum & tyrannicum est passim & vbiq; subauscultatores & otacustas constituere, qui omnibus rebus & agendis & dicendis aures admoueant, qui in omnem cætum ac congressum hominum callidè insinuent, qui vitæ & fortunis ciuium malitiosè insidientur, quis tutus si tales in repub. nebulones viuant? Quis liber si tales scorpiones magistratus alant? Pessima pars seruitutis est subesse seruis: at tales carnifices in domo, in mensa, in sinu alere est iugum seruitutis intolerabile; sed rem punctis probo. Est tyrannorum (vt hîc docet Philosophus) exploratores, & (si liceat nouum verbum affingere) intelligẽtiarios habere: ergo regibus (qui sunt tyrãnis in omnibus cõtrarij) tales fouere non licebit. Antecedens perspicuũ est in textu, vbi inter causas cõseruandæ tyrannidis hanc vnam tradit Arist. vt sint istiusmodi auscultatores qui dicta factaque ciuium notent, suisque tyrannis referant & declarent. Hoc (inquit) satisfactum fuit Syracusis, hoc Hiero atrox ille tyrannus fecit. Conclusio huius rationis rectè sequitur & cohæret à repugnantibus; quæ enim magis inter se certant quàm rex & tyrãnus, quàm barbara oppressio atque ciuilis & libera gubernatio hominum? Præterea tumultuante Marte istos habere licet: ergo florente pace habere non licet. Porrò seruilem metum in animis subditorum hoc parit, adeoq; sæpè flammas seditionis mouet: sed hæc duo nempe seruilem metum & hostilem seditionis

Rationes.

Aures Midæ.



seditionis motum reges fugere oportet: ergo regibus hoc facere non licebit. Deinceps rex suspiciosus in suos ciues esse non debet: ergo istiusmodi vulpes inter eos constituere & collocare non licet. Insuper hoc agere contra libertatem naturæ est, contra dignitatem ciuitatis, sine exemplo bonorum, & contra legem charitatis: ergo non licet. Quippè vt cancri inter rosas, lupi inter oues: ita exploratores inter ciues manent; hoc autem libertas, hoc honor ciuitatis, hoc lex amoris & charitatis negat. Postremò si melius sit in repub. apertos habere hostes quàm dissimulantes amicos, & si subauscultatores isti sint blandi dissimulatores, qui sub esca hamum & virus gerunt, nemo est quin videat admodum iniustum & periculosum esse tales in repub. tolerare. Cæterùm animaduertendum hic est nos vsum veneni aliquando inter salutares medicinas admittere; vt ergo ex viperinis carnibus mythridaticum: ita ex serpentinis istis auscultatoribus aliquando vtile subsidium in ciuitate nascitur. Sed cautè hîc adhibenda est distinctio temporum, in quibus istæ hienæ à suis latibulis & antris prodeant: Præscribunt quidam politici nostrę ætatis duo tempora, nimirum vel quando intestinæ seditionis est vehemens suspicio, vel quando ab externo hoste facta est inuasio. Huc quoq; addunt vtile esse hoc genus sophismatis si in suspectis & vicinis nationibus obscurè & occultè adhibeatur, speculatores & auscultatores in bello sacra philosophia approbat, eosdẽq; prudentia Lacedęmoniorũ (qui sępè istiusmodi vulpeculas Athenas miserunt) antiquitùs approbauit. Nihil hîc dicam de praxi nostrorum temporum, iusta est si causam honestam habeat, iniusta si solam speciem & laruam virtutis gerat. Altera dubitatio huic affinis & cognata est, nempe, An permittenda sit omnibus de regibus loquendi libertas? Verba textus hęc sunt. Nam tum (inquit Philosophus hoc est cum exploratores isti per forum cursitant) minùs audent liberè loqui, imò si liberè loquantur minùs occulti erunt. Nimis securus rex fuisti Antigone qui pulsans ad fores maledicentium tibi dixisti, Cauete ne rex vos audiat; In regem malè concepta & cogitata non sunt toleranda

Delatores cancri, lupi.

Otacustarum vsus.

Quando exploratores sunt emittendi.

Dubium.

Plut. in apoph.

In maledicos.

Exod.22.28. Eccle.10.20. toleranda,nedum ergo maledicta; si enim libertas malè sentiendi de rege ciuibus negetur, multò magis malè dicendi prohibetur licentia. Præterea rex sacra persona est totius ciuitatis, cuius dextra vitam & necem tenet: in regem ergo loquendi libertas non esset: nam si sit, confusio sequetur necessariò. Loquatur ergo agricola sed non vltra rastrum, loquatur miles sed non vltra hastam, loquantur ciues sed non vltra sortem: de regibus verò liberè non loquentur, nam ista libertas iram principis, ira autem principis mortem & pernicië gignit. Prouer.16.15. 2.Reg.c.16.7. Pessime Semei cur nomẽ Dauidis maledicâ discindis linguâ? Prou.8.15. 4.Reg.c.2.24. Nónè memineris regem à Deo constitutũ esse? quicquid ergo in Dauidem loqueris aduersus diuinam prouidentiam loqueris, nam Deus est qui reges fecit, & per quem reges dominantur. Pueri qui maledixerunt Prophetæ à sæuissimis vrsis occisi sunt: caue igitur qui in regẽ loqueris, nam inultam non feres tantam contumeliam. Si enim pœna irrogetur ei qui ciuem, socium iniuriâ afficit, quantum supplicium debetur illi qui libertate loquendi suum regem vulnerat? Romani, Macedones, Lacedæmonij, aliæque nationes olim hoc vitium linguæ inter scelera læsę maiestatis annumerârunt, nec minore seueritate quàm cętera idipsum prosecuti sunt: petulantia igitur ista loquendi de regibus tollenda. Murmurarunt solùm filij Num.16. Israel in Moysen ducem, Aaronem sacerdotem suum, sed principes eiusdẽ seditionis & complices viui ad inferos (horrendum est dictu) descenderunt. Dic mihi quę salus esset in corpore si partes capiti opponerentur, at rex caput est totius ciuitatis & ciues partes: ciuibus ergo ista libertas malè loquendi de regibus non indulgenda. Postremò rex pater est, Exod.20.12. at patri maledicere non licet: ergo nec regi, concludo igitur istam de regibus dicendi libertatem in bene instituta ciuitate tolerandam non esse.

Opp.contra primam dubitationem.

Opp. *Per exploratores & subauscultatores insidiæ proditorum sæpè deteguntur, nec non prouisæ propulsantur: ergo in ciuitate tolerandæ. Præterea accusatores malorum sunt in ciuitate approbandi: sed exploratores sunt accusatores malorum: ergo exploratores etiam sunt* Macch.in Liu. lib.1.cap.7.



*sunt in ciuitate approbandi. Postremò Romani in singulis locis sibi subiectis suos speculatores habuerunt: si ergo illis istos fouere licuit, cur nobis etiam non licebit?*

Resp. *Detectio & accusatio malorum fiunt duobus modis, aut palàm sub nomine iustitiæ, & sic approbari debent in repub. aut occultè non sine astutia & malitia accusatorum, & sic tolerari non debẽt. Quamuis ergo per exploratores insidiæ & mala præuisa sæpè propulsantur, non sunt tamen permittendi istiusmodi, quia animo potiùs effundendi sanguinem quàm exequendi iustitiam ad accusandum veniunt. Verùm id solùm fieri in ciuitate dicitur quod ordine & iure fieri dicatur; sedita inescare ciues eorumq; vitæ sic insidiari nec humanum, nec iustum, nec decorum est. Sint ergo si placet in repub. accusatores, sed noti; sint exploratores, sed iusti; nam aliter odiosum est nomen accusantis; habuerunt quidem Romani suos speculatores sed solùm temporibus belli ac seditionis.* Accusator notus, Explorator occultus. Macch.in Liu. lib.1.cap.8. Delator serpens in occulto mordens. Eccle.10.11.

Opp.contra secundum dubium.

Opp. *Libertas loquendi ciuibus data reges cautiores & meliores reddit: ergo est approbanda. Antecedens probatur, quia cum reges intelligant quid tota ciuitas de se sentiat, pudore quodam suffunduntur, & cum Philippo Macedonum rege mortalitatis suæ meminisse incipiunt. Præterea populus Romanus hanc libertatem habuit, qui sæpe imperatores non solùm voce sed etiam libello vulnerarint. Huc illud quoque accedit quòd Nathan, qui Dauidi adulterium; Elias, qui Achab idololatriam: Ioannes, qui Herodi incestum obiecit, in sacris tabulis plurimùm laudentur, quod sanè non fecissent si liberè loquendi potestas ciuibus tolleretur.* Parrhesiæ fructus. 2.Reg. 12 7. 3.Reg.18.18. Marc.6.18.

Resp. *Vt leones vulnerati sæuiunt non mitescunt: ita reges contumeliæ labe notati non semper meliores sed sæpè deteriores fiunt. Absolutè ergò vera non est antecedens propositio neque eiusdem confirmatio. Ad alteram partem argumenti respondeo istam libertatem apud Romanos non viguisse: nam quamuis legatur multos consules & imperatores procacitatem & furorem tribunorum persensisse, nunquam verò accepimus istam libertatem loquendi populo fuisse cõcessam. Postrema pars rationis nihil probat contrà institutum, nam Prophetæ & sacerdotes Dei legati sunt, qui hoc in mãdato habẽt vt summis, mediis, infimis sine omni timore scelera denuntient, sed ita sine*

2.Reg. cap.12. *sine omni timore vt in denunciando prudentia non desit, sicut in præsenti exemplo Nathan luculenter apparet.*

## CAP. XII.

### *Vtrum sit certa & fatalis regnorum periodus?*

Cap.11.

OPPORTVNE antea, cum de causis euertendæ tyrannidis disputatum erat, ostendimus tyrannorum statum mutationibus fortunæ maximè subiectum esse, eundemq; diu permanere non posse: idipsum nunc in fronte huius cap. quatuor exemplis demonstrat Aristoteles, quæ quidem exempla mea opinione videntur potiùs causas conseruandi quàm euertendi tyrannidem illustrare. Nam in primo docetur cur centum totos annos tyrannis Ortagoræ & filiorum eius apud Sicyonios durauerit; fuerunt enim illi multis in rebus populares, & sæpè etiam videbantur iusti, nam Clisthenes eorum vnus eum (qui victoriam ab ipso abiudicarat) & coronâ viuum donasse, & statuâ mortuum honorasse dicitur. Ferunt etiam Pisistratum cum ad Areopagum in ius vocatus esset sententiam iudicis haud æquitè accepisse: his modis illi sibi diuturnius imperium reddiderunt, leuiora fortasse vulnera astutè ferentes, vt ipsi postea grauiora truculenter infligerent. Proximè diuturna fuit Cypselidarum tyrannis Corinthi, quæ firma etiam diu permansit, nam Cypselus ipse annos 30. Periander 44. Psammeticus Gordiæ filius annos 3. & aliquot menses tyrannicè imperauit. Tertium exemplum Pisistratidarum est, qui Athenis 37. annos populum cum suo patre Pisistrato crudeliter oppresserunt. Vltimum est Hieronis, Gelonis & Thrasibuli, qui Syracusis annos tantùm duodecim fremuerunt: diutissimè ergo tyranni Sicyonij, minùs diu Corinthiani, breuiùs paulo Athenienses, breuissimè autem Syracusani regnauerunt. His positis ad alteram partem capitis accedit Philosophus, in qua

Exempla tyrannidum citò pereuntiũ.

Plat. in Hipparcho.



qua more suo Platonem carpit, qui certam & fatalem regnorum conuersionem interitumque numeris ascripsit: hinc quæstio quam nunc tractamus est, Vtrum sit definita rerumpublicarum periodus? Bodinus vir nostræ ætatis politissimus egregiè in libro de methodo philosophatus hæc habet verba, Absurdum sanè mihi videtur quòd Plato rerumpublicarum exitus & vicissitudines sola numerorũ potestate metitur: tametsi enim Deus immortalis potentiâ, numeris, ordine ac mensura mirabili colligauit, non tamen numerorum viribus multò minùs fato tribuendum est, sed maiestati diuinæ, quæ ipsa (vt Augustinus scribit) fatum est aut nullum omninò aliud existit. Itaque cum Aristoteles causis consequentibus omnia tribueret, Platonis numeros irrisit libro quinto de republica, quo nihil melius est in tota disputatione aut accuratiùs ab eo tractatum: hactenùs ille, cuius verba eo libentiùs induxi, quo ardentiùs velim præstigiatores ac magicos nostrorum temporum intelligere se in diuinationibus diriséque præsagijs rerumpublicarum nimis altum sapere, cum eorum alij numeris, alij intelligentijs, alij sideribus, alij circulorum cœlestium motibus ac influentijs ciuitatum declinationes conentur assignare. Omitto hîc Coopernicum, qui solem immobilem stare & terram motu cieri & rerumpublicarum conuersiones ex hoc motu oriri somniauit: nemo tamen (vt vtar iterùm verbis Bodini) inscitiæ tantæ fuit, vt à centris circulorum cælestium, multò minùs terrestrium, vim vllam influere putaret. Sed relinquo istos & vt soleo causam breuibus atque concisis argumentis probo. Voluit Plato (vt hîc nihil dissimulem) rempub. mortalem esse, eiusdem interitus causam numerum ponit, cuius sesquitertia radix quinario coniuncta duos concentus efficit; cum (inquit) hic numerus fiat solidus, natura æs & ferrum, id est homines malos, cum aliter aurum & gemmam, id est bonos gignit. Obscurè nimis ô Plato loqueris, dic ergo quid velis? Est numerus in motu cœli. Quem motum intelligis? Motum solis: at cum ille triplex sit, ostende quem vrges? Retrogradum intelligo, qui numero signorum motuque

Plat. pol. 8. Dubium. Bodin. de method. hist. c. 6.

Politiæ conuersiones cui sint ascribendæ.

Bodin. de meth. hist. c. 6.

Plat. pol. 8. post. initium.

Hesiod.

Platonicę opinionis explicatio.

Vide Ptolom. in quadripartit. Melanct. de periodis imperiorum to.2.declam.

tuq; cernitur. Quid de hoc numero? quid de motu? volo duodenarij cubum in mutatione rerum obseruari. Adhuc apertiùs quæso. Volo in hoc motu & numero multiplicationem duodecies duodecim concipi, quæ duodecies multiplicata 1728 definitè efficiunt, quem numerum implent magna imperia vt Assyriorum à Nino rege ad Alexandrum. Videris ergò docere numeros solarium annorum, quos per duodecim signa motu retrogrado & latitudinis sol ipse conficit, causas conuersionis esse, si duodecies duodecim duodecies multiplicati geminentur. Quid ni? si hunc annorũ, motuum & conuersionum numerum tam exactè prosequeris, in quo facies cœli conuersa magnam rerum caniciem adfert, cur de cubo quinarij etiam non loqueris, in quo ad quingẽtesimum quẽque plus minùs annum toruus aspectus cæli numeruſq; conuersionis cernitur? Sed vlteriùs non vrgeo, scio enim de vniuersali non de singulari aspectu solis numeroque motus à te disputatum iri, dabis nunc veniam (insignis Philosophe) vt cum Aristotele discipulo tuo & præceptore meo hoc dogma refellam. Numerus res mathematica est: ergo conuersionem rerumpub. non potest efficere. Antecedens omnium Philosophorum calculis verum habetur. Ratio patet, quia res mathematicæ abstractæ sunt: sed res abstractæ agere in interitum rerum existentium non possunt: ergo numerus non potest. Si verò dicas numerum numeratum intelligi, qui nihil hic aliud est quàm numerosa conuersio cœli, tum quidem sic vrgeo, respub. esse ordines ciuitatum, qui à mente humanâ & voluntate pendent: sed menti humanæ & voluntati cœlum nullam periodum nullamque necessitatem imponit: ergo nec rebus pub. quæ ab illis pendent. De maiore nemo philosophorum dubitat cum definitio sit reipub. vt sit ordo ciuitatis procedens à recta ratione, quæ ad mentem; & à iustitia, quę ad voluntatem refertur. Minor constat, quia inter cælum & mentem, stellam & voluntatem agendi & patiendi medium non est. Est enim cœlum corpus, mens autem & voluntas spiritus substãtiam habent. Porrò si verum sit quod vulgo dici solet, Sapiens dominabitur astris; & iterum, Sidera inclinant

Plato refellitur.

Reip. definitio.



nant non imponunt necessitatem. Non video fatales morbos, dies criticos & sepulchra rerumpub. tam certè & definitè posse ipsum Atlantem augurari: nam quos pulsus ciuitates habent, vt eorum motu languidiore dira adesse fata diuinemus? Deinceps certam periodum imperiorum numero, motu, fato, aut quouis alio humano & naturali modo statuere est meo iudicio diuinæ prouidentię plurimùm detrahere, deique verbo fidem abrogare; quippe quid aliud hoc est quàm deum fatali quadam necessitate suis medijs astringere? Deiq; Prophetas de regnorũ periodis vaticinantes potiùs astrologos & philosophos quã inspiratę veritatis nuncios & legatos appellare? Daniel de imperiorum casu numeroq; egit. quid? Danielem Ptolomęi magis volumina quàm Dei oracula consuluisse dicemus? At sunt qui audent numerum illum dierum & hebdomadarum mysterium apud Prophetam cœli motibus siderumque influentijs assignare. A minore hic alia ratio adduci potest, nempè quòd certa periodus vitæ humanę definiri non possit: ergo nec ciuitatis. Antecedens probatur, quia ante diluuium constat hominem penè millesimum attigisse annum, nunc verò 63. fatalem & climactericum arbitramur. His positis quæro quæ causa tantæ mutationis erit, cœlum eundem motum numerumque tenet, eandem naturam homo. Imò si vitæ humanæ periodus certissimè à cœlo pendeat, cur gemini sub eodem sidere nati eandem sortem, cur innumerabiles in bello aliquando occisi diuersam fortunam non paterentur? Moriendum quidem est, at quis periodum suæ vitæ, quis modum & tempus suæ mortis tenet? Si ergo vitæ humanæ conuersio (quæ quodammodo à cælo pendet) à nemine certò definiri potest, quis audet de periodo ciuitatis (quæ non cœlum sed mentem & voluntatem sui causas habet) analyticè definire? Nihil hic dicam de scelerib. & flagitijs populi, quæ sunt (vt sacra testantur oracula) causę præcipuæ euertendi imperia, quid enim sulphur & ignem in Sodomam & Gomortham à cœlo deuocauit? an maligna siderum & planetarum coniunctio? non sanè. quid tum? Immanis vitæ turpitudo. quid diluuium totius mundi fecit?

Iob.12.

Daniel.7.

Iob.34 30.

Gen.19.

Gen.6.

Immanis scelerum turpitudo; quid templum? Quid Ierusalem deuastauit? Certè populi turpitudo. Niniuæ triste & fatale funus minatur deus: sed quę causa? Ipsius ciuitatis turpitudo. At dices moralis hæc causa est non naturalis quæ hoc loco quæritur. Quid? An cœlum bonos & malos giguit? An cœlum vi suâ in pulueremsemper imperia vertit? An triste tum sidus regnat cùm ciuitates ruant? Periculosa est hęc doctrina & multos in voraginem atheismi trahit; vult quidem deus vti medijs sed temporibus & medijs non alligatur. Postremo in loco libenter scirem vtrùm isti magici diuinatores temporum possint exactam rationem istius periodi explis illustrare, nec non certissimè ex suis Sybillæ folijs anum, diem, horam ruentium imperiorum præsagire? Glorimonarchiam, totidemq; annumerari ab eluuionibus aquarum vsque ad euersionem templi ac reipublicæ Iudæorum iactitant; quid? Nonnè vnus annus defuit, non superabũdauit vnus? sed ridicule, cur idem spatium Medorum, idem Persarum, idem Macedonum imperium compleuisse non probant? Cur nunc Romanorum aquilam ijsdem limitibus non circumscribunt? Operæpretium est profectò videre istos in vallum quasi phantasmatum impingentes, alij enim negant hæc fuisse imperia mundi, alij imperia esse quidem concedunt sed non vniuersalia, alij de numero annorum certant, alij de influentia cœli dubitant, alij causas excudunt nouas, pauci verò aut nulli attingunt veras. De hac re ampliùs paulò ac vehementiùs scribo, quia hodiè ab inferis reuocantur furię, hodiè Sybillę de mirabili anno recitãtur carmina, hodię à Calabria nescio quã fatalia deferuntur noua, mira hodie de terribili aspectu siderum passim dissipantur opinionum mõstra. Non tamen hic nego (viri politici) formidolosa nobis minitari cœlum: hoc tamen est quod optem, vt in senectute mũdi nõ stellã sed deũ timeamus, eumq; rogemus vt sol cõsistet in medio cœli, donec Israel suos hostes vincat, imò si ei visum fuerit magno cœli spacio retrocomeet, vt Elizabetha Angliæ regina fœliciter ac diu viuat. Sed hic filum abrumpam

Ion. 1. 2.

Aliqui demũt annos. 489. nisi computes ad Alexandrum, & sic addũt. 41

1588.

Periculosus siderum aspectus. Ios. 10. 13.



pam quæstionis, & ad reliquam textus partem exponendam veniam, in qua primùm docet Philosophus Platonem in hoc non sensisse malè, quòd cœlum aureos & ferreos (id est, bonos & malos) mores in animos hominum instillare putarit; nam alij (inquit) dociles ad virtutem, alij nulla eruditione sanabiles, hoc est, difficulter boni & studiosi fiunt. In illo verò errauit quòd vnam solùm causam conuersionis inuenerit, eandemque communem & falsam, vt exemplo rei simul ortę & mutatę ostendit. Alterum quod reprehendit apud Platonem est, quia posuerit optimam reipublicæ formam à se descriptam primùm in Laconicam, hoc est optimatum imperiũ, proximè in paucorũ potentiam, hinc in statum populare, postremò in tyrannidem cõmutari. Hoc (inquit Philosophus) verum non est cum sępiùs in contrarias quã in vicinas formas respub. transferantur. Tertiò arguit Platonem quia omisit formam in quam vertitur tyrannis, hoc quidem fecit (vt ait) quoniam tyrannis est adeo immutabilis, vt facile non sit, in quam formam mutetur, certò definire, nisi forte velit eandem in optimam quam finxit reuocari. At (inquit) sępè tyrãnis in tyrannidẽ translata est, vt apud Sycionios; sępè in paucorũ potentiam, vt Chalcidica illa quam Antileon obtinuit; nunc in democratiam, vt Syracusana Gelonis; nunc in aristocratiam, vt Carthaginensis: reliqua exempla in textu aperta sunt. Quartò Platonem carpit, quòd causam mutandi rempub. in paucorum potentiam, nimium pecuniarum studium & cupiditatem esse existimauerit, cum potiùs huius conuersionis initium est quòd diuites existiment penitus iniquum esse, vt qui nihil habent, sibi in honoris participatione adæquentur. Quintò in illud disputat Platonis vbi docet in oligarchia duas ciuitates comprehẽdi, quia ex diuitũ pauperumq; cõmixtione cõstat: hoc (inquit Philosophus) fieri nõ potest, quoniam nullâ factâ diminutione rerum hic status in alium vtputa in popularem statũ transferri potest. Postrema conclusio contra Platonem est q vnam solùm moralẽ causam declinantis reip. constituerit, nempe rerum familiarium ac fortunarum profusionem: quasi verò (inquit Philosophus) omnes aut etiam

Secundus Platonis error. Pla. pol. 8. & 9.

Tertius error.

Quartus error.

Quintus error.

Sextus error.

plurimi ab initio diuites & opulenti fuerint. Aliæ ergo causæ præter istam (vt nos ipsi fecimus) assignandæ sunt. Exempli causâ, honoris ambitio, iniuria, contumelia, odium, nimia indulgentia, & licentia morum, hisque similes permultæ, quę vt anteà ostendimus (tametsi nulla rerum aut patrimoniorum interceserit iactura) horribiles mutationes & motus in ciuitate gignũt. Multa vt vides (studiose lector) in quintum hunc librum scripsi, illos secutus qui nõ tam multa quàm multum scripserint: operam in eo dedi vt eorum, quæ apud Philosophum sunt, prætermitteretur nihil. Pharmaca composui vti spero salutaria, si quid veneni in gustu senseris, fumus est non virus: nam eiusdem vires pro viribus extinxi & temperaui: hoc dico quia in causis tyrannidis conseruandę multa fortasse aures tuas offendant, sed illud solùm velim intelligas me in omnibus omnia ad gloriam Dei & ecclesiæ tetulisse.

Cap.10.

Cap.11.

## Distinctio.

Duo in hoc c. tractãtur,
- Duratio tyrannidis, cuius quatuor ponuntur gradus & exempla Sycioniorum tyrannorum, qui 100; Cypselidarum, qui 74. Corinthi; Cypselidarũ, qui 37. Athenis; Hieronis & Gelonis, qui 22. annos Syraculis populũ oppresserũt.
- Refutatio Platonis de
  - Fatali periodo rerumpub. de qua satis distinctè diximus.
  - Morali causa conuersionis, quam etiam satis dilucidè explicuimus.

Opp. *Est naturalis ortus ciuitatis: ergo est fatalis eiusdem periodus. Antecedens probatur in primo libro Politicorum cap. 3. vbi probat Arist. ciuitatem esse à natura. Ratio patet à definitione fati, quod nihil aliud est quàm causarum in rebus à natura procreatis necessaria connexio, earumq; in senescentibus certa & ineuitabilis declinatio.*

Definitio fati.

Resp. *Hæc definitio fati vires suas habet in rebus simpliciter & absolutè naturalibus, qualis ciuitas non est, quæ non tam à natura quoad materiam, quàm à mente & voluntate humana quoad formam pendet. Præterea hoc loco non de fato physico & causarum nexu, sed de stoico & mathematico agitur, quod numero siderumq; motu aspectu & influentiâ definitur.*

Fatum physicum, stoicum.

Opp.



Opp. *Res omnes caducæ & mortales suam fatalem periodum habent secundum diuinam prouidentiam: sed respublicæ sunt caducæ & mortales: ergo respublicæ suam fatalem periodum habent secundùm diuinam prouidentiam. Maior constat, quia Deus omnia numeris, ordine & mensurâ colligauit, certumq; tempus durationis constituit. Minor inductione omnium rerumpub. quæ olim floruerunt & nunc in sepulchro obliuionis iacent, confirmatur.*

Resp. *Hæc omnia concedi possunt, nam non quærimus vtrum sit periodus rerumpub. secundum prouidentiam Dei, sed vtrum sit vltimum & definitum ciuitatis fatum secundum influentiam cœli, idemq; hominibus certissimè notum, quod negamus.*

Opp. *Cum Deus vult respub. & imperia secundum prouidentiã suã cadere vtitur certis ac definitis naturæ causis: sed certæ & definitæ naturæ causæ sunt notæ hominibus: ergo cum Deus vult respub. secundum prouidentiam suam cadere est notum hominibus: quo concesso non video quin certa periodus à mediis causis (quibus in prouidentia sua Deus vtitur) certò demõstrari queat. Maior huius syllogismi probatur à minore, quia cũ voluerit deus 15. annos ætati Ezechiæ addere, solẽ 10. gradus à suo cursu reuocauit; cum voluit Israelem pugnando vincere, solem stare in medio cœli iussit; cum voluit sui filij mortem omnibus conspicuum reddere, mirabilem eclypsin fecit, quâ visâ Dionysius insignis ille Philosophus coactus est dicere, aut Deus patitur aut tota mundi machina dissoluitur. Direxit Magos per stellam, præmonuit Ierusalem per cometam, quid multis? Mediis in exequenda iustitia vtitur: sed mediorum scientiam mortalibus concessit, quâ præditi cur rerumpub. mortalium periodum ignorarent?*

Reg. 4. c. 20. Iosua cap. 10. Luc. 23.

Mat. 2. Ioseph. de bello Iudaico

Resp. *Media naturæ considerari possunt duobus modis, vel secundum propriam vim, motum & ordinem, & sic eorum scientiam mortalibus concessit Deus; vel secundum prouidentiam Dei, qui mediis naturæ pro arbitrio vtitur, & sic eorum scientiam hominibus non dedit, vt in omnibus istis exemplis, quæ hîc adducuntur, patet: in quibus probatur quòd contra vim propriam, motum & ordinem his causis & mediis vteretur Deus. At quæris cum secundum vim propriam, motum & ordinem hæc media disponantur, cur tum secundum eandem rerump. periodum non præsagiret homo? Respondeo vt suprà,*

*quia respub. non est opus simpliciter naturæ sed etiam mentis: attamen hæc media vim mutandi opus mentis non habent, nisi vt loquuntur Philosophi ex consequenti & fortuitò.*

Opp. *Ab exitu Israelitarum ex Ægypto ad regnum Salomonis fuerunt anni 500. ad exilium Babylonicum rursus 560. à reditu ad vltimum excidium 500. quid opus est multis? Obseruatum est mirabilem & fatalem alterationem in omni celebri imperio circiter hoc tempus (vt ait Ioachimus) cõtigisse: ergo videtur esse quædam periodus ciuitatis, nam vt homo 63. annum climactericum, ita ciuitas annum quingentesimum periculosum habet.*

Resp. *Ista inductio manca & mutilata est, nec vniuersaliter concludit: nam mille exempla rerumpub. adduci possunt quæ nullum eo anno senserunt motum defectionis. Agnosco tamen hanc obseruationem non esse inutilem de cubo quinarij, in quo retrogradus motus cœli summum metum formidolosi aspectus habet, hoc tamen affirmo non esse fatalem causam periodi. Nam vt homo climacterico suo anno non semper moritur: ita respub. in hac ætate necessariò non commutatur.*

## Dubia.

*Vtrùm ad benè administrandam rempub. vlla cœli influentis ratio sit adhibenda?*

*Vtrùm facilior sit in formam vicinam quàm in extremam rerũpub. commutatio?*

Dubium primum.

ETSI contra illud Platonicorum & Stoicorum dogma de fatali numero & periodo rerumpub. modò disputauerim, eo tamen animo non sum quin plurimùm naturę cœliq; viribus in administratione ciuitatis attribuam. Si enim mores animi sequantur temperaturam corporis, vt medici; si inferior mundi globus sit superiori contiguus, vt Philosophi docent; negare non audeo quin cœli vis magna vel potiùs mirabilis sit flectendi mores & affectus hominum adeoque rerumpub. formas & status cõmutandi. Quanquã igitur inficias eo certò ac definitè per numeros, motus aut vires cœli periodũ ciuitatum posse demonstrari; illum tamen indignum magistratus nomine existimo, qui omnem cœli influentis rationem



nem negligit, qui planetarum & signorum ortum & occasum ignorat, qui climatum vires in singulis nationibus (maximè verò in ea in qua versatur) seriò ac diligenter non considerat. Quis enim est dignus magistratus nomine qui insitas qualitates loci, qui mores populi, qui temperiem aeris, qui anni partes & vices non intelligit? Sed hæc omnia à cœli influentia pendent, quippè iuxta vim cœli singulæ nationes suos pulsus, suos mores, suas vires habent: hinc Scythæ bellicosi, ingenioſi Hispani, Pæni leues, Græci mendaces, AEgyptij falsi & superstitioſi dicuntur. Præterea in singulos sub cœlo natos fit influentię necessaria impressio: ergo multò magis in magnas nationes. Antecedens probatur, quia quis negat sub Ioue magnificos, sub Marte bellicosos, sub Luna molles, sub Mercurio dociles & inconstantes nasci? si ergo priuati affectus vi cœli infundantur, quanto magis locorum mores à cœlo fluunt? Quorum rationem si omninò negligat magistratus rectè præesse ciuitati non potest. Insuper si cœlum vim nullam in moribus fingendis habeat, dic mihi cur septentrionales bellicosi? Cur ingenioſi australes? Cur insulares callidi & versutifiant? Certum est ex siderum radijs istorum motum radices fluere: si ergo bene administrare velit magistratus, climatum scientiam illum aspernari non decet. Postremò cum magistratus à Philosopho pater, pastor & medicus ciuitatis dicatur, debet quidem vt pater mores ciuium, vt pastor vires temporum & locorum, vt medicus infirmitates corporum & aspectus siderum intueri: sed hæc rectè agere non potest si cœli influentis rationem ad bene imperandum non adhibeat: est ergo ad bene administrandam rempublicam cœli influentis ratio adhibenda. Sequitur altera dubitatio, nimirum, Vtrùm facilior sit in formam vicinam quàm in contrariam reipublicę commutatio? Plato hîc in vicinam, Aristoteles in contrariam faciliùs transmigrare affirmat, res verbo concluditur: nam vt ait Thomas bipartitò respublica in aliam vertitur: aut gradatim, & sic in vicinam; aut raptim seu violenter, & sic in contrariam

Magistratus Pater, Pastor, Medicus.

Dubium secundum.

Mutatio gradaria, rapida.

trariam faciliùs commutatur. Si enim sensim & gradatim in aliam migret, verisimile est quòd per media quosdam lapsus & labes habeat. Nam vt elementa symbolũ habentia citiùs: ita respublicæ affinitatis vinculo coniunctæ faciliùs inter se transferuntur. Hinc quidam volunt cum Platone vt est in textu simpliciter optimam rempublicam in aristocratiam, hanc verò in paucorum potentiam, paucorum verò potentiam in popularem statum, popularem denique statum in tyrannidem commigrare; at Aristoteles huic repugnans & contrarium docet. Vult enim ille non esse inter respublicas vt inter elementa & vitia quædam transmutationis media, quippè regnum inquit in tyrannidem, aristocratia in diuitum potentiam, populi senatus in furorem multitudinis frequentissimè sine medio conuertuntur. Verum hoc quidem est quod ait Philosophus, nam potest rex fieri tyrannus, possuntque optimates euadere factiosi idque proximè vt loquuntur & immediatè; sin verò mixtæ rerumpublicarum formæ cum simplicibus comparentur, inter quas etiam est quædam contradictio, lapsus non fit sine modo, occasus non fit sine medio. Exempli causâ. Monarchia Romana quæ fuit regum, per aristocratiam quæ fuit consulum in seditiosam populi potentiam quæ fuit tribunorum cecidit. Hinc aliqui gyrum & orbem rerumpublicarum colligunt, nam olim cum adhuc mundus in crepundijs fuit, vi rationis coacti sunt homines regulos constituere, vndè regnum; at cùm isti superbiâ elati in lupos se conuerterint, ex regno tyrannis extitit, verùm cùm aquilæ nobilesque viri tyrannorum vngues & oppressiones diutiùs sustinere non potuerint, tyrannis in aristocratiam fluxit: cùm verò optimates successione vultures facti sunt, aristocratia in paucorum potentiam abijt: sed hoc iugum non tulit multitudo, quarè impetu tandem facto sibi rapuit imperium, quod democratia dicitur. Cæterùm multitudo hydra multorum capitum est, quare nè in anarchiam verterentur omnia, coacti sunt homines retrospicere & tandem ad regni studium iterum se conferre; sic regna vt vides cadunt, sic magna imperia

Forma mixta, Simplex.



peria cadunt, sic transit gloria mundi, nihil enim sub sole firmum, perpetuum nihil. Ver æstas, æstatem hyems, hyemem iterum flos veris sequitur; annus suum gyrum, mundus suum orbem habet, in cuius solùm puncto ciuitates manent; at quid punctum si cœlum spectes? Nihil. quid regnum si æternum spectes? Profectò nihil.

## Opp. contra dubium primum.

Opp. *Ordines & mores ciuitatis vt antè probatum est dependẽt ab animo non à cœlo, à lege educationis non ab inclinatione sideris: ergo clymatum scientia ad bene administrandam rempub. non est necessaria.*

Resp. *Ordines & mores ciuitatis considerantur bifariam, aut primariò, & sic ab animo & lege educationis; aut minus primariò seu vt loquuntur ex consequenti, & sic à cœlo & inclinatione sideris pendent. Cæterùm cum mortales magis naturæ pulsum cœliq; motum sequantur quàm rationis nutum & imperium; Clymatum scientia magistratui est admodum necessaria, vt modum educationis per inclinationem multitudinis hinc rectius intelligat.*

Opp. *Si certa sit clymatum scientia quoad mores hominum, cur certa non est quoad periodum ciuitatum, quarum vita in moribus hominum tota consistit?*

Resp. *Satisfactum est huic quæstioni modò in superiore distinctione, in qua ostendimus mores hominum non absolutè & primariò à motu cœli dependere, est tamen istius inclinationis certa scientia, nam inclinatio naturam, educatio vim rationis sequitur.*

Opp. *Fallit nos sæpe clymatum scientia: ergo ad administrandam rempublicam non est necessaria. Antecedens probatur, quia hoc posito quòd sit certa, sequeretur necessariò australes & subsolares nationes naturæ vi maiorem vim animi, septẽtrionales verò maiorem vim corporis habere. Sol enim australium humores temperat spiritusq; animales viuaciores reddit: sed sæpè contingit quòd australes minus ingenio fœlices & beati existant, vt Sabellicus aliiq; historici narrant. Præterea boreales in altiore parte mundi*

*viuunt, & proinde in subtiliore aere: probabile ergo est maiorem ingenij vim sibi posse vendicare.*

Resp. *Climatum scientia non fallit: quod vrges de australibus & septentrionalibus, verum quidem est particulatim in paucis sed non generatim in omnibus. Et sanè defectus non est in actione cœli sed in mala dispositione cerebri. Nam vt omnis terræ pars non est apta ad fundendum fructum: ita omnis constitutio cerebri non est docilis ad capiendum ingenij cultum. Postrema pars obiectionis de altiore mundi parte & subtiliore aere necessario non concludit, præsertim cùm desit benigna influentia solis quæ vires ingenij recreat.*

## Opp. contra dubium secundum.

Opp. *Negat Arist. esse circulum conuersionum in hoc cap. ergo minùs considerat è ponitur. Iterùm negat esse media per quæ vna forma in suam contrariam vertitur: ergo malè de conuersione successiua & violenta distinguitur.*

Resp. *Non hìc absoluit circulum conuersionum negat, sed semper in optimam reciprocari & reuocari negat. Altera pars argumẽti antecà dissoluitur, cum ostendimus Platonem de comparatione mixtarum rerumpub. cum simplicibus solum disceptasse, & sic verum est sensim & gradatim per media in contrarias formas dilabi. Sed nunc colophonem huic libro addam, obsecrans diuinam maiestatem vt reges & regna in centro veritatis sine motu, in circumferentia virtutis sine lapsu diutissimè conseruet.*

Laus soli Deo.



# LIBER SEXTVS.

## CAP. I.

*Vtrum officium sit bonorum principum rerumpub. labes vi & armis dissoluere?*

DISPVNGI omnia, quæ sunt in hoc libro præcepta, quidam satis deuoti interpretes peroptarunt; ratio est, quia in illis axiomata tum instituendi tum conseruandi rerumpublicarum labes ac digressiones continentur. Impium (inquiunt) est morbos corporis, sceleratum verò morbos sordesque ciuitatis fouere & conseruare; istorum pium errorem atq; beneuolum in patriam affectum probo; verùm quoniam ea sunt tempora in quibus ex ouis olim conceptis caudatos scorpiones passim proreptantes videas; potiùs præmonendi sunt ciues, vt ictum & aculeum præmuniti fugiant, quàm permittendi, vt ignorantiâ tantorum malorum decepti pereant. Si quis ergo hoc loco siscitetur cur Arist. tam impensè operam nauet, vt nõ rectæ rerump. formæ, vel si verius dicam, deformitates tot & tã varijs coloribus vestiantur: respondeo vt anteâ, non aliter illum istas insidias & laqueos in hoc libello, quàm nauis gubernatorẽ arenas & scopulos depinxisse; quippe (vt ait Vers) ideò à Philosopho istarũ transgressionũ idola imagines; delineãtur, nõ vt adorẽtur à principibus, sed vt erecta per tyrannos à bonis ciuibus dissoluantur. Verba eius hæc sunt, Volentes labes dissoluere, magis quidem hoc possunt, si illas cognoscant; quippe hoc modo sciunt euitare fraudes dominantiũ eas; eneruare. Nam vt in theoricis scientijs recitãtur errores, nõ vt homines in eos incidant, sed potiùs vt eos sciãt euitare: ita in hac descriptione reip. proponũtur errata vt eadẽ scientes fugiamus. Non enim malũ est scire id quod malũ est, sed idipsum cognitum perpetrare. Qui ergo candidè Philo-

Antecedentis doctrinæ cautio.

Philosophum exponunt eiusdemq; sententiam rectè percipiunt, in instituendis & conseruandis malis rerump. formis oleum & operam non effudisse asserunt, præsertim cum in animo hoc habeat, vt malas instituendo, quæ rectæ sunt, euidentiùs appareant, melioraq; conseruentur. Non id dicam quod Versor hic addit, nempe vnam caussam esse cur Arist. tyrannidem, oligarchiam & popularem insaniam tã amplè instituerit, quia aliquandò isti dominandi modi sunt necessarij. Nam licet sint mali, ea tamen possunt esse tempora moresq; hominum, vt ad tempus plurimùm expediant, sicut dictatura Romanorum, & Athenienſium ephoria. Si enim Iouem non colẽt ciues, cogantur Martem adorare; truncum contempserunt ranæ, & ideo illis dabatur vultur; si pacis oliuam non ferant homines, digni sunt vt Martis hastam aculeum ex eodem cratere fæces non propinasse, & eodem animo has sordes rerumpub. non descripsisse cogitemus; cũ ille vt labes, hic vt formas; cum ille in eis dominantes proditores patrię, hic verò reges bonos & politicos imperatores nominet. Hic (inquit Versor) inopportunè non mouetur dubium, vtrum quilibet princeps iustè possit dissoluere rerumpub. labes? In solutione supponit tria, primum est quòd princeps sit quodammodò in ciuitate omnia: secundũ quòd primo enti, id est Deo (cuius personam gerit) præ omnibus iure naturæ obligetur: tertium quòd omnis transgressio & labes reip. sit prẽter naturam primiq; entis maiestatem; hinc concludit officium esse cuiusuis boni principis istas deformitates rerumpub. quantum in se est, dissoluere ac delere. Verùm quoniam principatus sunt vel subalternatim (vt aiunt) positi, vt ducatus sub regno; vel è regione constituti, vt duo distincta & diuersa imperia, quæstio est, an principes teneantur alios armis cogere, vt iura naturæ primiq; entis, quæ violarint, complectantur? De subalternatim positis honoribus in eadem ciuitate anceps non est interpretatio; nam licet superioribus suos inferiores ferro ad officium cogere.

Erroris viam, propter veritatis semitam, depinxit Gerard. Do. in sua Specul. Phil.

De



Qui alijs prospicit & publicis consulit commodis iustè administrat.

De non subalternatim positis hęc est quorundã interpretum sententia, nempè quòd liceat cuilibet iustè administranti rẽpub. alios penitus iuri naturali, humano & diuino se opponentes armis inuadere; rationem addunt, quoniam quilibet rex bonus vicem gerit primi principis & vniuersæ naturæ. Si ergo insignes ab illis defectiones fiant, tenetur officio illas pro viribus corrigere & reformare; nam (vt aiunt) omnes principes Deo & naturæ subijciuntur; & vt proditores in regem dissoluunt vnitatem imperij, digniq; sunt ob id facinus diro supplicio: ita reges qui in Deum & naturam peccant, violant harmoniam & consensum, factiq; sunt indigni luce, indigni sceptro & imperio. Præterea (inquiunt) si in bono vtili liceat subuenire subditis intolerabili tyrannorum iugo oppressis aduersùs principes, quanto magis illorum nomina eradi debent ex catalogo regum qui in naturam & Deum insano quodam impetu & affectu sæuiunt? Catilinarijs omnibus & singulis iustè sua amputantur capita, quia vnionem in caput: iustè suæ dilacerãtur partes, quia vnionem in ciues (qui sunt rerumpub. membra) perfringunt: sed omnes principes Deo subditi sunt, à quo si seditiosè discesserint, tametsi propter sceptri maiestatem manerent homines; sceleris tamen indignitas postulat, vt regius splendor ferri rubigine hebescat & obscuretur; quis enim exspectat illum vt alij diligant, cum ipse contemptui numen diuinum habeat? Hæc olim alij, hæc etiam nunc scribo, vt intelligamus non iniusta esse arma quę in barbaros & infideles sumuntur; nam præter oraculum diuinum, quo iubetur Israel contra Cananæos præliari; argumenta non desunt quæ nos monerent in isto delirio mundi ferrum & flammas aduersùs Mahomeristas exercere. Tremunt nunc mœnia Christiana, O Christe bone fac non declinent; Acherontis ostium apertũ est, & lapides in arces turresque Syon loquitur, suum enim Alcaron Turcæ, & Persæ suam Magiam habent, imò multis partibus Europæ tanquam expressum verbum fidei protruserunt, imò venerunt gentes & polluerunt templum tuum domine, imò prophetas tuos gladio, cruci, lapidi condemnarunt;

In quos principes & quando non iniustè sumuntur arma. Num. 33. Deut. 7. & 31.

Agrippa de occulta Phil. in epistol.

3. Reg. 19. Heb. 11.

narunt; expergiscere quæso & tuos Iosuas, tuos Sampsones,
Deut.13. Iudic.13. 4.Reg.8. tuosq; Dauides, hoc est omnes Christianos reges excita, vt
ab impijs discordijs quibus seipsos lacerant resilientes, vna-
nimi consensu aduersùs hostem tuum pugnent. Hæc oro
(studiose lector) quia iustissimum bellum esse existimo quod
pro Christo eiusdemque dulci columbâ & columna veritatis
geritur: tyrannis enim Persica est labes reipub. contra natu-
ram, aduersùs deum: sed (vt probatum est) tenentur reges na-
turę deiq; hostes armis inuadere, labefq; rerumpub. corrige-
re & coercere; cur ergo otiosi stamus? Cur arma non sumi-
mus? At dices vindicta relinquenda deo est, verum est sed de-
us rarissimè vindicat sine medio. Periculosum hoc est quod
doces. Quid ita? Quia arma non sunt sumenda in principes,
Qui aliena, clam, & vi, priuata, & publica, vsurpat, sacraq; & sancta polluit, non rex sed tyrannus iure dicitur. Plato.
vt antè docuisti. Verum id quoque est: at tyrannus hostisque
dei principis nomen non meretur. Sed antè negasti tyran-
num à suis ciuibus iure posse spoliari. Adhuc idipsum nego,
si vel successione vel electione factus sit princeps, hîc autem
de regnis non subalternatim positis disputatur, quorum la-
bes contra naturam primique regis maiestatem institutas li-
cet alijs regibus dispungere & extirpare. Si ista aperiatur fæ-
nestra, lupus ouile Christi (vt aiunt) ingrassabitur, omnisque
leuicula tragicè bellandi arripietur occasio. Dic ergo, quæ
regna, quos reges intelligis? Barbaros, non Christianos cer-
tè: nam illi naturæ, religioni, Deo, Christo, Ecclesiæ, omniq;
iuri diuino & humano se penitus opponunt: hi verò vnum
idemque caput habentes & adorantes armis seinuicem ma-
ctare non deberent, nouum enim acceperunt mandatum, vt
se mutuò diligerent, non laniarent: quippe monstri instar est,
Ioh.13. vt membra vnius capitis, vt partes eiusdem corporis, vt inco-
læ eiusdem ciuitatis, vt filij eiusdem patris, vt in Christo fra-
tres vincula pacis disrumperent, ac non aliter quàm carni-
uoraces & truculenti leones se lacerarent. Christianis lites &
1.Cor.1.& 6. contentiones prohibuit Apostolus: quantò vehementiùs
belli manes & flammas prohiberi voluit? Siccine iã doces?
Quid si rex Christianus prorsus omnem religionem, fidem,
Deique cultum abijciat? Quid si Diagoras Infidelis, Barba-
ricus



ricus & Mahometista fiat? Quid? Caueat tum ille ne iustis-
simum Dei fulmen sentiat, qui fœdus, quo Deo obstringi-
tur, iniustissimè violant; caueat (inquam) ne quando nu-
men diuinum facinorosè oderit, ipse nomen regis lumenq;
honoris humani non iniustè perdat. Hactenùs de causa cur
in hoc libro non rectæ rerumpublicarum formæ & labes ab
Aristotele sunt institutæ diximus, nunc enucleatiùs ad ipsum
textum exponendum paucis accedere oportet. Primum
hoc caput tres habet partes, nempè repetitionem præce-
dentium, futurorum quæ aguntur propositionem, & deniq;
expositionem quandam popularis potentiæ, à qua initium
hic liber trahit. Repetitio tam aperta & perspicua est, vt
lucem soli videatur addere, qui in eadem exponendâ velit
laborare. In propositione ostendit Philosophus se dictu-
rum de varijs formis democratiæ earumque connexioni-
bus, quæ hoc atque illo modo (vt ita loquar) circumflexæ
diuersas reipub. administrandæ formulas efficiunt. Exem-
pli causâ, si in populari statu diuites consultent, oligarchiæ; si
potentes in iudicijs dominentur, aristocratiæ rationem &
motum hic status induit. Hoc posito declarat duas potissi-
mùm causas, cur multæ sint species popularis potentiæ:
vna est, quam superiùs dixit, nempè dissimilitudo mul-
titudinis; nam in populari statu est quædam multitudo a-
gricolarum, quædam opificum, quædam mercenariorum;
si prima cum secunda copuletur, vnam; si vero tertia cum
duabus primis, alteram speciem democratiæ effectam vi-
deas. Alia causa, cur plures sint species istius administra-
tionis, est proprietatum diuersarum distinctio, quæ popu-
laris potentiæ diuersas species parit: vt ergo partes, ita pro-
prietates istius formę sciri & considerari oportet; nam vt
ex partium ita ex proprietatum distinctione diuersa ge-
nera & modi administrandi in hoc statu oriuntur. Si
quærat hoc loco aliquis, quare primùm & tam copiosè in
hoc libro de populari imperio egerit Philosophus: Respon-
dent alij quia ea ætate multitudo nouo imperandi modo
per tribunos studere cępit; alij verò quia oculatiùs debent
magi-

Summa huius capitis.

Vulgus affectibus & arbitrio, non ratione agitur.

Populus sine magistratu, tanquam nauis sine nauta, in scopulosa ruit.

magistratus in omni repub. instituenda respicere ac prouidere, vt populus rectè gubernetur. Nam cum omnis ciuitas sit multitudo, omnisq; respub. ordo ciuitatis, necesse est vt populus (ex quo vtrumque maximè consistit) plurimi in vtroq; fiat & æstimetur: verùm quoniam est difficile hydram multorum capitum demulcere, & imperitam multitudinem lenire, Philosophi fuit primùm & copiosè de hac specie disputare.

Distinctio.

Quatuor tractantur in hoc cap.
- Quæstio de licitè armis sumendis in barbaros & infideles, qui contra naturam & Deum peccant.
- Repetitio eorum quæ præcesserunt.
- Propositio illorum quæ in hoc lib. sequuntur.
- Distinctio Partium & Proprietatũ quæ diuersas species democratiæ gignunt & producunt.

Opp. *Disputatum est antè copiosè de democratia diuitumq; potentia: ergo supernacaneum est de illis hunc totum librum instituere.*

Resp. *Considerantur ista administrandi genera duobus modis, aut quoad definitionem & diuisionem, sic satis anteà de illis disputatum est; aut quoad institutionem multiplicem variamq; imperandi in illis rationem, quæ duo in hoc libro idcircò pertractantur vt istæ pestes rerumpub. cognitæ dissoluantur facilius.*

Opp. contra quæstionem.

*Labes rerumpub. aliquando sunt necessariæ in ciuitate, vt in tempore belli tyrannica dictatura, in seditione ciuili vis Persica & breuis furor: ergo non licet eas dissoluere.*

Resp. *Dictaturam in tempore belli & seditionis (si populi consensu fiat) tyrannidem aut labem reipub. esse negamus. Nam vt chirurgi crudeles haberi non debent, qui ferro partes corporis sic putrescant sine omni mora abscindunt: ita dictatores non sunt existimandi tyranni, qui seditiosos ciues aut hostes capitales vi & armis tollunt.*

Opp. *Aperire fenestram ad perniciem rerumpub. non licet, sed alios contra naturam & aduersus deum regnantes armis exagitare est fenestram ad perniciem rerumpub. aperire: ergo reges contra naturam & deum imperantes armis inuadere non licet. Minor probatur, quia armis irritati crabrones & non superati furent, suasq; hastas*



*hastas in suos hostes vertent. Huc adde quòd difficillimum sit Dei ac naturæ hostes discernere & iudicare.*

Resp. *Diligenter animaduertendum hîc est quòd res qualibet principes non vrgeret ad præliandum cum alijs, sed quando dei causa agitur, vel quandò intolerabilis iniuria contra ius & æquitatem nobis offertur. Præterea non statim ad arma sed primùm ad consilia monitaquè veniendum est, nam si leniri possint verbis vrgeri non debent armis. Sunt enim arma extrema remedia, & sanè hoc modo Barbaros (qui in naturam & deum peccant) vrgere non est fenestram ad perniciem rerumpub. patefacere. Nam etsi vt irritati leones sæuiant, debilitati tamen metuunt nè vt honorem ita suam vitam perdant. Hoc etiam addo quòd non sit difficillimum dei ac naturæ hostes discernere, cum illos solum hoc loco dei hostes appello qui Christum omnemq; religionem ac pietatẽ capitali odio persequũtur.*

Opp. *Barbari & immanes tyranni flagella diuinæ prouidentiæ sunt ad vlciscenda humana scelera: ergo qui arma in illos sumunt contra diuinam prouidentiam pugnant.*

Resp. *Excitauit Pharaonem deus, sed Moysem vt ducem misit & liberauit populum: certum est Barbaros, Persas & Turcas esse flagella dei: sed quoniam in deum & Christũ pugnant, officium regum est suum caput defendere, & in hostes dei arma suscipere: Nam etsi diuina prouidentia hostes ecclesiæ aliquandò permittit: ab illis tamen abhorret animo, & non præscribit vt illorum impetum patiamur, imò præcipit vt omni modo illorum insidijs reluctemur: non ergo contra diuinam prouidentiam pugnatum est cum aduersus impios geratur bellum. Nam etsi tyranni respectu nostrorum scelerum sunt flagella dei, eo tamen respectu quo deum & naturam oderint, vt flabella turbinis supprimi & sedari debent.*

Opp. *Cogi infideles non debent ad fidem: ergo in eos arma gerere non oportet. Antecedens probatur, quia deus volentes non coactos recipit. Ratio patet, quia ideo potissimùm in eos suscipiuntur arma, vt fidem recipiant.*

Resp. *Aliud est arma in illos gerere nè ecclesiam lædãt, aliud est illos ad fidem cogere nè ipsi in gehennam ruant; fatemur ad fidem cogi non debere, omnium tamen interesse dicimus illos ab ouili Christi propulsare. O vtinàm ergo velint meminisse tandem Christiani*

*ani principes, vtinam inquam diutiùs istas inter se maximarum tragœdiarum tædas non alerent, vtinam amplius illud lugubre carmen non audiamus,*

Eheu quàm leuibus pereunt ingentia causis!

*Milites Iudæorum vestem inconsutilem Christi non diuiserunt, vt nos diuidimus, & nisi omnipotentis dextra protegat Ierusalem, Tito, Vespasio, barbarisq; Turcis & tyrannis prodimus.*

## CAP. II.

*Vtrum ciues in democratia maiorem quàm in regno & optimatum potentia libertatem habeant?*

RIORA in hoc libro occurrunt dubia, quia omnia propemodùm quæ in eo tractantur sunt valdè nota & perspicua, quando autẽ se obtulerint paucis vt supra à nobis perstringentur. Nunc verò peditentim (vt aiunt) secuti Philosophum quò ille traxerit veniemus. Duo igitur in hoc secundo cap. proponit Philosophus, nempè postulata quædam seu axiomata, & mores seu instituta popularis potentiæ. Postulata duo sunt, libertas & æqualitas, illam parendi & imperandi vicissitudo, hanc rerum honorumq; proportio æqualis arguit. Vult enim populus per vices imperare, vult vnumquemq; vt placet viuere, vult deniq; æqualitatem rerum numero non dignitate dimẽsiri, & sic dimensam sibi vendicare, quippe in hoc statu de libertate rerumq; æqualitate tota est contentio, si desit illa sæuiunt, si hæc deficiat tumultuantur singuli, nam illam vt finem, hanc vt modum viuendi populares quærunt. Mores seu proprietates quę democratię competunt sunt decẽ, nimirum omnes ex omnibus ad magistratus eligi, omnes vnicuiq; & vnumquemq; omnibus præesse, magistratus ex sorte tribuere, magistratum inopem aut nõ ita diuitem creare, bis neminem ad vllum magistratũ nisi ad militarem admittere,

Decem proprietates democratiæ cõpetentes.



tere, magistratum ad breue tempus sustinere, omnes de omnibus aut saltem maximis iudiciũ ferre, concionem in omnibus aut maximis, magistratum in nullis aut minimis dominari, consilium magistratuum valere in populum sed sine mercede, omnes si non mercedem at magistratus, iudicia, conciones, consilium capere, ignobilitatem, inopiam, opificia sũmè popularia constituere; oligarchia enim nobilitate, diuitijs & disciplina circumscribitur. Huc addunt quidam alias proprietates, nempe magistratum non debere esse perpetuum, eiusdemq; creationem ab electione ad sortem deducere, sed præcedentiũ duarum potiùs repetitionem quã demõstrationem nouarum hanc esse puto; quare ad postulatum primum reuersus hanc quæstionem moueo, scilicet, An ciues in democratia maiorem quàm in regno aut optimatum potentia libertatem habeant? Quid ni fortasse dices habeãt, præsertim cum populus libertati vt fini suoq; quasi summo bono studeat, cũ viuere cuiq; vt quisq; velit omnino in hoc statu liceat, cum omnia ad æqualitatem rerum ac dignitatũ reduci ac reuocari iubeat: sed in regno & aristocratia seueri sunt magistratus, seuerę leges, viuendi licẽtia nulla, nulla rerum, dignitatum aut personarũ adęquatio: tanta ergo nõ est in regno & optimatum potentia libertas ac est in populari statu, de quo nunc agimus. Videtur hæc omnia vera esse quę affirmas, sed vera non sunt; nã si libertatẽ verè definias, maiorem in regno & optimatũ potentia, quàm in democratia libertatẽ inuenies. Distinguo igitur hoc nomen libertatis vel voluntatis affectum & arbitrium, vel habitum & iudicium rationis spectare. Vulgò definitur facultas quâ quisq; potest vt velit pro affectu viuere. Rectiùs autem definitur potestas quâ quisq; possit & velit ex præscripto mentis & rationis viuere: sed in regno & optimatũ potentia quę ad perfectũ bonũ referuntur inest hæc animi libertas secundũ mentẽ & rationem, in democratia autem illa quæ est secundum affectionẽ: est ergo maior in regno & optimatum potentia libertas quàm in democratia. Illa enim quę affectu definitur licentia potiùs quã libertas, hæc verò quæ rationis iudicio definitur

Quæstio.

Qui seipsum vincit plus agit quàm qui vrbes expugnat. Salomon. Cicero.lib. paradox.

vera libertas sola nominari debet, quippe serui sunt qui affectibus mancipantur, at liberi solùm qui rationi & virtuti seruiunt. Nam boni tantùm sunt liberi, tametsi seruiunt; hinc præclarè in paradoxo quodam Cicero, Libertas est potestas viuendi vt velis. Is autem viuit vt vult qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata & prouisa est, qui
„ ne legibus quidem propter metũ paret, sed eas sequitur atq;
„ colit, qui nihil facit, nihil cogitat nisi libenter & liberè. Si ergo vera & germana libertas nõ sit in viuendo secundũ sensũ & appetitum (nam sic viuunt belluę) sed secundùm mentẽ &

Cap.11.lib.10. Vera libertas.

sapientiã vt in Ethicis docet Arist. quis est, qui nõ videt ciues in regno & optimatũ potentiâ maiorẽ quã in populari statu habere libertatẽ? lactent igitur populares de sua libertate q̃ diu volunt, sophisticè & fraudulenter dicant Marius & Scylla, cauete Quirites, cauete socij, nam consules vos libertate spoliant: certum est non libertatem hanc esse imperandi quam volunt, sed licentiam, vt luculenter cecinit Horatius.

*Latiùs regnes auidum domando*
*Spiritum, quàm si Libiam remotis*
*Gadibus iungas, & vterq; Pœnus* ----*Seruiat vni.*

Libertas est cum virtus, seruitus cum affectus regnat.

Quippe non immunitatem viuendi sub hoc nomine libertatis, sed immanitatem regnandi quærunt. Cum enim nobiles in regno aut aristocratiâ libertatẽ populo nundinentur, verendum est ne resp. sui funeris cometam videat; nam tum est libertas cum virtus, tum iugum seruitutis cum affectus regnat: sed in monarchia & aristocratia virtutem, in democratia autem affectum imperare cernimus: concludimus ergo maiorem in illis quàm in hac inesse populi libertatem.

**Distinctio.** Absoluunt hoc C. quod instituitur de populari statu, nempè

- Postulata, quæ sunt duo
  - Libertas, & hæc probatur magis regno & optimatũ potentię quã populari conuenire propter vsũ Æqualitas, quã populus requirit in participatione tum
    - Rectæ rationis, Ordinis, Virtutis, Boni cõmunis seu finis: in quibus vera libertas consistit.
    - Honorum. Rerum.
- Conditiones seu mores numero nimirum decem, qui suo ordine in suppositione pauciſſimis enarrantur.

Opp.



Opp. *Prima conditio, nimirum vt omnes ex omnibus ad magistratum eligantur, non est popularis: ergo non rectè. Antecedens probatur, quia si hoc fiat, confusio non ordo ciuitatis erit; quid enim maiorem confusionem parit quàm vt Gryllus, qui natus est ad rastrum potius quàm sceptrum, in subselijs dignitatis sedeat? sed per hanc conditionem requiritur, vt fæx populi, quæ Gryllostultior est, consultet, iudicet, dominetur.*

Resp. *Etsi prima conditio requirat vt omnes ex omnibus in hoc statu ad magistratum eligantur, octaua tamen postulat vt concio in omnibus aut maximis, magistratus verò in nullis aut minimis dominetur. Quamuis ergo per primam quadam libertas omnibus conceditur, in octaua tamen ordinis causâ coercetur.*

Opp. *Tertia conditio quæ postulat vt magistratus per sortes in hoc statu demandentur non est popularis: ergo non rectè instituitur. Antecedens patet, quia vbi est maxima prudentia ibi est minima fortuna: sed in populari statu est maxima prudentia: ergo in populari statu est minima fortuna, & ex consequenti per sortes in eo clanues reipublicæ trads non deberent. Maior est Arist. sexto Ethicorum & Physicorum secundo, nam sors & fortuna sapientibus non imperant. Minor quoq; est Arist. in tertio Politicorum vbi probat populum vnitum magis ingenio, consilio, prudentiâ valere quàm inter omnes vnum.*

Resp. *Quoniam est maximè popularevt omnes & singuli in hoc statu spem imperandi, consultandi, iudicandi habeant, necesse est ad confusionem euitandam vt magistratus per sortes in eo creare-*
*tur. Preterea negamus maximam in hoc statu esse prudentiam, & ad locum ex Politicis sumptum dicimus Arist. illic vltro citroq; disputando confusè non definitè hoc attulisse.*

Opp. contra quæst.

Opp. *In democratia viuere licet vt quisq; velit: ergo in ea est maior populi libertas quàm in regno aut optimatum potentiâ, in quibus populus seueris legibus coercetur. Antecedens est Arist. in textu. Ratio sequitur ex definitione libertatis.*

Resp. *Libertas vera non consistit in viuendo vt quisq; velit, sed in dirigendo vitam vtratio & ordo iubent: at in regno & optima-*

*tum potentia ciues ex præscripto ordinis & rationis viuunt: in regno igitur & optimatum potentiâ ciues maiorem quàm in democratia libertatem habent.*

Opp. *Alligari & obstringi legibus non est liberum: sed in regno & optimatũ potentiâ ciuis alligatur obstringiturq; legibus: ergo in regno & optimatum potentiâ ciuis non est liber. Maior constat quia quod est debitum & coactum non est liberum. Minor probatur quia in regno & optimatum potentiâ leges sunt ad quarum nutum, vocem & imperium cogimur.*

Virtus legibus non eget: sapiens enim ad normam virtutis actiones omnes dirigit.

Resp. *Qui viuunt secundùm rationem & virtutem, legibus sponte obediunt, ijsq; liberum est sic inseruire, nam obsequi iustitiæ & æquitati non est seruitus sed libertas; quippè in amplectenda virtute onus non est sed honor: est ergo liberum bonis & honestis legibus astringi, est liberum illarum nutum, vocem & imperium sequi. Quòd verò aliquandò in regno & aristocratia multi ad crucem, ad gladium, ad eculeum pertrahantur, hoc euenit quia mali & sceleratis sunt, vitamq; humanam (quæ in rationis triumpho ponitur) deserunt & relinquunt.*

## CAP. III.

*Vtrùm expediat, si ciues pari numero in senatu dissentiant, res magnas per sortes definire?*

PARTES huius cap. apud philosophũ sunt duæ, quæstio & solutio: quæstio est, quomodò futurum sit vt iustum seu æquale tam diuites quàm pauperes (ex quibus omnis ciuitas constat) in populari statu teneant? Hoc dubium indè oritur, quia paulò antè de iusto arithmetico in distributione rerum honorumque disputatum erat. Quidam existimant Philosophum hoc loco in ista quæstione proposuisse duo, videlicèt vtrùm æqualitas in democratia sit accipienda ex censu & quantitate rerum, vel ex numero &



& multitudine personarum? Hoc est vtrùm in distribuendis muneribus ciuitatis talis proportio haberetur, vt sint quingenti diuites, qui tantam rerum & facultatum copiam habeant, quantam mille pauperes, indeq; tantum hij ac illi in bonorum communium participatione valeant? Hoc dubio posito, quærit, Vtrum respub. hoc modo accepta secundùm ius populare iustissima sit, illanè quæ ad personarum numerum, an hæc quæ rerum copiam & potentiã respicit? Ad hoc respondetur aliter populares, potentes verò aliter id iustum adepturos. Dicent enim populares homines, id esse iustum & æquale, quod ita esse pluribus videatur; at hij qui oligarchiæ student, hoc est diuites, id solùm iustum esse affirmabunt, quòd dignioribus ac potentioribus viris sit probatum. Vtramq; opinionem refellit Aristoteles & ostendit ex vtraque sequi magna incommoda: nam si sumatur iustum vt velint diuites tyrannis & oppressio; si verò vt optant pauperes diuitum ruina & contumelia sequitur. Magni enim & potentes viri plebeculam infimæ conditionis multitudinem quasi muscam pedibus conculcant, & multitudo pauperum in gregem quasi coacta nonnunquam diuites bombientes fucos quasi à præsepibus arcent & expellunt. Quid ergo agendum est? Quid definiendum? Cum enim contingit omnem ciuitatem ex diuitibus & pauperibus constare, videtur dubium ad quos calculos reuocetur hoc iustum populare, de quo nunc agitur. In secunda parte huius capitis plena & aperta sequitur solutio, nempè illud in democratia ratum ac definitum esse debere, quod maiori parti iustum & æquale videatur; maiori parti dico, vt simùl diuites & pauperes coniungantur, si partes ambæ de rebus consultantes idem omninò sentiant. Exempli causâ, si sint triginta diuites & pauperes, qui deliberandi vel iudicandi potestatem habent, si ex his viginti rem in quæstionem deductam ac deuolutam concludant, pro firmo & stabili decreto aut lege istorum vnanimis haberi debet sententia; sin verò in concione aut senatu coacto par & æqualis sit vocum seu suffragiorum numerus & diuisio,

Duplex error de iusto secũdùm affectus limitando.

Assimilantur leges apud Scythas aranearum telis quibus minima capiuntur.

Quæstionis sensus explicatur.

facilior aut expeditior via non est exortæ componendæ litis quàm per sortes & calculos rem integram & dubitatam controuersiam terminare. Hinc (quæ à nobis proposita est) quæstio nascitur, nimirùm vtrùm expediat (si ciues pari numero in senatu dissentiant) res magnas per sortes definire? Verba Philosophi hæc sunt: Si in concionis aut iudicum consessu sententiæ ab vtraque parte sint æquales, aut forti res permittenda est, aut aliud tale faciendum. In rectis administrandæ reipub. formis antè negauimus fortunæ temeritati quicquam committendum esse, nisi per magna inciderit rerum necessitas & occasio; aliquādò tamen euenit, vt in bitio quasi hæreat consultatio humana, adeoque sit incerta & anceps, vt penitùs declinet si vltra sortē rationis modo aliquo non fulciatur. Nè ergo in tantâ quasi contrariorum ventorum luctâ nauis reipub. periclitetur, nè in tanta animorum distractione nimiùm iactentur ciues; sapientes viri fortunam aliquandò in senatum vocant, consiliorumq; participem & veluti moderatricem faciunt; hoc autē tum solùm fieret cū ratio deficit, tum valeret cùm consultatio languet: non ergo inconsultò olim Romani in templo suo Pantheon oculatum Ianum & cæcam fortunam iuxtà collocarunt, vt cum bifrons deus à tergo non cerneret, aleam suam fortuna mitteret. Propone ante oculos de eligendo rege, de bello gerendo, aut re alia quauis magni momenti & ponderis in concione agi, ad calculos & suffragia ventum est, domus diuiditur, sumuntur nomina, inueniuntur æqualia, sit liberū pro arbitrio mutare sententiam: at variare vult nemo, quid quæso in hoc casu reipub. agendum? Quid definiendum erit? Diuites & potentes viri indignam contumeliam sibi iniectam esse putabunt, si victi cedant: populus sibi omnem tolli libertatem existimabit, si vi pulsus cedat & conniueat; pertinacia vtrinq; est, salubrior ergo non existit ratio tollendi discordiam quàm rem definire per sortilegium. At dices in tanto dissidio fiat ad regem deuolutio. Quid si rex desit? Tum ad magistratum, qui regis personam induit. At semper talis non existit. Non refert, sit vnus, sint plures, ad illum aut hos referatur contentio.



contentio. Parùm sapis, nam si contra diuites feratur sententia, euolat seditio: si contra pauperes, exclamat oppressio. Cæterùm si per sortes res terminetur, nemo erit tam inuidus qui non cedet, nemo tam imprudens qui non quiescet: impium enim est & stultum occultis rerum euentis (quæ vitari non possunt) repugnare. Quamuis igitur prouidendum sit (quoad fieri potest) ne istiusmodi res contingant ancipites, quę præceps consilium aut nullum reddunt; cum tamen contigerint tutiùs aliâ non possunt quàm hac definiri viâ. Præterea cum languente consilio res forte agantur suspicio fraudis non est, nullus insidiarum metus, corruptio nulla; quæ omnia in deuolutione ad vnius sententiam, aut variatione suffragiorum, plerumque insunt. Multi ijdemque non contemnendi existimant sępissimè sapientum consilia ad eas angustias non sine diuinâ prouidentiâ & motu impelli, vt sicut in occultissimis rerum multarum causis primam causam agnoscere: ita in his arcanis ciuitatis per ignotas sortes eiusdem mirabilem potentiam impellantur confiteri. Si ergo humana ingenia in deliberatione capienda vertiginē patiantur, si populus & princeps, si omnes & singuli de rebus magnis & dubijs philosophantes veluti in visco hæreant, si vel ad dextrā vel ad sinistram festinandum, si vnum vel alterū faciendū sit, necessariò in sorte auspicium boni, in fortuna prouidētiā futuri occultari putemus. Deliberarunt Apostoli quem in Iudę proditoris locum substituerent, multi tum graues, sancti & religiosi viri erant qui episcopatum occuparent, non synodo sed sorte, idque non sine diuina prouidentia Matthias in Apostolorum numerum & communionem sanctorum venit. Credo equidem sortes etiam illas, quas milites proiecerunt pro inconsutili saluatoris veste, quodam modo motu diuino non caruisse; nam quamuis corpus immaculatum agni lanceo, flagro, clauo miserè lacerarunt: vestem indiuisam tamen per quam allegoricè fidei vnitatem intelligimus, sanctę ecclesiæ reliquerunt. Hoc scribo non vt sortibus res magnæ in concione committantur si voce & ratione concludi possint, sed vt tum quidem loquatur fortuna cum cæcutiat omninò

Diuinitus omnia administrantur vt docent Berrinus fol 198. & Fernelius.

Quicquid euenit, censendum est cum Seneca à diuino numine immitti.

Actor. cap. 1.

Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioh. 19.

De indiuisa Christi inconsutili veste, doctorum explicatio.

humana prudentia. Adduci hic possunt multæ multarum gentium ac ciuitatum cõsuetudines, multaq; de sortibus maiorum dicta & locorum exempla. Ridiculum fortasse videatur quod Darius potentissimus ille Scytharum imperator potitus sit sceptro per hinnitum equi, & tamen hoc scribit Iustinus: nouum & inusitatum non fuit apud Macedones talorum iactu res magnas concludere: hodiernus dies testatur Venetos suos duces & magistratus sortibus eligere, grauesque hoc modo lites & controuersias tollere: non est ergo penitus absurdum, non est à ratione omninò alienum, si quædam aliquando fortunæ aleis committantur. Est enim in versatili fortunæ sphæra sæpè auspicium, non semper ludibrium hominis; est quies aliquando & status, non semper lapsus ciuitatis; quippè non solùm noctuam & cicadam, sed etiam apem & formicam Athenis dedit.

Distinctio.

Iustum populare positum est in æqualitate { Rerum, vt eadem sit proportio possessionis. Honorum, vt eadem sit distributio dignitatis. Vocum, vt eadem sit cosensio multitudinis, quæ si fortè distrahatur, remedium per sortes esse debet, quod legitimum esse in hoc statu argumentis apertis suprà probatur.

Opp. contra primam partem cap.

Opp. *Eadem rerum & honorum participatio confusionem gignit: ergo in nullo statu reipub. est toleranda. Antecedens probatur, quia si in bonis fortunæ nulla sit distinctio, nullus futurus est ciuitatis ordo, nulla inter Socratem & Gryllum, hoc est inter sapientem & stultum erit discriminatio.*

Resp. *Respondent quidam democratiam labem esse reipub. & in ea confusionem rerum & personarum esse: melùs tamen respondetur quòd rerum & honorum æqualis sit participatio non actu sed potentiâ, quodq; ne Gryllus quidem à sua sorte in hoc statu depriuetur: ceterùm vt antea demonstratum est, concio in maximis, magistratus verò in minimis principatum tenet.*

Opp. contra quæst.

Opp. *Superiùs de vsu sortis disceptatum fuit: ergo otiosa est ista eiusdem repetitio.*

Resp.



Resp. *Superiùs negauimus in recta reipub. forma eligi debere magistratum sorte, si ratione id commodè fieri potest; hic verò de alio statu administrationis agimus, in quo sortes aliquandò sunt necessariæ: non est ergo otiosa de eâ nunc disputatio, quia noua iam de ea differendi: datur occasio.*

Opp. *In contradictione populi (si res magni momenti sortibus terminentur) fieri potest vt temeritatis motu ciuitas à Scyllâ in Carybdim, hoc est à malo in peius cadat: nihil ergo sortibus committi & mandari debet. Antecedens probatur, quia si æqualiter distractâ vocũ multitudine sortes seditiosis faueant, necesse est vt respub. sui sepulcrum & quasi cadauer videat: at frequentiùs malis quàm bonis, factiosis & sceleratis quàm studiosis virtutis istæ fortunæ pilæ & quasi tricæ contingunt: sequitur ergo tutum non esse res maximas ciuitatis sortibus definiri.*

Resp. *Hoc argumentum vrget rarissimè in ciuitate sortibus vtendum esse; illarum tamen vsum simpliciter non tollit, nam quod sortibus hoc loco euenire dicitur, idipsum vocibus euenire potest, si malorum turba in suffragando vincat. Vt ergo non sunt tollendæ voces, quia aliquandò ciuitatem lædunt: ita non sunt tollendæ sortes, quia aliquandò in facinorosos cadunt.*

Opp. *Vsum adhibendi sortes neq; antiquitas, neq; authoritas maiorum, neq; locorum præsens consuetudo confirmat: ergo admitti non debet. Antecedens probatur, quia vt scribit Herodotus nihil magis sapienter gubernatæ ciuitates abhorrent quàm fortunæ & sorti quicquam commitere.*

Opp. *Idem Herodotus scribit Athenienses tanti Musæi sortes æstimasse vt Onomacritum (qui easdem adulterasse deprehensus esset) in exilium exterminârint. Præterea quis ignorat Homericas olim sortes tãto in honore fuisse, vt per easdem admissi poetæ canere potiùs vaticinari quàm mentiri canentes haberentur? Macedones, Venetos, aliasq; anteà ciuitates attigimus, quæ satis firma & antiqua sunt in hac re testimonia: sententia ergo Herodoti intelligenda est hoc modo, nimirùm ciuitates sapienter gubernatas nihil magis abhorrere, quàm fortunæ & sorti quicquam committere, si rationis imperio aliter concludi & definiri queat.*

Herod. lib. 7.

Consuetudini atque necessitati multa cõcedi debent.

CAP.

## CAP. IIII.

*Vtrùm in democratia agricola pastoribus & mercenarijs sint præferendi?*

CATO & Columella (quorum adhuc nemo authoritatem vt exoticã attenuauit)tantis encomijs rei rusticæ studium & artem extulerunt, vt planè nescias (si oppidò non attenderis)vtrùm meliùs sit cum Fabritio illo senatore rastris laborare, quàm cum Hortensio in rostris causas ciuiles atticâ eloquentiâ agere. Qui philosophantur in theatro honorem vendicant, & non inuideo; at qui operantur in agro honorem hunc alunt, quibus aliquid concedendum puto. Gallus gallinaceus dum vertit stercorariũ offendit gemmam; si gemmarius (quod est pretiosum) capiat, ingratus est si gallo granum non concedat. Agricola, pastor, mercator; qui terram, pecus, merces; colere, nutrire, augere cupiunt; hic ab Aristotele inter se comparantur: ita tamen vt agricola, si popularem imperandi modum & statũ spectes, pastori & mercatori longissimè præferatur. At dices quid hoc ad reipublicam de planta, de oue, de tricis mercatorum agere? Plurimùm sanè interest reipublicæ istarum rerum vsum cognoscere. Nam si aratrum negligat, granum; si ouem, lana; si mercatorum tricas (vt ais,)ornatus & splen[dor] ciuitatis deficiet: ex agricolturâ enim multiplicem terræ fructum, ex arte pastorali infinitum pecudum pecorumque vsum, ex mercaturâ externarum gentium, rerum morumque tam scientiam quàm vtilitatem percipimus. Hæc tria ergo sunt in ciuitate quidem necessaria, nam ei victum, vestem & decorum tribuunt: verùm quoniam in vita & victu maior necessitas quàm in veste, in veste autem maior vtilitas quàm in ornatu inest: iure optimo agriculturam, quæ vitam & victum tribuit, pastorali artique mercenariæ Arist. hic antepositi.

Æsopus.

Vtilitates quas particulatim producunt hę artes, enumerantur.

Agricultura, vltra reliquas omnes artes maximè necessaria tum propter necessitatem, tum propter honestam vtilitatem, primas obtinet in Patricio.

Ad



Ad historias nunciasque temporum & veritatis de his tribus acturus me nunc non conferam, quod si facerem effusus sermo in volumen crescceret, modumque laudis non inueniret: quippe in quanto honore ac pretio hæc tria olim fuerunt habita, testes sunt Thebæ, quas agricolæ; testis Roma, quam pastores; testes Athenæ, quas mercatores magnificè extruxerunt. Adam & Patriarchæ coluerunt terram, Moyses & Dauid aluerunt gregem, arcam & nauem inuenit Deus. Sed comparationis argumenta & rationes aggrediar, nec non ostendam ad administrationem populi seu democratiam agricolas pastoribus & mercenarijs longè aptiores esse. Cum hic status (popularem intelligo) ex plebeiâ multitudine maximè coalescat, adeoque proximè ad politiam (in qua propter publicum & commune bonum dominatur populus) accedat, quoniamque multitudo hominum vigetior sensu quàm mente existens ad obiecta magis externa quàm interna feratur, necesse fuit vt (mente otiosâ nunquam existente) turba ciuium circa illa opera sollicitè occuparetur, in quibus veluti expressa & visibilis virtutis species formaque cerneretur. Sed in re rustica multæ quasi sensibiles virtutes sunt, vt labor corporis, humilitas, finita diuitiarum appetitio, contemptus honorum, animi simplicitas, frugalitas vitæ, mira victus parcimonia & moderatio: quæ omnia ita commendant agricolam, vt rusticus beatior in suo paruo tigurio quàm Alexander in suo magno imperio esse videatur. Principes enim purpurâ vestiti, saginati epulis, otio dediti, vitiorum quasi nidos struunt, & ad Syrenum vocem somniantes sine vllo honoris vexillo pereunt: at agricolę pannis à frigore solùm tecti, crassioribus esculentis pasti, laboribus exhausti fucos à præsepibus arcent, Helenam contemnunt, Circes carmina non audiunt, casti, sobrij, expertes fraudis & doli viuunt. Obstupenda est ergo dei prouidentia, quæ ita disposuit ciuitates, vt Coridon & Thirsis intenti operi à stercore & pecore in cœlum aduolent. Grandis est agricolarum labor, & onus graue, quo corpus vsque defessum veluti ad animi & pietatis imperium subeundum cogitur; hinc illud, Labor improbus & corpus sanum &

Gen.3. Exod.3. 1.Reg.16. Gen.6.

Agricultura homines beatos reddit. Cato.

Vnde Aglaus Pisophidius agricola fœlix ab Apolline iudicatus est.

Formicas & apes imitãtur agricolæ, qui dum vtilia simul & honesta quærunt, vitiorum inquinamenta fugiunt.

Vir. Georg.

mentem

mentem saluam reddit. Qui ergo minùs animo & ingenio vigent, hij cum agricolis desudent corpore, ne dum sensus saginentur otio, animi vires corrumpantur vitio. Patres olim in renascente ecclesia constituerunt vt fratres & monachi studio fatigati in vineis foderent & laborarent, hoc autem ideo fecerunt, vt non solùm oblectamentum caperent, sed etiam vt otium, quod est vitiorum fomes & esca, fugerent. Cęterùm ad Arist. reuertor, sunt inquit agricolæ aptiores ad gubernandum democratiam, primùm quia existunt plerumq; honesti & studiosi virtutis, tum quia sunt ferè omnes & singuli inexperti fraudis, deinceps quia sunt alieni ab auaritia, postremò quia minimè omnium ambitioni & seditioni student. Quòd sint studiosi virtutis patet, nam vt suprà ostendimus, agricolæ onus & AEtnam reipublicæ sustentant, labores & dolores ciuitatis deuorant, corpora exhauriunt, animos à vitiorum tyrannide & iugo liberant, hij enim nec oculos idolis Veneris, nec gustum Bacchi ferculis, nec tactum scortorum menstruis, nec aures Paridis cantilenis, nec nares spumosæ voluptatis fumulis corrumpunt. Si cespitem, focum, seruum & boucm habeant, viuunt contenti, vltra sortem nihil ambiunt, pro foribus cane & anscre vigilante securi dormiunt, surgunt mane, laudant Deum, ad opera reuertuntur, sed quid hoc aliud est quàm honestè & studiosè viuere? Quòd verò sit expers fraudis minimeque astutum hoc genus hominum, hinc constat, quia otio non torpet & consortio caret: astutia enim ex otio prauoque consortio manat, quippe fraus studium, insidiæ callidum consilium postulant: at agricolæ laborum tedio vulnerati id otij non habent vt dolis, id consilij non habent vt insidijs studeant. Præterea agricolæ sordidè non sunt auari & siticulosi helluones rerum; rationes in textu addit Philosophus, tum quia solùm naturalibus diuitijs vtuntur, circa quas nec appetitus multùm decipi, nec appetendi modus vltra modum superari potest, tum quia minore illorum conditio & exilis status conseruatur: vndè sæpè contingit quòd agricolæ mutatâ administrandi formâ diuitum poten-

Vt iucunditatem præbet, sic & otium agricultura fugat.

Agricolæ virtutis studiosi.

Fraus viget in otio, vnde otiosi venenum reipub. nominantur. Diod.



potentiam libenter ferant, modò proprijs possessionibus ac bonis (tametsi sunt illa quidem exigua) gaudere permittantur; quod sanè non fieret, si appetitus acquisitis necessarijs non penitus acquiesceret. Postremò ambitionis tædis & flammis seditionis agricolæ rarissimè aut nunquam accensi candent; nam solum fertile non solium regale, terræ fœcunditatem non maiestatem imperij intuentur. Quamuis ergo omnis homo sit gloriæ & honoris cupidus, & proindè agricultores dignitatis insignijs aliquando titillentur; illorum tamen sitis facilius satiari & extingui potest, si ad consilia, iudicia & decreta ciuitatis admittantur, si fruantur suis, si solùm mediocrem libertatem habeant. Est ergò politicum & etiam necessarium tam agriculturam quàm agricolas in republica non minimi æstimare, immo honorificis aliquando præmijs ad hoc studium allicere. Lucio Quinto Cincinato in agro aranti nunciatum est eum dictatorem esse factum; à villa in senatum accersebantur Curius alijque permulti senes, vt ait Cicero; Quid addam? Amænius nihil, vtilius nihil, nihil delectabilius agricolarum arte, quæ (vt ait Plato) in rerum naturalium varietate, vsu & fœcunditate ponitur. Sed de hac re plura apud Ciceronem, Xenophontem & Politianum legite, hæc nunc sufficiant, ex quibus patet optimam popularis potentiæ speciem esse quæ ex agricolis & agricultura constat. Nam vt summatim dicam, agricolæ non torpent otio, rerum copiâ non abundant, honores ambitiosè non petunt, non student insidiis, seditiosi, maleuoli, astuti rarò aut nunquam fiunt, corpore ad bellum gerendum valent, aliena non rapiunt, exiguo contenti viuunt, marsupia, gazas, thesauros ciuitatis emulgere, emungere & exhaurire non student, immensos denique fructus ex vtero terræ suo ipsorum labore partos ciuitati alendæ & conseruandæ præstant. Hæc autem pastores & mercatores similiter non agunt: sunt ergo agricolæ in politica democratia illis multis gradibus præferendi. Succedunt nunc Romulus

Tantum abest iniuriam inferre, vt ius ciuile agriculturæ intendentes ab omnibus oppressionibus defendendos esse statuat. l. 11. c. de lucris aduo. lib. 12.

Ad pastoralem vitam descendit.

Romulus & Remus omnium nobilissimi pastores & fundatores Romæ,sed quid de vita pastorali dicam?An pastores cum suis fundis ouiumque gregibus in senatum veniant? Tityrus & Melebęus Mantuã non Romam colunt, pastores in valle, monte & silua cum suis ouibus versari debent potiùs quàm in concione cum suis ciuibus: sed verbis ludo, rem ergo in punctum contraham. Pastores hîc non solùm pro illis qui oues alunt,sed etiam pro his qui ex pascuis viuunt, accipiuntur; ad quorum vitam requiruntur tria,solitudo vitę,animi industria, corporis robur seu fortitudo:solitudo vitę,vt attẽdant gregi; animi industria,vt pascua pabulaq; salutaria inueniant, morbosque pecoris curent;corporis robur, vt gregem non solùm à feris defendant,sed etiam vt ipsi omnem aeris procellam & tempestatem ferant: hinc concluditur quòd vita pastoralis non sit propriè ac simpliciter politica,quippe est solitaria;sed solitudo quodammodo est contraria luci & celebritati hominum,quæ propriè ciuilis dicitur.Præterea versari & viuere perpetuò cum belluis mores à ciuitate alienos gignit:nam vt nimia familiaritas cum scortis meretricios & effæminatos viros reddit: ita qui cum brutis animantibus in annos viuunt, mirum non est si agrestiores & rudiores fiant; est ergo vita pastoralis admodum periculosa malè educatis viris,quos anteà Philosophus ab omni communione vitæ & virtutis iustissimè excluſit. Nam quemadmodum boni sæpè vitam heremiticam agunt, vt in hoc puncto mortalitatis æternam & infinitam numinis circumferentiam oculatiùs contemplentur:ita mali & dissoluti solitariam sæpè profitentur vitam, vt ab illa circumferentia in fæces suorum scelerum & fauces inferni pręcipitantiùs cadant, isti sunt qui pro punctulo voluptatis immensum virtutis præmium & gemmam perdunt, pro terra cœlum,pro pluma Christum:pro pluma dico Christum quia in hac valle securi & supini dormiunt,quorum vita mors est & mors vitę sepultura.Non tamẽ hîc nego quin sint multi pastores, qui vigilantes media nocte videant angelos,audiant & canant gloriam in excelsis Deo, qui inquam pascentes oues ter ament Christum, cuius vestigia sequuti præclara exempla

In pastore tria requiruntur.

Luc.2.

Ioh.21.



exempla sanctimoniæ relinquunt gregi. Sed quorsum hæc? An pastoralis vita theorica potiùs quàm politica & ciuilis nominetur?imò certè, nam solitaria est, nec non à strepitu ciuitatis remota & aliena .Enoch,Abel,Dauid ,dum inter Dumeta pascebant greges ,sinceras deo effuderunt preces: si mens nimis igitur non sit depressa,vita pastorum non est abiecta;si verò cum agricolarum opere & arte comparetur,minùs ciuilis est minúsq; in vsum ciuitatis necessaria. Superest nunc vt mercenarij & mercatores eorumq; vita cum agricolarum & pastorum conditione à nobis cõferatur,nam hæc est postrema pars comparationis nostræ.Mercatorum mater natura,nutrix semper experientia fuit.Cum enim in omni loco omniq; terrarum plaga omnia non abundent, adeóque multa vtilia, multaq; etiam necessaria desint, mercatores creati sunt, vt quæ domi pręstò non habentur, ex illis petantur nationibus,in quibus copiosiùs fluunt: vehiculum mercatoris nauis est,manus dextra,nummus fama,fides ,scopus rerum commutatio:instituuntur ergo mercatores in omni republica nè indigentiâ rerum necessariarum & vtilium langueant aut labantur ciuitates; hinc mercatoribus libertates & priuilegia multa dederunt patres, vtputà commune fori, portum, templum, iudicium,& vltrà in multis locis liberum suffragium , non aliter quàm si essent à natura aut electione ciues. Mercator (vt Sepulueda statuit)debet esse vir comptus,diues,iustus, laborum patiens, linguarum, morum, locorum doctus, in acquirendo diligens,in expendendo sumptuosus ; ornatus corporis requiritur , vt fiat amabilis; diuitiæ, quia

Gen.5. Gen.2. 1.Reg.16.

De mercatura.

Qualis esse debet mercator.

*Quantum quisq; suâ nummorum seruat in arcâ,*
*Tantum habet & fidei;*

Iustitia, vt nomen & fidem seruet; laborum patientia,vt maris aerisque tempestates ferat; linguarum , morum, & locorum scientia , vt suas ipsius causas & negotia tractet; in acquirendo diligentia,vt copiam suarum rerum adaugeat;in expendendo liberalitas,vt fauorem populi sibi conciliet. Tales mercatores reipublicæ præsidia sunt & (vt ita loquar) defe-

ctuum in ciuitate medici & medicinæ; quippe quid deficit, quid sit defuturum sedulò considerant: consilio capto per mare, per terram, per ignem ad Indos volant, naues onerant, per Syrtes redeunt, nullum vitæ & fortunarum discrimen fugiunt, modò rerum deficientium fœcunditate & copiâ suas ciuitates beent. Laudantur in sacris literis Tyrus & Sidon propter mercatores suos, beati fuerunt illi quidem mercatores, qui pretiosa multa in ædificationem templi Salomonis peregrè aduexerunt, merces optima vt ita dicam fuit Ioseph, quem emptum olim à fratribus mercatores in AEgyptum & in domum Pharaonis detulerunt: in hoc non sunt condemnandi, qui iam Indis, Anthropophagis, & immaniter barbaris hominibus gemmam verbi diuini cum suis mercibus obtulerunt; mercedem in cœlo habent, qui tales merces emunt. Hactenus de conditione & nomine mercatorum, nunc de comparatione eorum cum agricolis & pastoribus in democratia agitur. Distinguendum hic est quòd vita mercatorum bifariam consideretur, vel strictè secundùm originem & institutionem, vel fusè & communiter secundùm progressionem temporum hominumque corruptionem: primo modo eorum vita iusta omnibus, vtilis sibi, reipublicæ necessaria est: iusta omnibus, quia neminem lędit; vtilis sibi, quia in quæstu & lucro ponitur; reipublicæ necessaria, quia eiusdem indigentiæ subuenit & succurrit. Secundo modo accepta nocet plurimùm, est enim rapax & capax omnium, adde si placet, quòd sit mendax & fraudulenta; rapax, quia plerumque in mercatoribus appetitus pecuniarum est insatiabilis, iuxta illud,

Qui victum labore quæritant nec non necessaria afferunt fouendi sunt mercatores. Cato & Cic. lib. 1. off. 3. Reg. 5. Genes. 35.

*Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit;*

Belgarum mos multùm laudari debet qui mercatores omnes libidinum irritamenta apportantes, prohibere solebant.

Capax, quia omnium maximè Plutum diuitiarum Deum adorant & venerantur, adeoque aurum non aliter quàm vultures & leones prædam mordicùs in arca tenent; Mendax, quia omnes ferè & singuli mercatores in protrudendis mercibus audent peierare, nedum (illorum id pace dicam) mentiri, fingere & dissimulare. De his locutus Philosophus ait quòd agricolis & pastoribus sint deteriores, tum quia illorum studia



dia & opera nihil habent cum virtute commune, tum quia auari, fraudulenti, ambitiosi existentes faciliùs ad seditionem pertrahantur, quibus malis difficiliùs in illis occurritur, quia potentes sunt & opulenti, nec non in foro & theatro quotidie versantur, cum agricolæ & pastores ruri in opere quieti viuunt. Animaduertendum hic est sub nomine mercatorum artifices & mercenarios omnes in hoc capite generatim intelligi, propriè tamen (vt superiùs diximus) mercatores sunt qui naui, merce, arte, reipublicæ defectibus opitulantur, omnemque indigentiam tollunt. Si paucis hic velis accipere quæ ordine in hoc capite ab Aristotele dicuntur, summa hæc est, primùm quidem probat quòd administratio illa popularis sit optima, quæ ex agricolis constat: rationes addit, quia agricolæ solùm circa necessaria ad victum occupati non moliuntur quic quam aduersus rempublicam, quia suis detenti operibus furentiùs aliena non appetunt, quia delectabiliùs illi opus conficiunt ruri, quàm lucem ciuitatis ferunt, quia magistratus non petunt, aut si petant, facilè illorum sitis extinguitur & satiatur, si saltem creandi magistratus & corrigendi facultas illis tribuatur: statuendum ergo est in hac forma reipublicæ vt populus magistratus eligat, vt idem certas ac definitas possessiones habeat, vt hæreditatem non vendat, vt in immensum non diteſcat, vt secundùm leges & instituta maiorum viuat. Post agricolas, pastores in hoc genere imperij proximum locum vendicant, magnam enim cum agricolis cognationem habent; quippe in agris versantur, & corpore valentes ad bellum apti, vtiles & idonei sunt: cæterùm minùs politici eò habentur quò magis solitariam quàm agricolæ vitam desiderant. Deinceps turbam mercatorum, opificum & mercenariorum deterrimam popularis imperij speciem efficere ostendit, ratio in textu sequitur, quia otiosa est, auara, & ad omnem horum seditionis facillimè incitata. Postremò tres leges ad conseruationem huius administrationis tradit Philosophus, prima est quòd nemini licear possidere vectigalia vltra certam ac definitam proportionem,

Summa totius capitis.

Quæ in magistratu eligendo obseruari debent.

Pastores apud antiquos sub agricolarum nomine continentur. vt apud Cat.

Leges tres.

nem, secunda quòd nemini liceat primas sortes hereditatis diuendere, tertia quòd nemini liceat ius suum hereditarium oppignorare.

## Distinctio.

Agricolæ sunt pastoribus, mercatoribus & mercenariis in democratia præferendi propter

- Antiquitatem agriculturæ, quæ post exilium primorum parentum à paradiso instituta fuit.
- Necessitatem eiusdem in { Vita, Victu, Cultu.
- Multiplicem vtilitatem rerumq; immensum fructũ, quem ciuitati præstat, vtputa in grano, in planta, in pastione, alijsque infinitis rebus.
- Incredibilem voluptatem & delectationem, quam ex ea omnes in omni ętate habent: cũ ergo vita pastoralis & mercenaria neq; institutione tã antiqua, neq; in vsu ciuitatis & vitę humanę tã necessaria, nec delectatione tã amęna sit, meritò agricolarum vita est præferenda.

Opp. *Agricolæ ruri semper versati agrestes & rudes fiunt: ergo non sunt omninò apti ad rempub. Antecedens constat, quia rusticitatis consuetudo in naturam abijt. Argumentum tenet, quia illi solùm sunt ad rempub. capessendam apti qui morum ornatu, cultu ingenij, rationis imperio valent.*

Distinctio Agricolarum.

Resp. *Agricolæ sumuntur aut pro mancipijs naturæ, & sic non sunt apti ad capessendam rempublicam; aut pro patribusfamilias ruri sollicitè occupatis, virisq; rerum rusticarum probè expertis, & sic sunt pastoribus & mercenarijs longè aptiores ad potentiam popularem gubernandam, de quâ hîc agitur. Notandum ergo hoc loco est, quòd primæ non dentur agricolis respectu omnium, nam sic meliores essent quàm consules, quàm senatores, quàm sapientes viri; sed solùm hîc comparatio est inter agricolas, pastores & mercatores, in qua comparatione propter rationes superiùs allatas hijs illi iure præferuntur.*

Opp. *Vita theorica seu contemplatiua est melior politicâ seu actiuâ: sed pastorum vita est magis theorica & contemplatiua quàm vita agricolarum: ergo vita pastorum est melior. Maior est Aristotelis*



*Aristotelis decimo Ethicorum. Minor verò est in textu.*

Resp. *Non hîc disseritur de perfectione vitæ respectu moralis virtutis aut mentis, sed respectu ciuitatis & actionis, plura ab agricolis (qui semper in opere) quàm à pastoribus (qui plerumq; in otio viuunt) emolumenta & commoda reipub. offeruntur; melior est quidem theorica vita, si hominem; at melior est politica, si ciuitatem spectes.*

Opp. *Mercatores in opere magis honorifico, in periculo magis formidoloso reipublicæ causâ versantur: ergo agricolis sunt præferendi. Antecedens patet, quia opus mercatoris est cum exteris nationibus pacta inire, illarum mores, ritus & leges discere, ciuitatis defectiones supplere, inter syrtes nauigare, quæ omnia sunt multò illustriora quàm sterquilinium fodere, terram arâre, aut quoduis negotium rusticorum agere.*

Resp. *Ludis, nam hîc non tam dignitatem quã necessitatem operis & actionis cõsiderare oportet. Fatemur fortasse in actione & vita mercatorum maiorem esse splendorem & ornatum, at negamus penitus ex illa maiorem vtilitatem & fructum reipublicæ euenire, nam omnia ferè quæ mercatores emunt sunt superflua, at omnia quæ agricolæ pariunt sunt necessaria; si aromata, gemmæ & aureæ vestes desint, viuit respublica; at ciuitas sine grano, lana & cibo perit.*

Nauis antiquitùs non plus quàm trecentas continuit amphoras ad fructus solùm vectandos necessarios, vt ait Liuius.

Opp. *Negari non potest quin mercatores maiorem prudentiam & experientiam imperandi habeant quàm agricolæ: ergo in administratione reipublicæ popularis sunt magis æstimandi. Antecedens ex textu patet, in quo docetur quòd mercatores in luce ciuitatis viuant, quòd conciones & concilia adeant, quòd rerum maximarum successionem & vicissitudinem intelligant, quòd mores ciuium viresque legum ad vnguem discant: sed agricolæ ruri in cespite & pauperi tigurio istorum nihil videntes vel audientes sedent.*

Resp. *Hæc omnia plurimùm vrgerent si de alio statu & forma reipublicæ hoc loco ageretur, sed in democratia in qua populus principatum tenet hæc omnia tam accuratè non requiruntur. Præterea cum mercatores locupletes facti, oligarchiæ potiùs quàm populi libertati studere soleant, verendum est ne plus illorum experientia noceat ad mutandum, quàm agricolarum mediocris*

*industria prosit ad conseruandum statum ciuitatis. Satis ergo est in populari potentia popularem habere scientiam & experientiam rerum, aut saltèm ita politis & expertis viris claues ciuitatis concedere, vt illis frænos pro arbitrio populi seu multitudinis liceat injcere.*

Opp. *Absurdè in hoc capite tradit multa Philosophus: ergò malè hoc loco defenditur. Antecedès probatur, quia suadet in hoc statu popularj consultum fore vt quisq; pro arbitrio viuat. Iterùm tutum esse ait in hoc genere spurios, pernicioſos & peregrinos ciuitate donare. Adhuc licitum esse affirmat sophismatis & dolis eò vsq; fallere, donec multitudo nobiles & medios superet. Plura quid addam? Seruorũ licentiam, puerorum mollitiem, fœminarum communitatem, plusquàm barbaricam diuinorum cum humanis confusionem, omnia denique tyrannica artificia & commenta hîc approbare videtur, quæ singula legentibus manifestè patent.*

Resp. *Vno verbo dirimatur tota hæc controuersia, si dicamus in singulis locis quæ adducuntur, de vltima specie popularis potentiæ disputari, quæ istis artibus opus habet vt conseruetur: est enim suprà quàm dici potest deterrima, modisq; pessimis conseruanda; quippe ex colluuie multitudinis coaluit, spurios, fœdifragos, barbaros, impuros, omnigenere flagitiorum coopertos carnifices tanquam ciues optimos in suum amplexũ suumq; senatum rapit. Fatemur ergo Arist. hæc omnia dicere; ita tamen vt ad tyrannicam & furiosam populi insaniam potiùs quàm ad veram populi potentiam referantur omnia: vt igitur antea de tyrannide agens temporum, locorum, hominum, retexit scelera, ita nunc de populari furore differens sub nomine conseruationis pestes contagiosas labis eiusdem ad viuum resecat & describit: in aliis verò popularis administrationis formis, vt hîc perspicuum est, hæc monstra malorum fugienda docet.*

## Dubium.

*Vtrùm vulgus ad studium agriculturæ incitari debeat?*

Prioris disputationis continuatio.

TRES à Philosopho in hoc textu sanciuntur leges ad conseruandam populi potentiam accommodatæ, quarum prima est vt quisq; certam ac definitam agri mensuram possideret, secunda vt nemo primam sortem hæreditatis venderet,



deret, tertia vt nemo ius hæreditarium pignori aut vsuræ daret; primam & secundam Plato, tertiam Oxylus Thrax ille legumlator Aphytæorum tulit: in prima æqualitas, libertas in secunda, in tertia ciuitatis honos & amplitudo quæritur. Pares enim sunt ciues cum quisq; certam mensurã habeat, liberi cũ quisq; aliquid iure suo proprio teneat, honorifici cum neq; fœnore alios neq; pignore seipsos vulnerant. Sed de prima solũ hîc lege agitur, quæ mihi videtur tantùm ad agricolas pertinere, quippè fieri non potest vt omnes & singuli artifices atque mercenarij agrorum possessionem quærant, neque hoc conuenit vt omnes in agris viuant, & sanè verba in textu Aristotelis huc tendunt: sic enim ait, Ad populum agriculturæ studiosum reddendum leges quædam ex ijs, quæ apud populos olim positæ sunt, omnes adiuuent conferantq;. Leges verò, quas modò recensui, proximis in textu sequuntur verbis: hinc colligo vulgus incitandum esse ad vtile studium agriculturæ, quod partim ex hoc loco, partim ex alijs breuiter sic probo. Est necessarium in omni repub. vt hoc fieret: ergo fieri debet. Antecedens constat, quia sine hoc studio & opere respublica conseruari non potest. Deinceps nobiles, mercatores, mercenarij, opifices alijs reipublicæ vsibus & locis inseruiunt: ergo expedit vt vulgus solùm ad hoc studium alliciatur. Præterea vulgus à natura procliue est ad hoc opus & studium: ergo si præmium & laudem addas, facilè alios cunctos in hac arte superabit. Porrò nullum studium maiora aut meliora cõmoda ciuitati suggerit quàm agricultura: ergo ad eiusdem studium populum magnis propositis præmijs magistratus trahere & exhortari debet. Postremò omnes olim ciuitates sapienter instituterunt hoc ipsum fecerunt: ergo fieri quidem debet: meliùs autem fieri non potest quàm eo quo hîc docet Arist. modo, nempe vt vnusquisq; certam ac definitam agri partem teneret, eandemq; possessam vendere aut oppignorare non liceret. Proprietas enim rerum voluptatem omnibus, perpetuitas hereditatem posteris certiorem facit; vt ergo patres certâ possessione: ita successores spe & expectatione ad laboriosum hoc onus, opus & studium allectantur.

Vt ciuitas bene regatur, agricultura neutiquam negligatur, admonet Tremellius Scropha.

Opp. contra primam & secundam legem.

Opp. *Si vnusquisq; certam agri mensurã teneret, adeoq; teneretur lege eandem non vendere, otiosi posteri redderẽtur: hæc ergo ratio incitandi vulgus ad studium agriculturæ non est satis prouida, vtilis & consulta. Antecedens probatur, quia inopia laborem & industriam, copia torporem & segnitiem parit, vt ait Seneca: hoc enim posito quòd segniores à natura simus, illoq; addito quòd constet de possessione paterni iuris, non dubitandum est quin potiùs otio & voluptati quàm negotio & labori nosmetipsos voueamus.*

Resp. *Disputas quasi nulla esset inter agricolas educatio, nullaq; rei rusticæ faciendæ consuetudo, aut fortasse per agri mẽsuram magnam rerum abundantiam intelligis, sed in vtroq; plurimùm deceptus erras; nam per certam agri mensuram Philosophus exiguum prædiolum intelligit, quod sine cultu & labore facũdum non redditur: non solùm ergo studium patrisfamilias sed etiam successorum labor ad messem istius segetis requiritur, eò enim lex tendit, eoq; præmium conceditur.*

Opp. *Tantus non est in agricultura sudor quantus est honor: ergo vulgo non conuenit. Antecedens probatur, quia antiquitùs in omni præclara repub. viri nobiles sese ad hoc opus contulerunt, vt de Catone, Quintio, Curio, aliisq; excentis apud Romanos, de Cyro minore illo apud Persas, apud Athenienses de Codro, de Lysandro apud Lacedæmonios in historijs legimus. Præterea ex agricolis & viri fortissimi & milites strenuissimi gignuntur. Postremò scientia agricolarũ non est penitus expers astrologiæ & meteorologiæ, vt ex Hesiodi & Virgilij Georgicis constat: sed neq; militaris disciplina, neq; diuinarum rerum contemplatio vulgo id est rudi hominum multitudini & turbæ conuenit: ergo nec studium agriculturæ ad vulgus spectat.*

Resp. *Fatendum est olim honorificos viros hanc agriculturæ scientiam nobilitasse, neq; hîc negamus quin ad eandem cæli, terræ ac temporum contemplatio quodammodo spectet: cæterùm illos non necessitatis sed voluptatis causâ arasse censemus, eamq; cœli, terræ ac temporum contemplationem naturalem experientiam potiùs quàm scientiam, obseruationem potiùs quàm demonstrationem olim fuisse & nunc esse putamus; agricolæ enim non sunt astrologi aut Philosophi arte sed vsu, non scientiâ sed naturâ & longâ rerum experientiâ.*

CAP.



## CAP. V.

*An bona damnatorum potiùs Deo quàm principibus pauperibusq; in repub. consecrentur?*

Analysis istius cap. hæc est, agitur de conseruatione popularis imperij; in quem finem quinque adducuntur præcepta. Primum quòd legumlatorum sit, non solùm in hac sed etiã in omni reipub. forma, sancitis legibus conari, non tam vt ciuitas existat quàm vt diutissimè conseruetur. Nam sicut in corpore humano vita non est viuere sed valere: ita in ciuitate parùm prodest collecta multitudo, si non sit eiusdem salutaris ordo & diuturna conseruatio: non enim societas tantùm sed societatis diuturnitas incolumitasq; ciuitatem facit. Secundum præceptũ est vt damnatorum bona non principibus, non pauperibus, sed sacris vsibus consecrentur: non principibus, nè sitis immodica rerum illos tyrannos; non pauperibus, nè spes mercedis illos homicidas & truculentos accusatores reddat. Nã auri est sacra fames, at Crassi aurum suffocauit dominum. Tertium est vt falsi & insidiosi accusatores exquisitis pænis mulctentur, quâ lege publicè demùm notâ rariora iudicia, pauciora periuria & supplicia fierent. O quàm misera est ciuitas in qua innocentium mors & vita à perditorum (cauterio exustis) conscientijs pendent; quàm fœlix & beata quæ subornatos testes & sycophantas tollit! nam quis tutò viuit, si cuiuis quemlibet falsò accusare liceat? Quartum est quòd vbi sunt parua aut nulla reipub. vectigalia, rariores concliones; vbi verò magna & multa, frequentiores senatus fierent; ita tamen vt quę abundant bona statim populo non diuidãtur, sed in publica reseruentur ciuitatis gaza: populus enim in accipienda mercede est instar dolij aut vasis perforati. Nã vt dolium pertusum paulatim ex vna parte recipit & ex altera effundit: ita multitudo non citiùs capit quàm consumit omnia.

Quinque requirũtur præcepta ad conseruationem popularis imperij.

Aurum vtile propter vsum, inutile propter appetitum

omnia. Cæterùm cauendum est nè populus cum extrema fortuna & miseria conflictetur, nam hoc naufragium est democratiæ: hinc quantum est præceptum, nempè quòd vtile sit ex affluentia redituum oppressis & inopiâ laborantibus aut tantum dare quantum ad agelli comparationem, vel rerum commutationem & mercaturam sufficit; aut more Carthaginensium & Tarentinorum illos ad beneuolentiam & placabilitatem allicere suis ipsorum iumentis & aliquibus possessionum fructibus inter egenos ac pauperes distributis, quos sic ditatos nunc sorte, nunc electione ad magistratum dignitatisq; locum admiserunt. Hactenùs de expositione textus, nunc ad quæstionem venio quæ est, An damnatorum bona magis Deo quàm principibus aut pauperibus consecrentur? Necesse est vt in omni rep. sapienter institutâ putridæ partes (de quarum desperatur salute) à politico corpore rescindantur, ne earum contagio pestiferos halitus in totius ciuitatis venas & præcordia spargat: vt ergo bonis & studiosis sceptrum, ita malis & facinorosis ferrum iure debetur. Cæterùm nè membra sine causa pereant, iustitia misericordiam & prouidentiam sibi comites habere debet, vt sit tanquam mater propitia, si spem virtutis; cauta tamen & seuera, si sceleris immanitatem videat. Hinc in omni ciuitate, comitia, tribunalia, iudicia solemniora instituuntur, vt nemo summæ, mediæ, infimæ conditionis sine iuris ordine & iudicum religione condemnetur: non ergo licet, imò horrendum est adeoque contra iustitiam, humanitatem, & naturam miseros in carcere & vinculis detentos suffocare, confodere, aut alijs quibuscunque modis è medio ante sententiam damnationis tollere. Sed quæstio hîc oritur, Vtrum Deo & sacris vsibus damnatorum bona consecrentur? Affirmat Philosophus consecrari debere, argumenta quibus id probem quatuor sunt, à consentaneis, ab euentis, à contrarijs & fine. A consentaneis, quia ratio postulat vt Deo (qui est iudex & vindex scelerum) sanguinis effusi pretium tanquam victima offeratur. At dices auro & gemmis non eget Deus, verum est nec tuis precibus; minutum tamen ipsius

Quæstio.

Legum ministri, Præmium Pœna.

Quatuor modis comprobatur quæstio.



ipsius viduæ boni consulit, precesque Cornelij & Cananeæ non contempsit. At quid? vis vt Deo damnatorum facultates dentur? Volo: quis autem accipiet? Deus per manus pauperum in ecclesia. Attende, triginta argenteos quos Iudas in templum detulit, principes sacerdotum recusantes dixerunt non licet eos mittere in thesaurum templi, quia pretium sanguinis fuit; quid hinc? Ergo non licet bona damnatorum (quæ sunt sanguinis pretium) deo consecrare. Erras, idq; multifariam, nam primùm agni innocentis facinorocissimè proditi, accusati & condemnati pretium hoc fuit, sed iustè condemnatorum alia causa aliaque conditio est. Præterea consilio accepto agrum figuli in sepulturam peregrinorum ijsdem argenteis coemerunt, pretiumque illud non in prophanum sed in diuinum & sacrosanctum vsum vt sacrę iam docent literæ conuerterunt. Secunda ratio ab euentis ducitur, nam cum homines intelligant damnatorum bona Deo consecrari, tam rei quàm accusatores religione quadam & metu perculsi & à peccando sæpius & ab insidiando magis sibi præcauebunt: extimescent enim ne occultissima mentis sensa & cogitata perscrutatus Deus sanguinis pretium ab illis exigat, si alijs iniustè accusando insidientur; sceleris pœnam requirat, si ipsi facinorosiùs viuant. Hinc vt opinor constitutum est, vt bona illorum (qui sibi violentas intulerunt manus) sacris vsibus debeantur, quæ consuetudo iam apud Anglos viget. A contrarijs demonstrari hoc potest, quippe si principes aut multitudo hæc bona possiderent, non salus sed oppressio, non ciuium quies sed contentio & seditio erit. Nam si Achab Nabothi vineam ardentiùs appetat, repulsus subornatis testibus in vitam & sanguinem innocentis sæuiet, verùm si Deo non sibi vuas vineti deberi sciuerit, placatiùs aget, lapidemque non quæret quo iustum obruat: similiter si nihil quæstus ac lucri inopes sibi obuenturum ex nece damnatorum senserint, lupinam appetentiam sanguinis deponent, virique eminentes tutiùs in portu nauigabunt; tum enim in nobiles multitudo furit, cum ex effuso eorum sanguine

Marc. 12. Act. 10. Marc. cap. 7.

Matth. 27.

3. Reg 21.

Cupiditatis sunt pedissequæ, Indigentia, Desiderium, Iracundia Odium.

ne prædam opimam speret, ne ergo vndiq; aut oppressores pauperum aut accusatores nobilium per forum & theatrum ciuitatis volutent, meliùs cum illa repub. agitur in qua damnatorum bona Deo potiùs quã principi aut multitudini concedantur. Postrema ratio ducitur à fine, est autem finis istius legis duplex, humanus & diuinus: humanus in quiete ciuitatis & in salute ciuium, diuinus in cultu ęterni numinis cõstituitur: ad confirmationem primi verba solùm Aristotelis
» in textu adferam, sic ergo loquitur, Hoc lege sancito ne quid
» eorum qui damnantur populi fiat, sed consecretur; ij qui in-
» iusta facinora faciunt nihilominus sibi à peccando cauebunt
» (æquè enim multabuntur) & multitudo agrestis atq; impo-
» lita minùs erit ad reos condemnandos facilis & propẽsa, vt-
pote nihil inde lucri factura. Ex his verbis concludo multò salubrius esse ciuitati (si vel Politicum spectemus forum) vt sine accusatorum odiosa turba & pestifera colluuie respub. sit instituta: nam quæ pax? Quæ quies ciuium esse potest si in omni angulo, mensã & tecto latitent & insidientur Zoili, & contecti ouinis pellibus canes & lupi voracissimi? Diffidentiam & suspicionem horribilem hoc inter ciues parit, eorum animos detestabili odio accendit, rapit incautos ad crucem, & ad motum seditionis vniuersos tandem trahit. Hæc verò omnia (bonis damnatorum sacris vsibus dicatis) euitantur, vt si finem politicum consideres melius sit Deo quàm hominibus damnatorum bona consecrare. De fine & vsu diuino qui ex ista donatione pendet quid dicam? Nemo est vt opinor qui non intelligit auctis ecclesiæ militantis hoc modo bonis maiorem reuerentiam religioni adhiberi: nam tolle omnem in ecclesia honorem, ordinem & maiestatem, tollesq; ipsam ecclesiam: quippè etsi Christus suos Apostolos terræ dominos non constituit, sanctis & electis tamen terrarum orbis possessio iure debetur solùm, imò vt loquitur Apostolus, languẽt opera & creaturę Dei vt in electorum manus traderentur. Qui ligna, lapides, aurum & ornamenta in templum Salomonis attulerunt, non sunt à domino reprehensi, laudatur vidua quę minutum in thesaurum templi misit,

Omnis accusatio quæ lucrum spectat aut odium simpliciter mala.

Rom. cap. 8.
3. Reg. cap. 6.

Marc. cap. 12.



sit, laudatur Magdalena quæ pretiosum oleum in pedes & caput Christi fudit, laudatur Ioseph de Aramathia qui syndone & sepulchro eius corpus texit, laudantur qui munera altari, qui decimas sacerdoti, qui Deo primitias soluunt; huc mea iam tendunt verba, vt iniquè comparatum esse putemus, si ædificia in quibus nos homunciones viuimus sint quasi palatia; & templa in quibus Deum colimus, sint quasi stabula; si inquam nos vermes saginemur vt porci, & ministri Dei summâ rerum inopiâ laborantes viuant vt serui; non suadeo hîc vt in Ecclesia dominentur sicut reges, nam hoc prohibuit Christus: illud tamen ex animo peropto, vt ab Ecclesia omne dignitatis præmium & splendor non tollatur; est enim ecclesia instar lunæ, quæ etsi magnam eclipsim aliquandò patitur, omnem tamen lucem non amitteret dignitatis suæ; hæc enim dignitas partim viuentium donis, partim morientium & damnatorum bonis augeri debet. At dices malè parta (qualia sunt plerumq; damnatorum bona) grata sacrificia Deo fieri non possunt: verum id est, attamen cum in ambiguo res existat cui fieret restitutio, consultissimum est hæc bona offerri & consecrari Deo; is enim in meliorem vsum ea commutare in sua ecclesia potest; quippe ex malis Deus gloriam sibi & honorem ecclesię frequenter elicit, non quòd à Deo approbentur mali, sed quòd ille (summum existens bonum) cuncta in bonum, nõ aliter quàm ignis omnia in ignẽ solet conuertere. Cæterùm dic mihi quid de pauperibus futurum est, si Deo soli & Ecclesiæ damnatorum bona consecrentur? Melius est profectò vt diuẽdantur ista & diuidantur pauperibus. Magna hæc species est charitatis, sed iste grunnitus Iudæ fuit, qui crumenam tenuit, quasi verò bona Ecclesiæ non sint bona pauperum, certum est q; vt Cornelij preces & elemosinæ per angelum: ita bona Ecclesiæ per manus pauperum Deo offeruntur; imò potiùs quàm fame grex Christi contabesceret, Laurentius presbyter pretiosa templi vasa diuendet, & tyranni minis contemptis ante martyrium pauperibus diuidet & largietur.

Matth. 26.
Marc. 14.
Matth. 27.
Exod. 35.

1. Tim. 3.

Ecclesia assimilatur Lunę.

Matth. cap. 26.

Actor. 10.

Distinctio.

Distinctio.

Bona damnatorum Deo potiùs quã principibus aut pauperibus consecrari debent, quia sic
- Frequens tollatur ciuium accusatio.
- Seditionis & effundẽdi sanguinis tollatur occasio.
- Honoris & rerum in ecclesia maior fiat augmentatio.
- Istorum bonorum in meliorem vsum fiat conuersio.

## Opp. contra primam conclusionem capitis.

Opp. *Prohibet Arist. in prima conclusione huius cap. leges maximè populares in democratia, aut consulares & senatorias in oligarchia seu diuitum potentia constituere: sed hoc agere est istos reipub. status prosternere & labefactare: ergo improuidè & inconsultò videtur de his formis hîc disputare. Minor probatur, quia populi potentia maximè popularibus decretis, edictis verò consularibus diuitum authoritas maximè defenditur: ratio est, quia vt corpus humanum similibus: ita ciuile & politicum non contrarijs conseruatur.*

Resp. *Considerantur hi status duobus modis vel inchoatè vel absolutè, inchoatè, & sic legumlatores in eis constituendis non tam similitudinem decreti & legis quàm progressionem & conseruationem ciuitatis spectare oportet. Si enim exempli causa fundatores popularis potentiæ in prima institutione eiusdem leges maximè populares conderent propter reliquias prioris status periculum seditionis emineret. Suadet ergo Arist. vt potiùs diuturnitatem conseruationis quàm similitudinem legis considerent qui vel popularem statum vel diuitum potentiam constituunt, vtq; sensim ac lentò ab antiquis moribus ciues ad intentam formam pertrahantur.*

## Opp. contra quæstionem.

Opp. *Damnatorum bonis Deo consecratis frigidior & rarior non erit hominum accusatio: ergo hæc ratio quæstionis à Philosopho non rectè assignatur. Antecedens constat, quia malitiam suam & inuidiam insidiatores vitæ pallio religionis ac pietatis in Deum hoc modo tegere & dissimulare studebunt, adeoq; vt Deo grati & hominibus sancti videantur zelo flammigero in iustos & innocentes ferocius sæpissimè rapientur.*

Resp. *Fatendum est immanem sæpè malitiam sub pallio religionis*



*latitare: quis enim castius quàm adulter, quis sanctius & religiosius quàm dissimulator, quis iustius quàm maleuolus insidiator sanguinis & vitæ loquitur? Cæterum comparatione facta si bona damnatorum deo consecrentur rariores accusationes fierent, etsi inuidi & malitiosi fortasse sæpius alios sub hoc prætextu accusarint, cupidi tamen & inopes omni frustrati præmio ab accusatorijs insidijs penitùs desistent.*

Opp. *Damnatorum bona sunt prophana & sceleratorum manibus veluti infecta: ergo Deo consecrari non debent. Antecedens cõstat, quia plerumq; sunt malè parta, & in malos vsus ab illis destinata. Ratio tenet, quoniam solùm sacra & pura Deo conueniunt.*

Resp. *Vt medici venena temperata saluberrima alexipharmaca faciunt: ita Deus bona damnatorum prophana in pios vsus vertit. Munera enim & dona à templo, ab altari, à Christo sanctificationem (vt ita loquar) habent. Nam vt Deus venditionem Ioseph, quæ fuit mala, in salutem fratrum, quæ fuit bona, commutauit: ita damnatorum bona, quamuis sunt impiorum manibus & parta & quasi infecta, idem Deus in sacros vsus conuertit.* Matth. 23. Gen. 45.

Opp. *Religio damnatorum bonis in immensum aucta insolens & superba redditur, nec non his modis saginata aut in ignauam obliuionem dei, aut in truculentam rebellionem vertitur: sic enim locupletata diuitias parit, quæ filia (vt est in prouerbio) facilè deuorabit matrem. Præterea voces Christi sunt, Tolle crucem & sequere me, nõ ait tolle aurum & mundũ: iterũ abi & vende omnia, & da pauperibus. Adhuc, Impossibile est inseruire Deo simul & Mammoni. Porro qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Huc adde quòd Prophetæ, quòd Apostoli, quòd Christus ipse, quòd Martyres omnesq; sancti Dei inopiam, nuditatẽ, mortẽ; nõ copiam, amanitatem, vitam amplexi fuerint: non ergo diuitiæ, non honor, non authoritas in ipsa Ecclesia quæri debent. Christus saluator noster locum in quem caput reclinaret non habuit, an ergo decet nos miseros syndone & plumis inuolutos securissimè dormire? An decet purpurâ, auro, gemmis, aliisq; vanissimis pigmentis gloriosè ornatos incedere?* Luc. cap. 9. Matth. cap. 19. Math. 6. Matth. cap. 20.

Resp. *Verba & ornamenta hæc sunt non argumenta, sic neruos sacræ Philosophiæ tendũt, qui vires ecclesiæ velint concutere: quare*

*vt singulis respondeam, primùm dico religionem fulgentibus diuitiarum arenis auctam non suffocari, sed perniciosos dispensatores qui vellera non oues quærunt: filia quidem deuorauit matrem, sed hoc facinus hominis est, non religionis, quæ bona sibi deuota in optimos vsus confert: voces Christi omnes humilitatem docent, omnem tamen dignitatem & honorem ecclesiæ (cui maximum dedit) nõ tollunt; Tolle crucem ais, vende omnia, Mammonem fuge, O vtinã ipse velis. Sed hæc nos instruunt vt fixos oculos in speculis istius mundi non habeamus, exempla quæ ducis vsum creaturarum in ecclesia non negant; fuerunt enim inter prophetas reges & qui cum regibus versati sunt, fuerũt inter Apostolos & Martyres Episcopi, Doctores, Diaconi, & qui magnam authoritatem habuerunt, ad suam tamẽ dignitatem gerendam tantarum opum subsidijs nõ tum fuerunt muniti ac nunc sumus. Ratio est, quia tum in perpetua cruce & persecutione ecclesia fuit, nec adhuc reges conuersi patroni, & reginæ nutrices eiusdem extiterunt, nunc verò dic mihi quis splendor in domo Dei, in familia Christi esset, si reges stellæ ductu, thus, aurum & mirrham, hoc est si magnifici viri diuinæ gratiæ influentiâ commoti, munera & (vt ita loquar) sacra beneficia Deo nõ offerant, si ministros Dei nullis sacerdotijs, nullis honoribus donatos inter mortales (qui non tam spiritu quàm sensu & authoritate mouentur) viuere patiantur? At quî possunt esse hospitales Episcopi, vt beatus requirit Apostolus, si omni dignitate, si omni vel externo honore careant? In hoc illorum laus & commendatio lucet, si in oceano & abũdantia rerũ se seruos, se nudos, se castos, se tẽperantes faciant.*

Luc.12.

Dubium.

*Vtrum falsi accusatores easdem pœnas subirent quas alijs intenderint?*

Heste. cap.7. DIGNVS cruce malitiosè Haman qui in crucem Mardocheum iniustè tollere studuisti; luxuriosi presbyteri quàm iniquè lapidi Susannam condemnastis? Sed quàm iustè eandem subijstis plagam? Memorabile est illud factum

Daniel.cap.6 tuum augustissime Darie qui falsos accusatores Danielis in speluncam leonum dedisti præcipites; nigra est facies accusatoris & nomen accusationis est odiosum, Sed ô tempora,

3.Reg cap.21. quàm facilè est nunc temporum in Naboth, in Stephanum, in



in Christum falsos accusatores & subornatos testes inuenire? Naturæ vox non mouet, Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. Christi vox non vrget, quâ mensurâ alijs dimensi estis, eadem dimetientur & vobis: cur igitur Aristotelis sententiam hîc recitarem, quę docet pauciora iudicia & tribunalia futura esse in repub. si grauissima pœna in eos, qui alios falsò accusant, constituatur? Verba & herbæ vt est in fabula improbo puero senis poma deripienti ab arbore descendere non persuaserunt, at virtus depellendi in lapidibus inuenta fuit: ita sanè sæpissimè cum natura & gratia malos non vrgent, pœnarum formido ad officium cogit. Sapienter ergo Philosophus suadet vt grauissimæ pœnæ in calumniatores & sycophantas constituantur, vtque eandem incurrant plagam quâ alios affligere contendêrunt; quippè si liberum sit cuiuis pro libito alios quoscunq; capitis accersere & accusare, in quo tandem statu oues & innocentes erunt? Agnus in fonte non bibet quin lupus accuset sine causa, deuoret sine lege: cæterùm si patefactâ agnorum innocentiâ lupi sanguisugæ prætensam pœnam luerent, plures agni, pauciores lupi; plures oues, pauciores vulpes; plures innocentes viri, pauciores accusatores insidiosi essent. In repub. ergo religiosè administrata fœdifragis testibus falsisq; accusatoribus eadem pœnâ (quæ accusatis impendet) infligeretur. Si dracuncula aut alia immanis bestiola inuadat hominem, capta statim occiditur, & tamen hæc suam naturam sequitur: an ergo conuenit vt homo ad humanitatem natus tantum facinus, qualis est iniusta sitis alieni sanguinis, impunè & inultus ferat? An conuenit vt Cainus effuso fratris sanguine in honore viuat? Et non sub segite reprobus & miser pereat? Vim vi repellere natura docuit, iustitia hanc legem confirmauit, cur ergo non licet insidias vitæ cognitas tentato supplicio coercere? Sed dices natura hanc legem dedit, at gratia eandem reuocauit, illoq; beatos appellat qui flammas & procellas persecutionis propter iustitiam ferunt. Verum hoc est, non tamen id voluit Christus vt ciuilis gladius in vindicandis malis penitùs hebesceret; nam etsi iustior est

Freig in quæstionib. Polit.

Bene viuere est secundùm naturam humaniter agere. Plato.

homo qui iniustam mortem subijt, non est tamen iniusta lex
Mat.23.35. quæ falsis accusatoribus idem infligit vulnus. Zacharias iniustè occisus hoc moriens dixit, deus videat & requirat; sanguis innocentium vocem acutam, celerem & penetrantem habet: quamuis ergo Stephanus lapidibus obrutus Christi exAct.7. emplo commotus dixit, Ignosce domine nam nesciunt quid faciunt: illa tamen martyris patientia quæ docetur, falsò accusantis pœnam, quæ iure incutitur, omninò non tolleret: nam vt illa diuinam sapientiam, ita hæc diuinam iustitiam
Dan 14. Hester. 7. Dan. 13. sapit, quæ (vt est in sacris) falsos accusatores Danielis, Mardochęi, Susannæ (vt suprà diximus) leoni, cruci, & saxo dedit. Si euenta huius rei spectes mirum in modum approbabis, nam metuentes mali nè eandem salutent crucem ad quam alios (quibus inuident) pertrahere conantur, à susceptis insidijs alienæ vitę facilè cessabunt, suosq; conciues lędere ac vulnerare diutiùs nō molientur; nam vt impunitas multos audaces ad omne flagitium: ita seueritas pœnæ nonnullos longè cautiores & in accusando leniores reddit. Postremò vt verbo concludam, tabulę diuinę & humanę hoc probant: ergo res non est illicita. Diuinæ nullam iniuriam & facinus inultum ferunt; id & præstant humanæ, sicut apud Romanos, qui olim iusserunt vt scilicèt accusator, qui crimen intendit quod probare non potest, pœnam ferat quam laturus erat reus si conuictus fuisset: hinc ciuium vita sine fraude, libertas sine metu, honor sine odio, tribunal sine damno & malo iniuriæ lucet.

Opp. *Accusatores in repub. sunt necessarij: ergo nullâ sunt pœnâ digni. Antecedens probatur, quia vbi deest accusandi seueritas, ibi libertas vel potiùs immanitas peccandi viget, quippè tum homines ferocius & tetrius viuunt, cum ab accusatione seipsos securos norunt.*

Sunt accusatores illi necessarij, qui sui quasi officij religione quadam duci, publicę vtilitati consulunt. Cicer. in Ver.

Resp. *Non hîc negamus quin accusatores in ciuitate sint necessarij, sed insidiosos carnifices & accusatores falsos eâdem afficiendos pœnâ, quam alijs intenderint, apertè docemus. Nam vt est in iusta accusatione ciuitatis salus, ita in falsa & insidiosa calumnia lethale virus & vulnus inest.*

Opp.



Opp. *Christus pro suis accusatoribus orauit, iussitq; vt patienter omnem contumeliam & iniuriam pateremur: ergo pari pœnâ accusatores falsos affligere & vulnerare non licet. Ratio tenet, quia pari relatâ & inflictâ pœnâ vindicta quæritur, quâ vera patientia negat.*

Resp. *Patientia resistentiam non iustitiam negat: si sęuiat carnifex, beatus in iusta causa qui suam crucem patienter tulit; nam præmium in cœlo & cum deo habet: etsi ergo vnusquisq; tubetur priuatim non resistere, iustitia tamen & magistratui relinquitur insidiatores vitæ & sanguinis condemnare; pati ergo potest, & tamen punire; ignoscere, & tamen in iurias vindicare.*

## CAP. VI

*Vtrùm oligarchia in omnibus democratia contrarietur?*

*An pessimæ rerumpublicarum formæ firmiorâ semper postulent præsidia?*

OPVLAREM potentiam descriptâ oligarchia seu diuitum potentia iam describenda sequitur. Caput hoc breue est eiusdemque analysis longè breuissima; quippè hîc solùm istorũ statuum per antithesin & oppositionem facta est comparatio. Meminisse ergo oportet olim in quarto lib. quatuor species democratiæ totidemq; oligarchiæ posuisse Philosophum, quarum singulas inter se opponi & contrariari disertis verbis insinuat. Vnaquæq; inquit oligarchia ad contrariam democratiã spectat & relata est: ea quidem, quæ est oligarchiarum temperatissima & prima, ad optimam democratiam & primam, hæc autem est ea quæ politiæ finitima & cognata exiſtit. Prima nempe species diuitum potentię electionem suorum magistratuum secundùm census minores maioresque facit, hinc non solùm Cræsis sed Fabritijs, id est non solùm opulentis sed etiam pauperibus mediocris fortunæ beatis ad remp. aditus reseratur. Distinguuntur enim in hac forma oligarchici imperij magistratus in necessarios, quos mediocriter opulenti, &

Quatuor democratię species oligarchię speciebus opponuntur.

in excelsos quos solùm magnifici & sumptuosi gerunt, qui pompam & maiestatem ciuitatis sustinere & decorare possunt. Animaduertendum hîc est quòd reliquę tres species oligarchiæ gradatim ab hoc amore & fauore populi declinent, tẽdantq; magis ac magis ad effrænem tyrannidem diuitum & oppressionem multitudinis. Nam vt prima pro censu definito infimæ classis ciuibus quosdam magistratus tribuit: ita secunda censum auget & pauciores de multitudine ad sedes magistratuum admittit: tertia verò magno proposito pretio (quod rarò assequi possunt pauperes) maximam partem multitudinis à spe & fructu dignitatis arcet: quarta autem tota herilis & tyrannica omnes præter pecuniosos & potentes omninò excludit: hos gradus & species oligarchiæ si aptè cum illis democratiæ modis & formis cõpares, vt in oppositis contrariam naturam: ita ex comparatione eandem disciplinam facilè elicies: nam contrariorum (vt aiunt Philosophi) diuersa natura est, sed eadem scientia. At in hac comparatione (vt ad quęstionem discutiendã propiùs accedam) nomen oppositionis paulò latiùs accipitur non solùm pro disparatorum (vt loquuntur Dialectici) sed etiam pro relatorũ pugna & contentione: popularis ergo diuitumq; potentiæ differunt quidem & opponuntur, sed non in omnibus. Opponuntur in materia, forma, obiecto, fine. In materia, quia in democratia tota multitudo, in oligarchia diuitum solùm turba seges ciuitatis dicitur: cũ ergo in vtroque statu sit diuersa ciuium cõgregatio, diuersa materia vtriusque esse rectè concluditur. Nam vt in collectione ciuium materia: ita in ordine & vnione forma ciuitatis manet. Quòd verò sit diuersa forma istorum hinc patet, quia sunt in illis diuersi ordines, diuersę leges & administrandi rationes: nam in illa est fauor, in hac murmur & dolor populi. Prętereà principes sunt quasi formæ ciuitatis, sed in istis distincti sunt principes & magistratus: sunt ergo distinctæ formæ vtriusque. De obiectis quid dicam? Cum in populari communitatem, in diuitum potentia priuatam commoditatem omnes aucupentur: at commune & priuatum differunt: obiectis

In quibus differunt popularis diuitumque potentię.



obiectis ergo hij duo status differunt. Postremò quis ignorat quòd democratiæ finis sit viuendi libertas, oligarchiæ verò diuitiarum sitis & accumulatio? Populus enim ad licentiam vitæ, diuitum turba ad rerum affluentiam veluti ad summum bonum rapitur: sed libertas vitæ & auri cupiditas differunt: ergo hij duo status fine differunt. Non addam hîc distinctionem legum, varietatem magistratuum, societatum discrimen, aliaq; multa in quibus etiam plurimùm hę duę species distinguuntur: nam in democratia multi, in oligarchia pauci regunt. Iterùm in illa democratia ex arbitrio: in hac ex maiorum præscripto viuunt. Postremò æqualitas in illa, in hac verò nulla tenetur proportio, nulla rerum aut personarum similitudo. Diuites enim in hoc statu non aliter quàm leones vnam reipub. partem vendicant propter excellentiam, & propter potentiam alteram, tertiam verò propter iustitiam vt aiunt, quia scilicet sunt lumina ciuitatis, vltimã autem sibi rapiunt, nam si neges, actum est de amicitia. Pera igitur & baculum relinquuntur Iro, at zona (quâ se concingeret) potentum aduncâ manu tollitur. Inter istas oligarchiæ species quę hic à Philosopho cum oppositis democratiæ formis conferuntur, vltima est omnium longè deterrima simillimaque (vt ait in textu Aristoteles) Dynastarum potentatui & tyrannidi; quippè in ea sunt paucissimi magistratus, ijdemque Timones & Dracones, qui ciuiũ sanguine & carnificinâ delectantur, qui non spargunt sed metunt, qui nihil largiuntur sed depopulantur omnia, qui non curant sed vulnerant, qui non seruant sed perdunt ciues; ista species quanto est pessima, tantò maximam (vt vtar verbis Philosophi) cautionem custodiamque desiderat & requirit; hinc desumpta est illa (de qua nunc agimus) dubitatio, Vtrùm pessimæ rerumpub. formæ maiora ac firmiora semper postulent præsidia? Affirmat Aristoteles postulare, idipsum quoque affirmamus. Notandum hîc est quòd Philosophus non suadet vt vitiosa ac iniusta imperia (quorum occasum & eclipsin optat) conseruentur, sed hoc intelligit quòd ista (si tandem irrepserint) non possunt nisi

Diuites potentes, improbi. Plato.

magnis armata præsidijs diu conseruari. Si rationes requiras,
Argumenta. hæ sunt quas hic & alibi ex Arist. sumo. Prima à simili, secunda à contrario, tertia à definitione violenti, postrema ab inductione exemplorum ducitur. A simili, nam vt morbosa & infirma corpora, annosa & detrita nauigia ad vitandum ægritudinis & tempestatis discrimen maiore quàm sana & firma opus habent industriâ, maiore curâ & cautione: ita imperia fraude & insidijs parta, vi & tyrannide retenta, fulminibus motibusq; fortunę magis subiecta sunt, si potentiore manu & impetu non protegantur. Quid moror? Vt iuuenes mortifero correpti morbo grauissimè cum morte colluctantur, victi tamen languent & cedunt demùm: ita tetriores labes rerumpub. ex motu seditionis ortæ contra naturam & iustitiam ad tempus certant, at tandem concussæ nutant & penitus extinguuntur. Sunt enim quasi flamma lucernæ deficiente oleo, quæ breui lucere & subsultare videtur: at exhausto oleo subitò euanescit; quippè si fraus, si furor, si oppressio cessent, istæ ciuitatum nebulæ ac tempestates dissipantur. A contrario hoc ipsum facilè probatur, nam si sapientia, consilium, iustitia in administratione optimarum ciuitatum sint causæ perpetuæ conseruationis; insania, temeritas, licentiaq; morum in malis erunt causæ ruinæ: sed vt qui rectè & sapienter imperant sedatis vndiq; procellis sine magna difficultate clauum veluti in puppi ciuitatis sedentes tenent: ita qui in solio Neronis futunt maiores difficultates & pericula subeant necesse est, vt se & sua tueantur. Est ergo in malis quàm in bonis conseruādis imperijs maior adhibenda cura. Tertia ratio à definitione violenti aperta est, nam si violentum sit externus impetus & veluti tempestas contra naturam, quæ se mouēdo & agendo terit, si quoq; verum id sit quod Philosophus docet, nullum violentum esse perpetuum, quî fieri potest vt tyrannides & deformitates rerumpublicarum diu sine maxima difficultate floreant? Pessimæ ergo ciuitatum formæ maiora ac firmiora postulant præsidia, maiores curas & munimenta, si stare diu & conseruari velint. Vltima ratio nimis fœcunda & molesta

esset



esset si ex antiquitatis annalibus ac monumentis plurima exempla peterem, satis ergo est Romanum sub persecutoribus, Scithicum sub Dynastis, Persicum sub demagogis & assentatoribus populi, iam quoque Turcicùm sub tyrannis ante oculos lectoris ponere imperium. Deus bone quot sophismata, quot insidiæ, quot truculentæ tragædiæ, quot monstra humanarum actionum in illis latent? Quę omnia & olim & nunc eô sunt destinata, vt ruinosa & declinantia imperia suffulta starent; at cadere necesse est, quia arenosa fundamenta habent. A coniunctis etiam demonstrari hæc causa potest, nam dolus, vis, metus sunt custodes tyrannidum & malarum ciuitatum: sed quando fraus portas, vis sedes, timor ipsorum magistratuum arces seruat, velox ruina & atrox miseria sequitur. O quàm infortunata est illa ciuitas in qua Dionysius vxoris fidem, tonsoris cultrum, suijpsius vmbram, malefactorum conscientiâ perculsus timere cogitur!

## Distinctio.

- Absoluuntur in hoc Capite duo,
  - Quęstio, in qua probatur cõtrarietas inter popularem diuitumq; potentiam in
    - Materia, quæ est diuersa multitudo.
    - Formâ, quę est diuersus ordo ac institutio.
    - Obiecto, quod est libertas, honor.
    - Fine, qui est dominari.
  - Dubitatio, in qua probatur quòd deterrimæ ciuitates maiora postulent præsidia à
    - Simili,
    - Contrario,
    - Definitione violenti,
    - Inductione exempli,
    - Cõiunctis & circũstantijs.

## Opp. contra quæstionem.

*Quæ gradu solum differunt, naturâ non differunt: sed democratia & oligarchia gradu solum differunt: ergo naturâ non differunt. Maior constat, quia gradus est affectio & accidens non natura.*

*Minor probatur, quia primæ speciesvtriusq; status in hoc solùm differunt, quod illa plures pauperes, hæc pauciores ad magistratus & officia eligat. Similiter si reliquos modos oligarchiæ cum reliquis democratiæ formis compares, gradus non naturæ distinctionem & discrimen inuenies.*

Resp. *Positum est non in omnibus has duas imperandi formas differre, gradu autem solo non differunt, nam licet in vtroq; genere administrationis sint diuites & pauperes ad rempub. admissi, idem tamen non est modus, idem ordo, eademq; imperandi vtrimq; finis & intentio, in quibus vtriusq; maxima distinctio inest, vt in analysi & demonstratione quæstionis constat.*

Opp. *Isti status non existunt: ergo de illorum contrarietate inutilis & otiosa est disputatio, nam de vmbra & non ente (vt aiunt) non esset contentio.*

Resp. *Primùm negatur antecedens, nam istæ imperandi formæ in multis locis vigent. Secundò negari potest argumentum, quia etsi nunc non existerent, rectè tamen & sapienter de illis instituitur disceptatio ne illis ignotis in administranda repub facilè oberremus, imo ne errore commisso aut persistamus in eo, aut à malo (vt aiunt) in peius irruamus.*

Argumenta contra dubium.

*Deterrimæ ciuitates omni modo & conatu extinguerentur: ergo de illis conseruandis tradi & assignari non debent præcepta. Ratio tenet, quia conseruandi datis præceptis armantur tyranni & ad audaciam magis animantur.*

Resp. *Respondendum est hîc non tradi præcepta conseruandi, sed hoc solùm demonstrari quòd istiusmodi imperia infirma sint maioreq; egeant subsidio. Si verò vrgeas alibi conseruandi præcepta Philosophum tradidisse, respondeo hoc factum ab illo esse, non eo animo vt conseruentur, sed vt cognitis tyrannorum insidijs & sophismatis illorum vires & impetus frangerentur facilius.*

Opp. *Persica & Turcica imperia diutissimè floruerunt: ergo violenta imperia diu conseruari possunt, quod antea negatur.*

Resp. *Nimis diu quidem floruerunt si sæuire ac furere in Christum & ecclesiam (contra quem nè porta inferorum diu præualebunt) florere dicatur; hoc tamen contingit meo certè iudicio vt pusillus*



*lus grex domini magis probetur, vtq; Sion vnita in se reddatur fortior: nam Hannibale pulsante portas suaq; tela in ciuitatem iactante illustrior victoria erit. Præterea si consuetudinem Barbarorum & consensum populi abiecti spectes, negamus illa imperia esse violenta, nam tum violentum dicitur cùm agentis motibus frustra resistitur.*

## CAP. VII.

*Vtrum athletarum palæstræ in ciuitate rectè institutá sint permittendæ?*

*An nobiles ex officio templa Deo, palatia vrbi consecrare debeant?*

POLITICI est docere non solùm quę & quot sunt ciuitatis genera, sed etiam quæ loca & climata horum, quæ illorum sunt capacia distinctè & accuratè explicare. Postquam ergo Aristoteles quid democratia, quid oligarchia sit, & quomodo inter se distinguantur ostenderit, distinctionem hominum & locorum affert, vt cui populo & loco hæc, cui illa conueniat, à quouis dilucidè intelligatur. Sunt, inquit, quatuor multitudinis ciuilis partes, vna agricolarum, ad quam reducitur pastoralis; alia artificum; tertia mercatorum; quarta mercenariorum. Agricolæ sunt qui opus scienter in terra agunt, quæstumq; honestum ex ea metunt. Artifices hîc appellantur qui artes sordidas & illiberales tractant. Mercatores qui mercaturã & rem cauponariã faciunt. Mercenarij qui ad opus faciendum pretio conducũtur. Hęc quatuor genera hominum pacem & tranquillum reipub. statum respiciunt; sunt quoque alia quatuor genera quæ Martem spectant, quæq; versantur in bello, videlicet equites, pedites grauis armaturæ, pedites leuis armaturæ, militesque classici, quibus prælium nauale geritur. Equites sunt milites equestris ordinis, qui in prima acie constituti impetũ hostis frangunt. Pedites grauis armaturæ sunt experti milites

Sic Cic. qui omnes opifices in sordido quæstu versari arbitratur.

vndiq; & magnificè ornati, qui cominùs eminusq; nõ sine arte militari pugnant. Pedites leuis armaturæ milites expediti, gregarij, aut ferentarij dicuntur, qui signo dato in hostem ex ducis mandato ruunt. Classici sunt veterani milites qui ex castris ligneis nauibusq; per mare cum hoste certant. In his (si turbines seditionis æstuent, si ingrassentur hostes) capitolina reip. spes & fortitudo ponitur: suadet ergo Philosophus patribus in repu. filios suos, dum etiamnũ sunt iuuenes viribusq; integris, ad leues & expeditas pugnas erudire, vt tandẽ grandiores ętate facti militarium operũ opifices, duces & athletæ fiant. Ex his verbis quæstionem quam nunc sum tractaturus duco, nimirum, An athletarum palęstrę in ciuitate rectè institutâ permittantur? Expressa verba Arist. textus hoc nõ requirunt, sed verborum sensus planè & apertè docet; nã quî possunt patres suos filios ad pugnas erudire arteq; militari instituere, si nulli sint qui artem pugnandi & præliandi doceant? Palæstræ ergo athleticæ esse debent, in quibus rei militaris scientia publicè exerceri possit, adeoq; nutriri bellica seges ciuitatis: vt cum ad mœnia, ad castra, ad classes veniat, nõ solùm vi sed arte, non solùm armorũ & equorũ subsidio sed etiã vsu & ingenio bellicosos hostes valeat sternere & superare. Inexperti medici, sępè aduersâ valetudine laborãtes, perdũt & occidũt, sed rudes & imperiti milites seipsos mactant: est ergo necessarium vt in rectè institutis ciuitatibus Olimpica exercitia habeãtur, in quibus militaris scientia sine sanguine, Martis furor sine periculo, hostis insidię & fraudes sine omni timore perdiscantur. Sapienter Flauus Vegetius Renatus, Qui desiderat (inquit) pacem, præparet bellum; qui victoriã cupit, militem imbuat diligenter; qui secundos optat euẽtus, dimicet arte non casu; quippè nemo eum prouocare, nemo audet offendere, quẽ intelligit superiorẽ fore si pugnet. Hanc artẽ olim & antiquitus maiores nostri in omni ætate, in omni gente ac vrbe honorificè aluerunt: testes sunt Atheniẽses qui cassidẽ in capite, hastã in dextra suę Mineruę posuerunt: testes sunt Romani qui suũ capitoliũ in altissimo mõte vrbis extruxerunt, statuamq; Martis ad terrorem hostium in celsissimo

Athenienses diu Lacedæmonijs paruerunt donec in palæstra exerciti ad tantas vires peruenerint vt victores victi superauerint.



fissima eiusdem turri graphicè æri insculptam cũ omni genere armorum ac tormentorum collocârunt. Quantum in prælijs Lacedæmoniorum disciplina profuerit (vt omittam cęteros) testis est Xantippus, qui Attilium Regulum Romanumq; exercitum non tam virtute quàm arte edomuit & contriuit: quot consules, quot legiones, quot lumina Romanorum vnus Hannibal Carthaginensis ille istius ferè artis auxilio & ope extinxit? Quot vrbes deleuit? Quot signa & castra sustulit? In hac palęstra & arte olim celebriores fuerũt nostrates, qui palatia & collegia plena armigeris in Turcam mittendis habuerunt, quorum vires Rhodorum insulæ, quorum laudes annales nostri eloquũtur. Dic quæso, an solùm lacertis suis ac Martis impetu Romani tot vrbes, tot gentes, tot imperia sibi subiecerunt? Fieri non potuit vt pastorum paucitas globum totius mundi tot sęculis vi sola naturæ sine arte militari verteret. Vsus huius scientiæ sunt quidem numero infiniti, famâ celebres & laudis tubâ digni: nã ex desidiosis alacres ad pugnã, ex ignaris expertos, ex imbecillis fortes, ex incognitis & obscuris nobiles magnanimosq; duces efficit, naturã locorũ, opportunitatem temporum, hostiũ vires, fraudes, stratagemata & munimẽta hęc sola scientia docet, hęc sola insidias prodit, furorẽ à mœnibus ciuitatis pellit, castra figit, tormenta parat, vitã ciuiũ defendit, omnia deniq; pacis ornamenta seruat. Sed de his alijsq; infinitis bellicæ artis cõmodis Flauiũ Vegetiũ, Sextum Lulium Frontinũ, & Aelianũ de instituẽdis aciebus legendos esse suadeo, qui sanè pręclara opera sententiosè conscripta de re militari nobis posteris reliquerunt. Plura hîc de ista quęstione non dicam, quippe ad eundem ferè sensum à nobis antea est disputatũ. Pergit in textu Arist. & ostendit duo, nimirũ rationẽ sciendi quæ ratio oligarchiæ, quæ democratiæ apta sit, & quoq; modum conseruandę diuitũ potentię: primũ his verbis absoluitur, Equitatus inquit & grauis peditũ armatura diuitum magis est quã pauperum (quippe vterq; exercitus eget magnâ diuitiarũ copiâ) Leuis autẽ armatura militũ & nautica turba ad popularem statum pertinet: gens ergo illa quę est ad æquitatum & grauem armaturam propensa facilè diuitum imperio

Laus huius scientiæ.

imperio paret, quæ verò nata est ad leuiorem pugnam populi imperium alit. Alterum quod in textu est de conseruãda diuitum potentia tria politica præcepta habet. Primum vt etiã populo concedatur aliquid in repub. sicut olim apud Thebanos & Massilios, spe enim beneficij allectatus magis rempub. amplectetur. Secundum vt imponantur principibus viris ciuitatis sumptuosæ suorum munerum functiones, sic populus
" sua sponte & libenti animo administrationis expers manebit,
" & ijs qui magistratus gerunt facillimè ignoscet tanquam
" imperij sui magnam persoluerent mercedem, quam pauperes nec velint nec possint attingere ac sustinere. Postremum est vt admissi in arcem reipub. sacra Deo templa, celsa vrbi ædificia, crebra plebi conuiuia suis ipsorum sumptibus ac impensis parent; quæ omnia aspiciens populus gaudebit plurimùm, nec non talibus præfectis libentissimè obsequetur. Hinc rectè Cicero, Odit populus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit; ex his emergit dubium, An nobiles ex officio templa Deo, palatia vrbi consecrarent? O magnam ruinam rerum, ô miserabilem caniciem temporum; in qua tandem ætate viuimus? Quid? De templis Deo dicandis, de vrbibus extruendis agimus? O vtinam frustra non ageremus.

Sola magnificentia populi fauorem auget & amicos conciliat. Cæsar.

Quæstio. 2.

3. Reg. cap. 5. Non opus nunc est triginta hominum millibus cædendis arboribus & octoginta lapidicidarum millibus saxis quadrandis pro Salomonis templo destinatis; pauciores iam artifices & operarij seruient: opus potiùs nunc est vt rex Cyrus per

3. Esdras c. 2. omnia regna proclamari iubeat, Deus cœli præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quis est in vobis de vniuerso populo eius? Si Deus cum ipso, descendat in Ierusalem. Vbi Iustiniani, vbi Constantini, vbi omnes magnifici ecclesiæ renascentis & languentis patroni? Illorum cineres ex sepulchris vt olim Memnonis fauillæ volant, laudesque perennes ex detritis & effossis eorum monumentis canunt. Agite pseudopolitici vel potiùs ficti Christiani, tẽpla furore Persico deijcite, Christum in templis manu factis non habitare altis vocibus exclamate: hoc vnum tamen si placet meminеritis, Deum olim habuisse tabernaculum & archam, Christum

&



& Apostolos materiale templum non contempsisse; nam aliter haud dixisset ille, aurum templi sanctius non esse templo, aliter hij ad horam orationis in templum non ascendissent. Ite inquit Christus & stantes loquimini in templo plebi. De hoc templo locutus, ait, Domus mea domus orationis est, sed vos feciſtis speluncam latronum. Quid? Vendẽtes columbas flagris ex templo expulit, & nihil facturum eum fuisse putemus si demolientes columnas templi inuenisset? Sed ad rem fortasse dices, certè ab instituto non sum digressus, nam sic argumentor. Deus vult (vt probatum est) templa sibi consecrari: sed pauperes hoc tantum opus præstare non possunt: ergo ex officio nobiles hoc munus subire debent. Addam nunc verba Aristotelis. Conuenit (de nobilibus loquitur) cum in-
" eunt magistratus, sacrificia magnifica facere, & in opus ali-
" quod publicum ædificandum pecuniam insumere, vt popu-
" lus vrbem partim statuis ac templis, partim præclaris ædifici-
" js ornatam aspiciens, reipublicæ administrandæ formam lu-
" benter stantem ac permanentem videat. Ex his verbis tres ra-
" tiones & argumenta ad dubij confirmationem peto: primum est ex parte Dei, secundum ex parte ciuitatis, tertium ex parte populi & multitudinis, quorum singulis iustum & perpetuum à nobilibus debetur officium; si ergo nobiles & illustres viri templa Deo cõsecrent, populus propter opinionẽ religionis honorificentiùs illos in primis colet, illorumq; imperiũ multo religiosiùs feret: si verò vrbẽ ędificijs ex officio donent, idem populus illis ius obedientiæ cedet libentiùs, tum quia ipse tam magnificum opus non potest præstare, tum quia eorum magnificentiâ ac liberalitate magis honorari ciuitatem viderit. Tertia ratio ex parte multitudinis est, quia infimæ conditionis homines illos maximè diligunt & admirantur, quorum beneficijs seipsos accumulari senserint: sed populus ex istis communibus bonis, Deo, vrbi, & sibi datis magna emolumenta colligit: vtilius ergo nihil est quàm hoc in officio nobilium ponere, vt istiusmodi ornamenta ciuitatis faciant: nam extructionem templorum religio, ædificiorum splendorem admiratio, largitionem munerum ac beneficiorum populi

Mat. 25. Act. 3. Act. 5. Matth. 21 Marc. 11. Luc. 19.

Nobilem vult Anglus affabilẽ hospitalem magnificum esse.

puli dilectio sequitur;adorabit enim popul' cultores dei,magnificos admirabitur,diliget & amplectetur liberales. Cyrus & Darius apud Persas, Numa Pompilius & Seruius Tullius apud Romanos hoc ipsum fecerunt, lugendum est si honorifica hæc charitas apud Christianos frigeat. Ferunt in ciuitate Veneta sexaginta duo diuorum templa spectari augustissima, virginum vestalium septem & viginti, totidemque fratrum & monachorum cœnobia. quid longè exempla peto? Anglia istiusmodi spectaculis ac monumentis nobilium iam olim floruit,Christum precor vt paucorum exemplo(qui iam ædificant) plurimi ad simile charitatis officium pertrahantur. Annum nunc quadragesimum sextum ago, at in hoc spatio multa ædificia insignia ad priuatum vsum, templa verò & collegia pauca in diuini numinis cultum extructa & ædificata vidi. Non possum nec debeo hîc tacitus prætcrire Thomam Whitum & Popum armigeros,qui duo Oxoniæ;Gualterum Mylmey honorificum virum, & doctorem Caium venerabilem senem, qui duo Cantabrigiæ Deo & musis consecrarunt collegia. Hæc scribo non vt irritem quosuis, absit enim à meis scriptis omnis satyrica & stulta reprehensio, sed vt consopitos animos insignium virorum ad imitanda maiorum præclara opera & vestigia incitem. Det Deus vt sterilitas nostrorum temporum in Saræ risum & fœcunditatem commutetur.

Tho.White miles.
Tho.Pope miles.
Gualterus Mylmey,miles honorificus sereniſſimæ R. E. à consilijs.
Doct.Caius.

## Distinctio vtriusque quæstionis.

Duæ sunt quæstiones in hoc cap. vtrum
- Athletarum palæstræ permitti debeant? Hæc probatur
  - Ab vsu antiquissimarum ciuitatum,
  - Dignitate,
  - Vtilitate,
  - Necessitate eiusdem scientiæ,
  - A multiplici exemplo.
- Nobiles ex officio Deo templa & vrbi palatia consecrarent? Hæc demonstratur
  - Per exempla diuina & humana,
  - Per decreta gentium,
  - Per præcepta Philosophorum,
  - Per commoda & emolumenta,quæ rebuspublicis ipsisque nobilibus inde eueniunt.

Argumenta



## Argumenta contra primam quæst.

Opp. *Athletarum palæstræ audaces, temerarios ac seditiosos efficiunt: ergo in rectè instituta ciuitate tolerari nõ debent. Antecedẽs probatur, quia arte bellicâ instructi homines immaniores ac ferociores fiunt: ratio est, quia vt bellum est contra naturam ad interitum rerum: ita ars bellica violentos, furiosos & crudeles reddit, omnemq; mansuetudinem & clementiam ab animo humano tollit, imò homines in feras penè conuertit.*

Resp. *Vitia hæc hominis sunt non artis, nam quamuis longior belli vsus ferociores reddat: est tamen in arte militari frænum, est certa moderatio, & licet huius scientiæ comites videantur esse ira, mors, furor, aliaq; sexcenta mala ciuitatis, non tamen ita sunt: sed eò hæc ais instituitur vt non aliter in bello quàm in pace secundùm leges viueremus, neminemq; iniustè ac furiosè læderemus.*

Opp. *Bellum est flagellum Dei, vindicta sceleris, malum ciuitatis, ruina pacis: ergo eiusdem scientia non est exercenda. Ratio tenet, quia quod simpliciter malum est admitti in ciuitatem non debet: sed hæc scientia est simpliciter mala. Probatur hæc minor propositio, quia ex malâ causâ nempe ex bello nascitur: at quòd bellum sit malum ex definitione constat.*

Resp. *Omnia illa adiuncta belli in antecedente propositione, quæ adfers, demonstrãt bellum esse malum pœnæ sed non malum culpæ, nã iustâ existente causâ bellum iustum & honestum dicitur. Præterea argumentum negamus, nam etsi vitia sunt simpliciter mala, eorum tamen scientia est bona, semper enim necessariò non sequitur, si causæ sint bonæ aut malæ, effecta quoque esse bona aut mala, nisi in eodem genere boni & mali hæc cũ illis conferantur vt Philosophus in secundo Topicorum docet. Sed hîc aliter se habet cõparatio, nam quia bellum est malum contra naturam, scientiam belli malam concludis esse contra iustitiam, quod est malum moris non naturæ.*

Opp. *Mœnia non arte sed impetu & robore perfossa cadũt, vrbes armorũ vi cedũt, non oratorũ eloquentiæ, Siracusas Archimed. caput mathematicum non defendit, cum Marcellus inuasit ciuitatẽ: frustra ergo militaris scientia docetur cũ Hercules furẽs in bello agitur.* Sabellic. lib. 10. cap. 8.

Resp. *Palladium surreptum fatale exitium Troianæ vrbis erat, at hoc idolum non vi & armis, sed insidijs & arte sublatum fuit.*

Equm

*Equus Troianus mirâ arte fabricatus decepit ciues; quamuis ergo concedimus mœnia non deturbari, vrbes non deijci ac deuastari, non expugnari hostes sine vi & armis: artem tamen militarem non reijcimus, sed Æneam & Hectorem, artem & martem simul in bello consociari volumus.*

Argumenta contra secundam quæst.

Opp. *Nobiles sunt maximè liberi in omni repub. ergo ex officio cogi non debent ad decorandam ciuitatem statuis ac templis (vt hîc ait Arist.) Ratio probatur, quia coactio libertatem tollit, onus in officio impositum obscurat splendorem dignitatis; imò languidum & ingratum est beneficium quod à coactis & inuitis datur.*

Resp. *Statuis & templis ex officio ornare ciuitatem, non est libertatem tollere sed potiùs augere, neq; hoc loco suademus vt nobiles cogantur ad hæc monumenta virtutis, sed id volumus (cum fieri hæc debeant in honorem Dei & ciuitatis, cumq; pauperes non possint præstare) quòd honorifici viri ex officio hæc debent agere; ex officio dicimus, quoniam hominum gratorum est acceptis multis pauca rependere.*

Opp. *Deus locis ac lapideis templis non alligatur, spatijs aeris non circumscribitur, superstitiosum ergo est Deo ruinosa sacella consecrari. Antecedens constat, quia Deus est spiritus immensus ac inuisibilis, vbiq; totus & tamen nullo circumscriptus loco. Vnde dicitur quòd in templis manu factis non cohabitet. Ratio probatur, quia vanum est maiestatem Dei angulo ciuitatis alligare, quam cœlum & terra non possunt comprehendere.*

Resp. *Rectè quidã, quòd quem cœlum non cepit vterus gessit; si in vtero virginis ad tempus latuit, cur in templis non maneret? ex rubo, ex archa, ex tabernaculo, ex monte loquutus est Moysi, cur ergo in tẽplo cum doctoribus non disputaret? Opus pecuniâ nõ habet Deus, & tamẽ minutum viduæ non cõtempsit; Fatemur quidẽ vbiq; esse secundùm essentiam, non est tamen absurdum in templis manere si spectes promissum. Qui ergo templum (Christo dicant, domum seu tabernaculum (in quo Deus cum hominibus veluti loqui & cohabitare desiderat) videntur ædificare. O Deus, excita quæso multos Salomones ac sapientes viros qui tibi templa, vrbi palatia, sibi perennis fama monumenta extruant.*

CAP.



## CAP. VIII.

*Vtrùm magistratus rectè in suas species diuidantur?*

QVONIAM ciuitas sine magistratu est veluti corpus sine anima & vita, posteaquam Philosophus docuerit quo modo & ex quibus constituantur respublicę, considerandum putauit necessariò, qui, quot & quales magistratus esse debent: quippe ab illis ciuitas tanquam à fontibus motum, vitam, sensum ac intellectum trahit. Materiam hanc antè paucis attigit Aristoteles, sed nunc pleniùs & accuratiùs eandem tractat. De bonis magistratibus in hoc delirio mundi annoque clymaterico agimus: in quo penè

Lex, mutus magistratus; magistratus loquens, lex.

*Nemo animum summi memorem genitoris in altum*
*Excitat, ad cælum mittit suspiria nemo.* In quo regnant
*Ira, superstitio, meror, discordia, luxus,*
*Sanguinis atra sitis, vini sitis, & sitis auri,*
*Liuor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum:* In quo inquã,
*Informes horrent facies, habituq; minaces,*
*Ambitio ventosa tumet, doctrina superbit,*
*Personat eloquium: nodos fraus abdita nectit.*

Prudentius.

Laterem (vt aiũt) & æthiopem lauamus, nam de istis temporibus scriptum est, nullam carnem, imò ne iustos quidem saluari posse, si diutiùs Christi aduentus prorogetur. Cur ergo tu nunc scribis fortasse quæris? Causam dicam, quia vt cum ægrotant homines opus est medico: ita cum delirat mundus opus est medicinâ. Conandum ergo est vt oculi ciuitatis simplices fiant & perspicaces, vt linces in quærendâ malorum culpâ, non aquilæ in perspiciendâ & aucupandâ prædâ præmioque fiant. Sed paululum digressus ad me reuertor.

uertor. Aristoteles, instituto suo breuissimè explicato, magistratum in duo quasi summa genera distinguit, lineamque vt loquuntur dialectici prædicamentalem magistratuum describit; genera duo sunt, officium necessarium, sine quo ciuitas consistere non potest, officiumque commune ac minùs necessarium, sine quo splendida & ornata non manet. Primum hoc genus diuiditur in magistratum politicum, qui circa res ciuiles, & in magistratum theoricum, qui circa res diuinas versatur. Politicus iterum est aut superior aut inferior, ille claues reipublicę tenens ad gubernacula sedet, hic res communes sed necessarias easdemque vel intra vel extra vrbem tractat: hinc magistratus multi vrbani, multi suburbani à Philosopho in textu tanquam infimæ species nominantur. Alterum summorum generum nempe officium minùs necessarium multas quidem species habet, de quibus, expositis primùm necessarijs, breuiter dicemus. Primus inter necessarios magistratus est ædilis seu fori magister, qui rebus vendendis & emendis tum ad cultum tum ad victum necessarijs præest, cuius est omnia ad æqualitatem reducere, & ne quid desit ad sufficientiam vitæ ex fide & officio prouidere. Alter magister operum appellatur, cuius officium est circumspicere ne ædificia & itinera ciuitatis ruinosa aut indecora fiant, hic magistratus alios multos sub se in populosis vrbibus comprehendit, quales sunt murorum, fontium, portuumque custodes, quos Archadius limenarchas vocat. Alius coactor seu quæstor definitur, cuius est reditus publicos & vectigalia exigere, eaque in publicos sumptus distribuere & erogare. Quartus est tabularum & rotularum custos, ad cuius officium pertinet religiosè publica ciuitatis scripta distinguere & custodire, vt inde tanquam ex sacra officina principum decreta sententiæque iudicum de rebus controuersis habeantur. Quintus est præfectus carceris, qui in iudiciorum executionibus (siue damnatus quis fuerit siue reus factus) versatur; huius officium inquit Philosophus est plenum inuidiâ magnumque sæpè incurrit odium

Officium, necessarium, cõmune.

Magistratus, politicus, theoricus.

Ædilis.

Magister operum.

Quæstor.

Custos rotularum.

Carceris præfectus.



um grandeque periculum. Inuidiosum enim est mucronem cruentum ex manu iudicis vibrare, periculosum eundem in nefarios ac condemnatos vertere. Quamobrem vbi non est merces magna proposita hunc magistratum homines recusant, est tamen necessarius, quippe frustra exercentur iudicia nisi eorum sequatur finis & executio. Lites enim de rebus iustis sunt inutiles, nisi res iudicatæ ad exitum perducantur: extorque iustitiæ manibus gladium, ciuitatis nerui infirmantur, vt ait Seneca: politicum ergo valdeque consultum erit in hoc magistratus genere, si alij vitæ ac necis sententiam dicant, alij pœnam atque exemplum à reis & condemnatis sumant. Damnare enim simul & mulctam exigere odium duplex habet, hominesque nimium inuisos & odiosos reddit. Vnde quidem euenit vt boni viri hunc magistratum maximè fugiant, vident enim odium, vident periculum: expedit ergo plures ad hoc officium admitti, vt alius sententiam ferat, alius supplicium sumat. Immo considerate factum erit (rebus valde magnis & periculosis tractatis) vt noui & recentes admissi iudicium in reos dicant, ne seniores intolerabili inuidiâ vulnerentur; hoc ipsum exemplo Athenienſium in textu constat. Nunc pergam, alioque magistratus (in quibus maior apparet splendor ac species dignitatis) breuiter ostendam. Inter hos primi sunt clauigeri ciuitatis, ad quos tota vrbis custodia pertinet, horum quidem est excubias facere ac inuigilare vt tam in bello quàm in pace, portæ, gazæ, ac mœnia ciuitatis à vi & fraude hostium tam internorum quàm externorum muniantur. Sub horum nutu ianitores, murorum prefecti, cistarum custodes viuunt. Alij in hac classe ciuitatis vocantur duces seu imperatores rei militaris, quibus committitur tota rerum bellicarum curatio atq; administratio, his equites, pedites leuis & grauis armaturæ, his sagittarij, classiarij, nautici & gregarij milites subijciuntur, nominatim vocantur hij magistratus classium præfecturæ, equitum magisteria, ordinum seu legionum imperia, aliaque similia de quibus Vegetius

Capitalis animaduersio periculosa.

Clauigeri.

Duces.

Censores. (vt suprà diximus) enucleatè scripsit. Istis in hoc genere dignitatis succedunt graues & austeri Catones censores nuncupati, penes quos est officiorum rationes exigere, de moribus ciuium inquirere, peccantes castigare, multitudinem in certas classes diuidere & (vt ita loquar) cõcenturire. Censoribus finitimi sunt ephori & senatores, qui sunt vt hîc docet Philosophus summi magistratus vno solùm excepto, qui (vt ait) ius cogendi senatus & conuocandæ totius ciuitatis habeat. Vide studiosè lector quo modo gradatim à membris ad caput, à medijs ad summum & supremum perueniat Arist. Nã vt sidera non lucent sine sole: ita ciuitatis lumina (sint illa quidem magna) non splendent sine rege, qui conuocare ciues, senatum cogere, res controuersas concludere ac definire potest. Hactenùs de politicis magistratibus, aliud iam genus curationis sequitur, quod in cæremonijs & dei cultu versatur: quid multis? Magistratus sacri sunt, aut qui sacris operantur vt sacerdotes & pontifices, aut qui sacra procurant vt templorum ęditui & custodes. Inter illos vt in politicis magistratibus vnum summum esse voluit Aristo. quem alij principem, alij prætorem, alij regem sacrorum, alij prytanem olim appellarunt, hunc Iudæi & Romani pontificem maximum, nos verò vt opinor archiepiscopum appellamus, penes quem fuit sacram concionem cogere, & de rebus dubijs cum alijs sui ordinis consultare ac definire: in horum pectore lucerent duo, iustitia & sapientia, ex horum ore veritas tanquàm riuulus ex fonte flueret & emanaret. Sed deus bone vbi nunc sacerdotes, vbi sacra? amore, metu pretio corrupti sumus, placentia loquimur, puluinarijs peccantium cubitus sustentamus.

Senatores.

Magistratus theoricus.

*Sed sapiens (qualem depinxit musa Maronis)*
*Impauidus fortisq́, bonum, & prædicere verum*
*Audet, & humani generis trutinare furores:*
*Quamuis in Siculo crucientur corpora tauro,*
*Cerucemq́, super præceps dependeat ensis:*
*Nam verè sapiens non vana pericula mortis*
*Horret;*



*Horret: ita fixo stabiliuit limite vitam:*
*Non iustum dominus, non verba minantia terrent:*
*Sed Christi leges infracto pectore promit.*

Hæc hæc sunt officia ministrorum Dei, hæc agerent, in his studijs dies noctesque vigilarent, aut cum Nathan Alegoricè, aut confidenter cum Elya & Iohanne Baptista Dauidi Achab & Herodi sua ipsorum scelera denunciarent. Nominantur enim tubæ, canes, stellæ, sal terræ, custodes Ierusalem, angeli, prophetæ, legati, apostoli, pastores, doctores, animarum episcopi, & quid non quod sanctum, quod sacrum, & quod excelsum est? Sed quid est tuba si non clangat, quid canis si non latret, quid stella si non luceat, quid sal terræ si non sapiat? De cæteris non dicam, quippe nemo est qui eorum nominum mysteria non videat. Hoc solùm dico si ethnici, si Philosophi, imò si Barbari tanti suos sacros vel potiùs superstitiosos magistratus æstimarint, quanti nos Christiani veros Dei ministros æstimare ac reuereri debemus? Si illi (vt hîc docet Philosophus) communi ciuitatis foco & lare suos sacerdotes honorificè aluerint, cur nos decimas & sancta altaris munera pernegamus?

*Eheu præcipiti mortalia corda profundo*
*Mersa, salutarem quærite posco viam.* Boetius.

Ministros Dei, ecclesiam Dei, Dei oracula ac templa Dei bonis, honore, cultu veneremur; via enim salutaris est, Christum Christiq́ue legatos & ministros honorare, hoc si desit, prudentia hominum in stultitiam, consilium in temeritatem, politia in anarchiam, ciuitas tota in confusionem ac perniciem citò ac præcipitanter ruet. Asia, Africa, maximaq́ue pars mundi luctuosa huius rei exempla sunt. O lachrymosum tantorum imperiorum statum, sed adhuc alæ Christi agitantur, adhuc audiamus vocem illam: O Ierusalem Ierusalem

Leges non prosunt vbi sacra præcepta cadunt. Qui enim altario deseruiunt cum altario participant. 1. Epist. Paul. ad cor. c. 9.

Matth.cap.23. salem quoties volui te congregare sicut gallina suos pullos, fac Christe non audiamus illud, sed noluisti. Omissis nunc istis ad alia in textu sequentia venio quę sunt duo, nempe expositio rerum circa quas iam explicati magistratus versãtur, & enumeratio eorum magistratuum qui dicuntur minùs necessarij: expositio hæc est. Versantur inquit magistratus necessarij circa res diuinas, circa res bellicas, circa vectigalia & sumptus, circa forum, vrbem, portas, circa iudicia, commercia, professiones, exactiones, custodias, ratiocinationes, mores & reposcendas rationes ab ijs qui magistratu defuncti sunt. Enumeratio non est obscura, nam minùs necessarij magistratus seu communes pauci solùm recensentur, quorum id tantum interest vt elegans & ornata habeatur ciuitas. Huc inquit Philosophus spectant mulierum disciplinæ, legum custodia, puerorum institutio, gymnasiorum præfectura, „ curatio ludorum. & si qua alia forte huius generis instituantur in ciuitate officia. Qui disciplinam in fœminas exercent, patroni ac moderatores matronalis (vt ita loquar) decentiæ & modestiæ in victu & cultu vocari possunt; hic enim sexus pauonis caudam amat, & excessum in plumis & ornamentis (si non sit habena) quærit. Breuitati studeo, aliter de fictis crinibus in capite, de monstrosis linteolis in collo, de vanis tabulis in pectore, de sericis caligis ac lyripipijs in pede, de alijs prodigiosis pigmentis nostrorũ temporum libenter dicerem, sed digito compesco labellum, ne animal tam mite ac mansuetum mihi succenseat. Reliqui magistratus ex hoc ordine, custodes legum, institutores iuuentutis, gymnasiorum præsides, ludorum magistri nominantur. Sed de his & alijs qui sint, lectorem ad librum primum pandectarum iuris ciuilis, vel potiùs ad libellum quem Feneſtella de magistratibus Romanis scripsit referẽdum puto. Nunc ad Platonis ideam & Mori vtopiam, vel si placet eutopiam delineandam venio, nam in septimo iam sequuturo libro Aristotelis diuinam quandam reipub. formam confingit, quam adhuc nulla hominum multitudo vnquam salutauit.

Menierint ergo, qui magistratum suscipiunt, maiestatem reip. sc gerere Qualis enim est, qui ciuitati prę- est, talis erit populus. Ecc. cap.10.ver.2.

Distinctio.



Distinctio.

- Magistratuum alij sunt
  - Necessarij, horum alij sunt
    - Politici, vt
      - Ædiles,
      - Magistri operum,
      - Quęstores,
      - Custodes rotularum,
      - Præfecti carcerum,
      - Iudices,
      - Agrorum diuisores,
      - Clauigeri,
      - Imperatores,
      - Censores,
      - Ephori seu senatores,
      - Reges.
    - Theorici & sacri, vt
      - Sacerdotes,
      - Æditui seu custodes sacrorum,
      - Pontifices.
  - Communes & minùs necessarij, vt
    - Patroni muliebris modestiæ,
    - Custodes legum,
    - Institutores iuuentutis,
    - Gymnasiorum Præsides,
    - Ludorum & musicorum magistri.

Opp. contra quæstionem.

Opp. *Plura sunt magistratuũ genera quæ hic à Philosopho non recensentur: ergo non est accurata ista diuisio. Antecedens probatur, quia thesaurarij, cancellarij, secretarij, equitum magistri, chambellani, alijq; id genus multi in hoc catalogo non inscribuntur, sicuti in textu patet.*

Resp. *Generatim omnia, numerosè autem singula non recensuit Philosophus, ad hæc tamen ista quæ adfers reduci ac reuocari possunt, vt thesaurarij ad quæsturam, cancellarij ad iudicis officium, & sic deinceps de cæteris. Præterea non est institutum Philosophi de officijs & magistratibus singularum nationum ac gentium agere, sed ea solùm munera definire quæ ad communem & mixtum reipublicæ statum requiruntur.*

Opp. *Sunt quædam ciuitates tam paruæ vt plures magistratus vno non permittant, quemadmodum constat de illis quibus vnus prætor aut Regulus solùm præest: ergo non necessariò plures in qualibet ciuitate magistratus (vt hic docet Philosophus) requiruntur.*

Resp. *Roma plures, Mantua vnum magistratum postulat; notã-*

*dum tamen est quòd hic fusè nomen ciuitatis pro tota repub. & imperio sumatur, non strictè pro vna vrbe: at in repub. necessariò requiruntur plures magistratus ijdemq; distincti ſpecie; plures ne fiat confusio, distincti ne in ciuili administratione naturæ tollatur ordo ac imitatio. Nam vt in rerũ natura est vnus primus motor, multæq; sub illo motrices causæ: ita in ciuitate est vnus summus moderator omnium sub quo alij magistratus viuunt. Et vt in corpore naturali partes sunt secundùm motum & officium distinctæ ſpecie: ita in ciuili imperio secundùm naturam magistratus differunt; at sicut illæ omnes ac singulæ ad vnum bonum nempe conseruationem corporis: ita hij quoq; omnes & singuli ad bonum commune ciuitatis tendunt.*

## Dubium primum.

Vtrùm ludorum magistri in rectè instituta ciuitate sint permittendi?

Opp. *Quoniam in hoc capite circa magistratus ciuiles multa aguntur, quæ cognitione digna tacitùs à me prætermitti non debent, vnam vel alteram dubitatiunculam mouebo, quam argumentis vltrò citroq; habitis breuissimè absoluam. Prima est vtrum ludorum magistri vt magistratus sint in rectè administrata ciuitate permittendi? Videtur (vt loquuntur veteres) quòd non, nam illi non sunt habendi magistratus qui ad otium ciues trahũt: sed eutrapeli & ludorum magistri ad otium ciues trahunt: ergo magistratus non sunt habendi. Maiorem ratio probat, quia otium perdit ciuitatem. Minorem Aristoteles probat, in quarto Ethicorum, vbi docet tempus in ludis positum esse inane & otiosũ. In fine etiam huius capitis disertis verbis ait quòd hæc ſpectacula sint otiosarum ciuitatum. Præterea non est virtus in illis: ergo non sunt magistratus habendi. Antecedens probatur, quia virtus vt est in secundo Ethicorum est circa difficile: at ludere quod est obiectum istorum magistratuum non est difficile; ergo in illis non est virtus. Postremò hoc posito quòd tales permitterentur magistratus histriones quoq; sunt permittendi, nam frustra instituuntur ſpectaculorum præfecti, si non sunt lusores ac histriones qui scænam & theatrum ornent: sed qui histrionibus largiuntur pecunias peccant: ergo tales magistratus in rectè administrata ciuitate non sunt creandi.*

Resp.



Resp. *Vt respondeam ordine istis argumentis animaduertendum est quòd duplex sit genus hominum, vnum theoricum soli rerum diuinarum contemplationi deuotum, aliud politicum & sociabile quod amœnitate rerum humanarum delectatur. Distinguendum etiam est quòd ludi fiant quatuor modis, aut sui ipsorum causâ, aut gratiâ lucri, aut vt mens humana recreetur, aut vt remoueantur quædam impedimenta & veluti tricæ fragilis humanæ vitæ, quales sunt dolores, curæ, studia, negotiorum ac laborum tædia, quibus animi hominum non aliter quam humeri magnis oneribus depressi fatigantur. Generatim ergo nunc dico ad omnia, quòd primum genus hominum ad ista mortalia oblectamenta & theatra non accederet, quia à cœtu hominum, à celebritate se quasi voto ac professione separarint; aliud verò genus potest, modò duabus postremis causis impulsum aut persuasum veniat: hoc verò vt fiat decorè circa ludos tales constituuntur magistratus, qui non ad otium sed ad honestam animi recreationem fessos labore ciues admitterent, & hoc quidem vt secundo respondeam argumento est quiddam difficile in quo virtus ponitur. Ad vltimum dico, quòd omnes scænici actores non hystriones dicantur, sed illi solùm qui sua spectacula & insipidas comadias vendunt ac nundinantur.*

## Dubium secundum.

*Vtrùm expediat eundem dare & exequi sententiam mortis?*

Opp. *Nemo debet exequi sententiam mortis: ergo inanis est quæstio. Antecedens probatur, quia hoc modo odium incenditur, pax ciuitatis perturbatur, homicidium committitur, accenditur odium: nam vt ait in textu Philosophus damnare & exequi sententiam mortis homines inuisos & odiosos reddit. Pax ciuitatis perturbatur, quia metus indè seditionis euenit: homicidium committitur, quia homo suâ vitâ & famâ vi quadam depriuatur. Præterea si sit necesse vt aliquis exequeretur sententiam mortis, nemo melius potest quàm ille qui eam tulerit, quippè vt is optimè causam nouit: ita iustissimè pro quantitate culpæ pœnam infligeret.*

Resp. *Tutius est vt pars corrupta tollatur à corpore quàm vt totum pereat, negamus ergo antecedens, & ad probationem dicimus quòd exequi sententiam mortis inuisos reddat, sed solùm inuisis & malis hominibus; neq; hoc modo pax perturbatur sed conseruatur*

*potiùs. Postremò homicidium non est sceleratum & iustè condemnatum hominem membratim decerpere, quia in scelere perpetrando suorum membrorum vsum & potestatem is iure prodiderit, qui eandem ad debitum suũ finem & bonum ciuitatis non retulerit. Ad postremam partem argumenti respondeo, duplicem considerandam esse sententiam, aut in causa ciuili in qua idem potest condemnare & exequi, aut in causa (vt aiunt) criminali, in qua vtrumq; propter duplex odium quod sequitur, ad eundem non pertinebit.*

*Vtrùm ad disciplinam intemperantium faminarum creandi sint magistratus in ciuitate?*

Opp. *Satis est seueris legibus morum vestiumq; effaminationem ac deformitatem corrigere, idq; per vnum magistratum ciuitatis: nõ est ergo opus plures ad hanc rem vocare, cùm vnus non solùm hoc sed etiam alia permulta reipub. onera muneraq; possit sustinere.*

Resp. *Antecedens propositio infirma est & penitus neganda, nã in hoc sexu vestiũ & morũ tanta semper fuit immodestia, vt mirũ non sit si hoc loco Philosophus ad mulierum disciplinam particularem & distinctum requirat magistratum; qui, si hoc seculo iam viueret, non vnum sed centum meo quidem iudicio postularet. Nam vt omittam Laides & earum spumantia vbiq; lupanaria (quæ huius disciplinæ ac magistratuum defectu turpissimè accreuerunt) in veste, vultu, voce picarum vanitatem tacere non possum: nam quid sibi velint iã crines more Sycambri in nodos contorti, quid serta & torques in collo, quid fulgentia auro & gemmata cadauerũ tegumẽta?*

Lege Pauli epist. 1. ad Tim. c. 2. vers. 9. & 1. Pet. 3. 3.

O mores hominum! corrupta ô tempora & atra!
Nemo nefas censet vestes gestare plicatas.

*Sed adeste bellissimæ tenerrimæq; nymphæ, quid profuit Cleopatræ pretiosa vestis? Quid Iesabeli aureũ ornamentum corporis? Nonne illius mammas infecit vipera, nõne huius viscera canes nigri deuorarunt? Attendite, quid aliud estis quàm bella vermium sterquilinia? Moriendum vobis est, & in sepulchro hæc forma, fætor & putredo contagiosa erit. Fallax est hæc species vestra & tanquã vmbra fugax, virtutis solùm forma in sempiternum viuet.*

Laus soli Deo.



# LIBER SEPTIMVS.

## CAP. I.

*Vtrum ciuilis beatitudo magis in internis quàm in externis consistat bonis?*

Eutopia in hoc libro delineatur vt ad eam tenderemus.

DIGNISSIMVS est hic liber miro Arist. ingenio, in quo eutopiam & (vt ita loquar) diuinam reip. ideam ac formam sapienter delineasse videtur: quam etsi in hoc stadio & olympo mortalis vitę non attingimus, eiusdẽ tamen globum & sphæram tanquam optimum exemplar in administratione reipub. ad quod tenderemus, haud temerè ac inconsideratè intuemur. Nã vt cœlum oculo & animo videndum & optandum à Deo proponitur, quod tamen in hac vita digito non tractamus: ita hæc venus ac radiosa diuinæ reip. stella nobis obijcitur contemplanda, tametsi eiusdem lumen solùm in hoc centro positi sine magno motu & influentiâ sẽtiamus. Hæc aurea spe-

Ciuitatis species absolutè bona.

cies ciuitatis (sit illa quocunq; nomine appellata) est absolutè bona, & veluti omnium virtutum tam humanarum quàm diuinarum cœlestis hierarchia. Ab hac omnes rectè administrandi formæ deductæ sunt, & ad hanc reuocatæ conquiescunt, nam hæc inquit Philosophus non viribus naturę, non fortunæ dotibus, sed solùm virtutum præsidijs munita & circumsepta est: quæ ergo ciuitates ab hac longiùs declinant, inquietæ & turbulentę sunt. Nam vt columba illa emissa ex archa (diluuio coopertâ terrâ) quietem pedi (antequam reuersa est) non inuenit: ita respublicæ à portu virtutis in oceanũ veluti humanę vertiginis præcipitatę vacillant semper & periclitantur donec ad eundẽ portũ reuocatę fuerint, est enim solùm virtutum nauis à tempestate seditionis tuta. Sed quorsum hæc omnia fortasse ais? Certè vt intelligas institu-

Philosophi institutum in hoc libro.

institutum Philosophi, qui de simpliciter optima reipub. administrandę forma acturus, talem omninò ciuitatem (quam à nobis delineatam vides) in hoc libro describit ac proponit; verùm vt pleniùs quæ sunt apud illum percipias, summam totius libri breuissimè collectam vide. Tractantur in hoc libro quatuor, finis, materia, partes, & modus, quo ciuitatis forma diuina fiat. Finis est sola contemplatio actioque virtutis. Materia est duplex, proxima, vt multitudo; remota, vt regionis situs & loci constitutio. Partes sunt propriæ vt ciues, communes vt ædificia & ornamenta ciuitatis. Modus deniq; est studiosa iuuentutis disciplina & educatio. In primo tractatu libri de fine, in secundo de materia, in tertio de partibus, in postremo de modis, (quibus vndiq; ciuitas beata fiat) agitur. Primus iterum tractatus in duo diuiditur capita, in quorum priori ostendit Philosophus quòd optima vita tum hominis tũ ciuitatis non in mentita naturæ aut fortunæ potentia, sed in sola virtutis influentia ac perfectione consistet: in secundo eandem vnius hominis & totius ciuitatis fęlicitatem esse paucissimis demonstrat. Hoc primum caput suas quoq; partes habet, nempe expositionem instituti, vitę beatæ descriptionem, refutationem errati, conclusionem proposiți. Expositio instituti est vt quæ sit optima mortalium vita inuestigari debeat, nam illâ obscurâ & incognitâ necesse est etiam vt optima administrandi forma ignoretur, quippè hæc ab illa vt fructus à planta pendet: at quæ sit optima vita nemo perfectè scire potest, nisi quæ sit optima vitæ actio idem intelligat; nam vt calor ignem, splendor solem: ita actio vitæ dignitatem prodit. Animaduertendum tamen est quòd vita aliquando à Philosophis pro principio sumatur, & sic anima vita dicitur; aliquando autem pro secundo actu eiusdem principij, & sic quæuis naturalis (vt ita loquar) actio & operatio hominis vita dicitur, siue ille quidem vigeat, siue sentiat, siue se loco moueat, siue intelligat; Harum verò operationum (vt ait Donatus) optima est illa quę est secundùm optimam potentiam animę, id est secundùm rationem: is enim propriè vitam humanam viuit, qui

Summa totius libri consistit in quatuor scilicet fine, materiâ, partibus & modo ciuitatis optimæ.

Optima vita hominis & ciuitatis in virtute constat.

Eadem vnius hominis & ciuitatis fœlicitas.

Vitâ optimâ hominis incognitâ optima administrandi forma ignoratur.

Vita vel pro principio vel pro actu eiusdem sumitur.

Optima operatio illa quæ fit secundùm optimam potentiam animæ.

secun-



secundùm mentem & sapientiam viuit; ex quibus concludo illam ciuitatẽ optimè administrari, quæ mentem in puppi & sapientiam gubernatricẽ habet, vt in libris ethicorum magnorumq; moralium (quos hic exotericos & quasi externos appellat) pręclarè docuit Arist. Descriptio vitę beatę (quę est secunda pars huius cap.) breuis hic traditur, & certè non alia quã quæ in Eth. tradebatur: nam etsi Philosophus requirit ille quidem tria bonorum genera, nempè naturę, fortunę, animi ad verè beatum hominem efficiendum, essentiam tamen fælicitatis in internis animi bonis & ornamentis solùm lucere docet, quod quidem exemplo fortitudinis, temperantiæ, iustitiæ ac sapientiæ quatuor nobilissimarum virtutum in textu probat. Quis enim eum beatũ dixerit qui muscas circumuolutantes metuit defectu fortitudinis? Qui cùm ęsuriat aut sitiat à nulla re appetitũ suum frænat defectu tẽperantiæ? Qui vt locupletior fiat charissimos amicos & intimos ob quadrantem interimit defectu iustitiæ? Qui deniq; non aliter ac puer & insanus in omnem errorem incidit defectu sapientiæ? Virtutes ergo solùm verè beatum faciunt; naturæ autem & fortunæ bona sæpè miserum ac infælicem: illæ enim sunt absq; omni fuco & colore bonæ, hęc verò bonorum solùm nomen & speciẽ habent. Sequitur iã refutatio in qua hæc quæstio latet, vtrùm ciuilis beatitudo in internis magis quàm in externis consistat bonis? Fuerunt quidam pseudophilosophi qui fallacibus mundi vmbris decepti naturæ ac fortunæ tanquam dominis rerum humanarum sacrificia adolerunt, quiq; omnem humanam beatitudinem illis referre acceptam conati sunt. Aduersùs istos hoc loco disserit adeoq; confirmat in bonis illis quasi paleam sinè grano, florem sine fructu, scoriam sine auro, somnium & idęam rerum maximarum sine omni subiecto & fundamento esse. Nã vt eccho non est vox ipsa sed vocis reuerberatio; vt color in iride non est verus color sed coloris (vt ita loquar) imaginatio: ita externa corporis & fortunæ bona non sunt solida sed bonorum specioſa quædam specula & idola, quæ in sui admirationẽ pellectos heu nimis miseros quidẽ faciunt. Quid enim

Oprimè administratur ciuitas quam mens & sapientia gubernant.

Essentia fælicitatis in solis animi bonis.

Virtutes solæ beatum faciunt.

Quæstio.

Refutatio pseudophilosophorum.

Bona externa bonorum specioſa idola.

enim infælicius esse potest quàm contemptâ virtute de viribus cum Goliath aut Milone, de formâ cum Absolon aut Narcisso, de honore, potentiâ, diuitijs cum Nabuchodonosor aut Crasso immaniter gloriari? Goliath lapillo percussus, Milo robore compressus, Absolon quercu suspensus, Nabuchodonosor in monstrum versus, Crassus auro suffocatus fuit: & tamen vt Pantheri humana stercora; ita mortales in hoc ludo temporum vanissimas has vmbras terræque viscera persequuntur, quæ vt flumina à labris Tantali citò diffugiunt, tametsi vt aureum vellus Iasonis periculosissimè comparentur. Sed vt rationes Philosophi sine vlla digressione in vnum quasi punctum conferam & contrudam, ex illo probabo quòd in bonis fortunæ (qualia sunt opes, pecunię, honor, potentia, gloria) vera non sit ciuitatis beatitudo. Primùm quia in illis appetendis nullus est finis, nulla satietas, nulla quies. Secundò quia suis ipsorum viribus & per se non conseruantur sed ad sui firmitudinem virtutes postulant. Tertiò quia vi sæpè auferri possunt, senioque conficiuntur, quod in animi bonis non contingit. Quartò quia æquè malis ac bonis conueniunt, immo aliquandò magis perniciosos natura ac fortuna beant. Quintò quia istorum affluentia & copia habentibus plus nocet quàm prodest, vera autem bona non similiter. Sextò quia sitim appetitus non extinguunt sed inflammant, non terminos circumscribunt sed vrgent ad infinitum malum & cupiditatem rerum. Septimò quia expetũtur hæc bona propter aliud & nõ per se. Octauò quia Deus, qui neq; naturę neq; fortunę subijcitur, horumq; nihil habet, omnium in essentia beatissimus est & habetur. Postremò quia miseros sæpiùs quàm beatos bona ista mortales reddunt. Verum ergo est illud Horatij,

Externa bona facilè amittuntur cum difficultate acquiruntur. Rationes quę probant ciuitatis beatitudinem in fortunæ bonis non locari.

*Non, possidentem multa, vocaueris*
*Rectè beatum: rectius occupat*
*Nomen beati, qui Deorum*
*Muneribus sapienter vti,*
*Duramq; callet pauperiem pati,*
*Peiusq; letho flagitium timet:*

Horat lib. 4. Od. 9.

Hæc



Hæc omnia quidem de bonis corporis dici possunt, quibus addit Philosophus (si animus & bonorũ partorum possessione & corpore charius ac præstabilius quiddam sit tũ simpliciter tum nobis) consequens & necessariũ esse vt quanto animus est diuinior corpore, tãto eiusdem bona huius bonis sint præferenda. Nã vt ait in textu Arist. animi causâ hæc sunt optabilia & expetenda, & omnes bene sanę mentis homines ea expetere animi gratiâ debent & nõ animũ illorũ causâ, quippe quæ extra animũ sunt casus & fortuna seu causæ sunt efficientes: iustus verò ac temperans nemo à fortunâ aut naturâ dicitur: concludo ergo verbis Philosophi nullam esse præclaram actionem aut viri separatim aut communiter totius ciuitatis sine virtute. Sed hactenus inquit hæc instar proœmij ei disputationi quam habituri sumus præposita sunt, id est quasi diceret hoc fundamentum optimę ciuitatis ponimus, quòd sola & perpetua sit illa ciuitas in qua animi bona, non fortunæ, non corporis principatum tenent; flores naturæ cadunt, fortunæ risus fallit, vtriusque via periculosa est: relinquitur ergo quòd solùm virtutum sydera in optima ciuitate luceant, radiosq; non in senatum solùm sed etiam in omnes angulos & partes efficaciter effundant suos.

Quantò animus est corpore præstantior, tantò eiusdem bona huius bonis sunt præferenda, &c.

Nulla præclara actio sine virtute.

*Virum ciuilis beatitudo magis in internis quàm externis bonis consistat?* Distinctio.

Ciuitas dicitur vel
- Communis, quæ est ad vitam humanam accommodata, adeoque permixta bonis & malis; istius beatitudo plurimùm à bonis fortunæ & naturæ pendet, vndè facta est distinctio inter bonum virum & bonum ciuem.
- Absoluta seu optima, quæ exemplaris dicitur; & huius fœlicitas magis in internis quã externis bonis consistit, vt dilucidè decem rationibus ex Arist. In suppositione probauimus.

Opp. *Fabulosum est ciuitates in aere cum Lucano, & ideas in animo cum Platone, vtopias cum Moro, aliaq; istiusmodi commenta fingere: ergo otiosum est istam (vt loquuntur) exemplarem reipub. formam describere. Antecedens constat, quia res tales non sunt nec esse possunt omnino. Ratio sequitur, quia hæc exemplaris forma nihil aliud est quàm mera philosophi imaginatio; nam res nulla tali descriptioni subest.*

Resp.

Resp. *Lucanum (qui ad coticulam suam linguam acuit) hîc penitùs reijcio; Platonem, Morum, Arist. de optima repub. philosophantes audio: & quamuis eas describant ciuitates quæ non apparent, inanis tamen non est eorũ disputatio; nã si attentius rẽ considerares, causa cur non appareant non est in defectu virtutis sed in appetitu hominis, qui magis affectum quàm mentem & rationem sequitur. Impossibile ergo dicitur duobus modis, aut absolutè quod fieri non potest, exempli causa vt Deus seipsum neget: aut comparatè, quod fieri quidem potest, actu tamen non fit, verbi gratiâ vt homines solùm ad nutum virtutis viuerent, suasq; ciuitates secundũ normam rectæ rationis gubernarent; hæc inquam non fiunt, nõ quòd fieri nõ possint, sed quòd mortales appetitus magis quàm intellectus, affectus magis quàm virtutis motu & imperio capti naturam suã, quæ est ratio, naturæ lucem, quæ est sapientia, deserunt.*

Causa cur optimę ciuitates non appareant non est in defectu virtutis sed in appetitu hominis.

Impossibile est duplex.

Opp. *Docuit anteà Arist. ad beatitudinem ciuitatis necessariò requiri abundantiam bonorum omnium. Præterea ad bonum ciuem efficiendum nõ virtutem moris sed muneris & officij postulat: videtur ergo probabile ciuitatis fælicitatem magis in bonis externis quàm in internis consistere; nam si virtus ad ciuem bonum efficiendum non requiratur, & si qualis est ciuis talis futura ciuitas, negandum non est quin existente ciue sine virtute ciuitas quoq; cõstet absq; virtutis possessione, cum ciuis & ciuitas sint coniugata, quæ eodem modo afficiuntur.*

Resp. *Hæc omnia vera sunt de ciuitate communiter non absolutè sumptâ, nam in illa hæc bona externa sunt necessaria, in illa inter bonos viros & bonos ciues facta est distinctio: at in hac absoluta & exemplari reipub. formâ non tam muneris quàm virtutis ratio spectatur, in hac inquam sola virtus virum & officium facit.*

*An virtus splendorem ab animo, vel animus à virtute habeat?*

Opp. *Virtutes vt hîc docet Philosophus, animi causâ sunt expetendæ non animus propter illas: ergo non virtus ab animo, sed animus à virtute splendorem ac dignitatem habet: huic tamen contrarium paulo antè in hoc ipso capite insinuari videtur, vbi probat Arist. virtutem esse optimam, quia animus (in quo est) existit diuinior.*

Resp. *Vtrumq; verum esse potest, nam vt sol maiestatem splendoris*



*suis à luce & lux à sole; ita virtus ab animo & animus à virtute dignitatem habet. Sed vt gemma est pretiosior auro: ita virtus animo illustrior ornatu non habitu naturæ dicitur; ornatu dico, quia virtus affectio, animus substantia definitur.*

Virtus animo est illustrior ornatu, non habitu naturæ.

*An beatitudo in deo sit accidens?*

Opp. *Nihil de deo apud Philosophum certò disputatur: ergo inanis est ista ex Arist. dubitatio. Antecedens constat, quia sæpè numerum deorum facit, sæpè deum animal appellat, aliquandò deum mundo & mundum deo ex fatali necessitate astringit, nonnunquam deum nihil aliud quàm naturam esse definit, nonnunquam intelligẽtiarum primum primumq; motorem omnium extra cœlum, nusquam & vbiq; positum.*

2 Topicor. 7 Physicor. 11. Metaphys. 12. Metaphys.

Resp. *Erras, nam certissima est de deo apud Arist. disputatio; numerũ deorum facit vt dicis, quàm inaniter & otiosè hoc obijcis vide, quasi verò non sit loquendum cum multis sentiendum cum paucis. Lege septimum lib. physicorum, secundum de cœlo, lib. de mundo; 10, 11, & reliquos metaphysicorũ libros, vbi ex instituto de deo agit, & dic si possis an deos non. inet, imò illic quodammodo definitum deum inuenies esse motorem primum, vnum, infinitũ, simplicem, bonum, incommutabiliter subsistentem, sine tempore & loco, qui mutare potest omnia, ipse tamen mutari non potest. Quòd vrgeas deum vocari animal, rideo: nam tu nosti illic animal aut pro animante & mouente sui omniumq; sumi, aut verbum illud ex Platone Philosophũ mutuari. Tertium quod obtrudis mendacium est, nam Arist. non aliter primum motorem & primum mobile simul esse aut colligari voluit, quin semper deus simplicissimus actus liberrimũq; agens appelletur, vt in eodem libro & loco patet. Reliqua quæ adfers sine omni absurdo admitti possunt, nam extra cœlum, in cœlo, nusquàm & vbiq; subsistit deus: & vt respondeam dubio iam agitato, subsistit quidem essentialiter beatus. Verba Philosophi in hoc textu aperta sunt. Dei inquit testimonio vtendum est, qui quamuis beatus sit, non tamen propter vllum bonum externũ beatus est, sed ipse propter se, & quia sit talis suapte naturâ: nõ est ergo in deo beatitudo accidens, sed deus est ipsa beatitudo: accidens enim omne imperfectionem arguit: at deus nihil imperfectum habet. Insignis hæc sententia Arist. de deo nunc temporum memoratu dignissima videtur, vt*

Loquendum cum multis, sentiendum cũ paucis.

Deus vnus & qualis.

Animal pro animante & mouente sui sumitur.

Beatitudo non est acidens in Deo.

*vt persuasi deum esse animumq; hominis beatissimum (quo proximè ad deum diuinâ vitâ & virtute venit) illam solummodo fœlicem ciuitatem esse putemus, in qua ratio & virtus regnant.*

## CAP. II.

*Vtrùm sit eadem beatitudo ciuium cuiusq; & totius ciuitatis? Vtrùm legitimum ac iustum sit bellum inferre finitimis quò augeatur imperium?*

IN proemio huius libri nobis studiosis optimæ reipub. ac vitæ præmansum quasi cibum in os dedit Philosophus, quem si (vt solent docti) probè ruminemus, haud erit eorum quæ sequuntur difficilis aut amara concoctio. Virtus manna mentis est & nectar animi sapientia; at in his solùm viuere & vigere ciuitatem docuit. Nam vt corpus cibo & potu: ita animus, qui est hominis forma, vitaq; ciuitatis, virtutum ambrosiâ & influentiâ pascitur. Verùm nè quò diuinior eò obscurior hæc eius sententia videatur, in vtramq; partem differendo pergit, & in hoc capite quatuor quæstiones mouet, duas quas in fronte vides, alias duas quas in tertio cap. absoluit; priores illas (quia sunt hîc discussæ) paucis demonstrabo, posteriores verò opportunè in suis locis ostendã. In præfatione ethicorum hanc primam quæstionem attingit Philosophus, idemq; bonum esse cuiusq; ciuis ac est totius ciuitatis ait. Rationes Arist. hîc duæ sunt, vna ab authoritate, altera ab inductione. Ab authoritate, nam in promptu inquit hoc est quòd omnes (Philosophos intelligit) eandem esse beatitudinem vniuscuiusq; ac est totius ciuitatis vno ore concesserint; senserunt enim sapientes viri ciuem & ciuitatem in communi bono ita consentire, vt si idem non studerent omnes & singuli, tota ciuitas veluti contrarijs motibus distracta citissimè contabesceret. Ab inductione hoc ipsum probat, quia si studeant ciues opibus vt in oligarchia, si libertati vt in populari potentia

Virtus est manna mentis.

Quæstio. 1.

Ratio duplex.



tentia, si oppressioni vt in tyrãnide, aut ex aduerso si virtuti vt in rectis imperandi formis, necesse est vt putemus ideo hoc ab illis fieri, quia diuitias, libertatem, latum imperium, aut virtutem ciuitatis beatitudinem esse arbitrentur: aliter enim singuli ad ista obiecta non tam cupidè aduolarent, si in illis aut iudicio confirmati aut opinione decepti fælicitatem totius inesse non iudicarent: cum ergo ita de ciuitatis fœlicitate loquuntur homines, vt de felicitate singulorum, argumẽto est quòd eadem sit tam ciuitatis quàm singulorum ciuiũ beatitudo, idem bonum ac finis. Præter has duas rationes aliæ adijci & adhiberi possunt à toto & partibus, à coniugatis, à simili. A toto & partibus, quia partes vnitæ sunt nihil aliud quàm totum: sed ciues sunt partes ciuitatis: ergo ciues collecti sunt ipsa ciuitas; quo posito sequitur quòd idem sit commune bonum vtriusq;, eadem beatitudo; nam aliter idẽ secum dissideret, hoc est totum à partibus & partes à toto, quod est instar monstri, in principio suę conseruationis id est in bono communi dissentirent. A coniugatis, quia quicquid boni vel mali vni coniugatorum conuenit, omnibus idem conuenit: sed ciuis & ciuitas sunt coniugata: ergo quicquid boni vel mali ciuitati conuenit, idẽ ciui etiã conueniet, quo dato nemo est qui non videret idem esse tam ciuis quàm ciuitatis bonum. A simili, quia vt est in corpore physico & naturali, ita est in politico & ciuili: sed in corpore physico & naturali (si vel partes inter se vel partes cũ toto in bono conseruationis discordent) pernicies sequitur; ita in corpore politico si ciues vel inter se vel à tota ciuitate in summo bono dissentiãt, si inquã ad idẽ bonũ hæc & illi nõ tendant, necesse est vt vtrumq; in summũ malũ incidat. Sed distinguendũ hîc est, quòd bonum duobus cõsideretur modis, vel secundũ essentiam (vt aiunt) in suis principijs, vel secundũ existentiã in circumstantijs, priore modo idem est vtriusq; bonum, posteriori verò non est; nam contractius bonum ciuis quã ciuitatis dicitur. Si alia tradatur distinctio rem totam ad vnguẽ tenes, nempè quòd bonum sit aliud specie, aliud numero, in illo non in hoc ciuitas & ciuis conueniunt, absurdũ enim est

Rationes aliæ annexæ.

Bonũ duplex. 1. Secundum essentiam. 2. Secundum existentiam.

vt idem numero in omnibus & singulis inesset bonum, vt ergo est eadem virtus non numero sed specie in cunctis ciuibus quæ est in tota ciuitate: ita eadem est horum vtriusque beatitudo specie non numero, quæ ex virtute nascitur. Hactenùs de quęstione in prima fronte capitis istius positâ, mouentur nunc aliæ duæ, vna, An vita theorica & solitaria sit magis expetenda quàm quæ in luce ciuitatis agitur? Altera, An ciuibus varijs modis affectis eadem esset forma & (vt loquitur Philosophus in textu) eadem dispositio ciuitatis? In primam vltrò citroq; disserit, at hic neutram certò definit, illud autem vt firmum & fixum omnium fundamentum ponit, nimirum beatissimam esse ciuitatem eam, ex cuius institutione vnusquisq; optimè agere, beatèque viuere conetur. Verùm quoniam virtus sit duplex, moris & mentis, vtrùm vita ex illius vel huius pręscripto melior sit, quęstio magna est: nam etsi vita hæc quæ est ab omnibus externis rebus segregata & soluta, eademq; solo Philosopho & sapiente digna videatur quidem à ciuitate aliena, est tamen ea in ciuitate valdè necessaria, nam quæ ciuitas rectè sine sapientis consilio dirigi aut gubernari potest? Prætereà cum vita actiua sit negotijs sollicita, milleq; casibus fortunæ subiecta, inimica quidem est mentis quieti, quâ proximè sapientes ad deum veniunt. At dices aduersùs nos quòd vita actiua sit quasi spiritibus plena, optimarum virtutum fructibus fæcunda; lux contemplationis & veluti ipsa per quam viuit anima; nam quid est cõtẽplatio sine actione, nisi quasi lucerna sine lumine, & flamma suppressa sine calore? Vmbram persequeris, nam contemplatio est diuinissima actio sapientis, est inquã contemplatio actio sapientis, eademq;, vt in proximo audies capite, ad administrationem ciuitatis apprimè necessaria. In secunda parte huius cap. (quod nunc sequitur) vulgaris opinio vitæ beatæ ponitur & refutatur, fuerunt enim & nunc sunt multi qui summum bonum ciuile in amplificando imperio ac dominatu posuerunt: hoc probat Philosophus exemplis Lacedęmoniorum, Cretensium, Scytharum, Persarũ, Thracum, aliarumq; nationum quæ ad bellum suos ciues ideo

Bonum idem specie in ciue & ciuitate non numero. Vide plura cap. 3.

Beatissima ciuitas ex cuius institutione vnusquisq; optimè agere, beateq; viuere conatur.

Virtus Moris, Mentis.

Qui summum bonum ciuile in amplificando imperio posuerunt.



ideo instruxerint ac cõposuerint, vt cum Nino finitimos inuaderent, suaq; confinia aliarum gentium damnis spolijsq; augerẽt & onerarent. Hinc apud quasdã nationes leges quædã institutæ fuerunt, quæ ad hanc bellicam virtutem populũ excitarent, quemadmodum ferunt Carthagine anulorum ornatũ ita quemq; capere vt plurimas militias tolerârit. Lex etiam erat apud Macedones, vt qui nullum hostem occidisset in foro ignominiosè cingeretur capistro. Apud Scythas autem ei, qui hostium neminem interfecisset, ex aureo scypho, qui circumferebatur in solemnibus illorum festis, bibere non licebat. Apud Hispanos (gentẽ bellicosam vt in textu ait Philosophus) mos erat tot numero verucula seu hastas figere circa sepulcrum, quot quisq; hostes interemerit. Similima his plurima olim Britanni (populus teste Cæsare ad martem natus) fecisse dicuntur, vt Alexandri multi Achillis clipeo, hastâ, sepulchro conspectis fierent; est enim in mortuorũ sepulchris ac imaginibus quædam (vt ita loquar) vitæ historia His positis exemplis quęrit Arist. iustum an iniustum sit bellũ finitimis inferre vt imperia & dominatus dilatẽtur? Iustũ quidem & legitimum esse negat, quippè in amplificãdis imperijs & mactandis finitimis non licet beatitudo ciuitatis: in illos ergo impetũ facere, ab illis imperium & dominatum rapere nõ solùm iniustum sed etiam ignominiosũ haberi debet, nisi quidem sint illi barbari & serui à natura, quibus vtile & iustũ est alieno imperio subesse ac inseruire. Licet enim homines ad iustitiã cogere, vt natura & euangelica cõuiuij parabola videntur confirmare: at liberos volentes iustã ac inuitos armis cogere, illorum ciuitates deuastare, depopulari agros, omnia deniq; eo solùm animo inuadere vt longè lateq; dominemur, iniquum est & ab intentione naturæ, iustitię, rationis ac legis penitùs alienum: quod sic ex Arist. paucis confirmo. Quæuis ciuitas in se satis beata esse debet: ergo sine iusta causa alienũ nõ inuaderet imperium: nam eo animo inuadere vt solũ auctior fiat dominatio est publicum quasi latrociniũ & homicidiũ profiteri; nõ est ergo iustũ, non est legitimum in finitimos vi & armis susceptum imperium.

Leges incitantes ad bellicam virtutẽ.

Quæstio 2.

Licet homines ad iustitiam cogere. Luc. 14.

Iustum & legitimum non est alienum imperium inuadere.

Alia ratio in textu hoc modo se habet. Quemadmodum est in alijs artibus & scientijs, ita est in ciuili facultate: sed in alijs ita se res habet vt neq; medicus vi cogat ægrum ad sanitatem, neq; Philosophus ignorantem ad sapientiæ studium, neq; nauis gubernator liberos ad suam artem: ergo nec iusti imperatores finitimos & vicinos impellerent ad suum ipsorũ amplificandum imperium; vis enim ista longè lateq; dominatrix nimis imperiosa est & vltrà quàm dici potest iniusta. Præterea in eo non consistit ciuilis beatitudo aut optima administrandæ reipub. ratio, quod est vel præter vel contra naturam: sed vi & armis finitimos inuadere eosq; herili ac tyrannico imperio subigere est quiddam violentum & contra naturam: non est ergo iustum, non est decorum vt fiat. Hoc tamen semper excipio nisi sint serui à natura aut immaniter barbari & insidiosi machinantes semper malum & perturbantes quietum & tranquillum statum ciuitatis; tales verò si sint, conandum quidem est vt ars arte deludatur, & clauus clauum pellat, stultum enim est ab armis abstinere cum hostis in tergo hęreat: sin minus, hoc est si non sint hostes sed in suis ipsorum sedibus quieti, ciues illos spoliare est ius naturæ violare, illorum fortunas imminuere est latrocinari, illos occidere est innocentium sanguinem effundere, nec non atrox homicidium perpetrare. Sic ergo principes in imperando facerent, quod venatores in venando, venamur enim non omnem feram, sed quæ est apta esui: ita illos finitimos solùm inuadere debemus qui sunt à natura serui. Porrò in eo non ponitur fœlicitas ciuilis aut modus gubernandi sine quo ipsa ciuitas beata esse potest: sed sine imperio in finitimos ciuitas beata esse potest, (cùm multę sint ciuitates quę finitimos non habent) sequitur ergo hunc modum alijs dominandi non esse laudabilẽ. Postremò si bellum gerere non sit per se bonum ciuitatis, nam (vt ait Cicero) suscipitur tantùm vt sine iniuria in pace viuatur, si inquam aut pro se defendendo, aut pro iniuriâ propulsandâ admitti hoc malum in ciuitatem debeat, quàm iniqui sunt æstimatores rerum qui in finitimis subigendis & in acquirendis nouis imperijs beatam

Seruos à natura & immaniter barbaros vi subigere licet.



beatam vitam statũq; ciuitatis ponunt? Legumlatores ergo non debent ad bellandum legibus prouocare ciues vt alijs dominentur, sed in hoc potiùs eorum officium situm est, scilicet mores hominum locorumque conditiones considerare, vt studiosi pacis & virtutis solùm in ciuitate viuant. His rationibus hoc vnum argumentum addo, ab euentis nimirum, quia periculosum est magnam multitudinem ad furorem & inuidiam irritare, quod sanè faciunt illi qui hastis & flammis vicinas ciuitates vastant: nam etsi homines forsan subactos suo iure teneant, angues tamen dentatos & caudatos in sinu se tenere putent: verùm si non vincant sed superati sunt, quòd fieri quidem potest (quis enim exitũ bellorum nouit?) actum est de ijs illico, & suis ipsorum gladijs transfossi & iugulati pereunt. Miserandũ est exemplum Turcici imperij, quod hoc modo ortum in immensum vt vides permissione diuina creuit, teneant ergo sua omnes, nam iustum non est, nec ergo tutum aliena possidere, ad tempus fortasse insidiosa aut violenta valere possunt inuenta hominum, sed absq; iustitiâ & æquitate prævalere non possunt diu, quippè vana & infirma sunt stratagemata ciuitatis quæ columnâ virtutis non fulciuntur.

Exitum bellorũ nemo nouit.

Vana sunt stratagemata ciuitatis sine virtute.

- Quæstiones duæ sunt in hoc Cap.
  - Prima, An idem sit bonum cuiusq; ac totius ciuitatis? quod affirmat Philosophus verum esse,
    - Si bonum secundum essentiam in principijs ac specie, non secundum existentiam in circumstantijs & numero consideretur, vt liquidò ex argumentis constat.
  - Secunda, An liceat inferre bellum finitimis vt amplius fiat imperium? hîc distinguit Philosophus de
    - Finitimis, qui sunt serui à naturâ, quos vi & armis coercere licet.
    - Finitimis, qui sũt liberi, quos percutere non licet, vt à nobis quinq; rationibus in suppositione probatur.

Distinctio.

Opp. *Docuit Arist. in primo Polit. aggregatam fœlicitatem esse summum bonum ciuitatis: sed in vno homine omnium bonorum accumulatio & affluentia esse non potest, vt in primo Ethicorum demonstrat: ergo eadem non est cuiusq; ac totius ciuitatis beatitudo.*

Resp. *In primo Politicorum de communi ac mixta ciuitatis formâ, hîc verò de optimâ disputauit Philosophus; in illa naturæ ac fortunæ requiruntur opes ac vires, sed in hac satis est si virtus sola viuat. Respondeo igitur eandem esse fælicitatem vtriusq3, si essentiam spectes: nam quamuis nemo mortalium omnium bonorum fortunæ, animi, corporis perpetuam affluentiam habeat, si tamen anchoram virtutis teneat, non minùs beatus (quàm qui est beatissimus) haberi debet.*

Opp. *Bonum cuiusq3 & totius ciuitatis est idem essentiâ & definitione: ergo est idem numero. Ratio probatur, quia idem numero distinguitur solùm in idem definitione, nomine, proprietate & accidente, vt est in primo libro Topicorum: si ergo bonum cuiusq3 hominis & totius ciuitatis sit idem essentiâ ac definitione, erit quoq3 idem numero, quod est absurdum, vt idem numero accidens sit in multis subiectis.*

Resp. *Eadem numero definitione dicuntur solùm definitum ac definitio, quæ idcirco numero eadem dicuntur, vt vnius essentiæ specificæ non induiduæ ad viuum explicetur, sunt enim definitio ac definitum res eadem & vna. Cum ergo dicimus hoc loco idem esse bonum vnius & omnium, intelligimus idem definitione ac essentiâ specificâ, non induiduâ vt aiunt.*

Opp. contra secundam quæstionem.

*Ninus rex ipse finitimis deuictis suũ auxit imperium, Cyrus idipsũ fecit; id quoq3 fecit magnus Alexander, imò Romani, Lacedæmonij, adeoq3 etiam Iudæi numinis oraculo sæpè consulto idipsum fecerunt: licet ergo bellum inferre finitimis solum vt augeatur imperium. Ratio ab inductione tenet.*

Resp. *Pauca exempla ambitionis vim legis ac veritatis non habent. De Israelitis verò (qui iussu domini terram promissionis inuaserunt) dico, quòd iustè quidem hoc fecerint, primùm quia Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo, at is hanc terram patribus promisit, eandemq3 promissam posteritati dedit. Præterea si Philosophum consulas, hoc bellum non fuit iniustum, quia incolæ & possessores eiusdem terræ fuerunt hostes Dei immaniterq3 barbari, seruiq3, à natura, quos (inquit Philosophus) non aliter ac feras persequi debemus.*

Psal. 24.

Opp.



Opp. *Augere & amplificare imperium est patriam illustriorem ac fortiorem reddere: hoc autem deuictis finitimis efficitur: ergo finitimos inuadere ac superare licet. Maior constat, quia amplificare imperium victorijs est signum fortitudinis, quæ robur & gloriam habet. Minor probatur, quia deuictis finitimis ciuium numerus augetur, & ipsa ciuitas armis & viris aucta formidolosior hosti externo redditur.*

Resp. *Augere imperium vi & armis est signum fortitudinis quam gloria sequitur, si iusta sit belli causa: sed finitimos inuadere & in alienas possessiones irruere vim quidem habet, at non iustam quam leges belli postulant.*

## CAP. III.

*Vtrùm optima vita ciuium magis theorica esset quàm practica, magisq3 in virtutibus mentis quàm moris poneretur?*

NE quæstiones superiùs motæ & adhuc omninò indiscussę scrupulos in animis lectorum parerent, hic quasi postliminio Arist. easdem resumit, resumptasq; acutè & sapienter soluit. Vides studiose lector hæc omnia apud Arist. optimè cohærere, nam primùm de fine quęrens optimæ ciuitatis, illam potiùs in internis quàm in externis bonis elucere docuit; in 2. eandem in singulis quę est in tota ciuitate vitam ac fælicitatem postulat; nunc verò qualis debeat esse hęc vita, theoricanè aut practica, in virtutibus mentis vel moris ponenda, directè ostendit. Sic medium, finem & fructũ cernis; medium virtus, finis beatitudo, fructus vitæ pietas & sanctimonia dicitur: ô ter beatam ciuitatem in qua hęc tria vigent! De optima ciuium vita differens Philosophus duas Philosophorum opiniones adfert, in altera vita actiua contemplatrici, in altera contemplatiua actiuæ præfertur. Qui primas partes contemplatrici deferũt eam diuinam, sanctam & solùm liberi hominis propriam esse aiunt,

Ciuitatis optimę Medium Finis, Fuctus.

aiunt, actiuam verò tantùm seruorum esse nec non curis, doloribus & negotijs plenam. Qui autem versa vice practicam & actiuam defendunt, hij contemplatiuam vitam otiosam appellant, eumq; beatũ esse non posse asserunt qui nihil agit. Sed error vtrinq; est, vt hic docet Arist. nam illi iniustè vitã actiuam accusant, quasi in ea omnes vt serui ac mancipia sub iugo herili viuerent, hij quoq; inconsideratè vitam contemplatiuam vt otiosam & cessatione torpentem condemnant, cum in ipsâ virtutum contemplatione diuinissima mentis actio insit, est enim imperium in liberos, quod verè ciuile est; est etiam imperium in seruos, quod tyrannicum & herile dicitur: in illo est beatitudo, si habeant in eo principes virtutem vt rectè agant, & iustam potẽtiam vt acta iustitiæ & decreta absoluãt; in hoc verò est miseriarum quasi styx & lacuna, in qua omnia scelerum tormenta, at nulla virtutis ornamenta viuunt. Quid enim est in herili imperio ac dominatu bonũ? quid sanctum? quid ab immanitate tutũ? rex pater suos subditos vt filios diligit, at tyrannus oppressor suos vt seruos & mancipia tractat: in regno est libertatis quædã æqualitas, est certus honoris ordo, at in herili imperio triumphat iniquitas & confusio omnium. Non est ergo optimum putãdum potestatẽ habere, & tibi imperiũ arripere, nisi id quoq; habeas quod maximè optandum est, nempe cæteris virtute præcellere ac prælucere. Non enim qui regunt bonis actionibus præstare dicuntur, nisi tantùm alijs antecellant, vt ait Arist. quantum vir fœminis, pater filijs, dominusq; seruis: qui enim aliter agunt non tantum regendo prosunt, quantum recedendo à virtute nocent. Ad vltimam iam partem huius capitis accedo, in qua Philosophus ex hac comparatione vtriusque vitæ, eam longissimè in optima ciuitate præfert, quæ in contemplatione animi secundùm virtutes mentis agitur, hinc quæstionem præfixam in fronte istius tractatus moueo, quã vt accuratiùs tractem à distinctione actionis, quæ est in textu, incipiendum puto: est ergo actio vitæ beatæ duplex, vel comparata ad alios, vel absoluta quæ in se finem id est contemplationem habet: non in illa sed in hac Philosophus supremam

Imperium duplex, ciuile tyrannicum.

Melius est alijs virtute præluceré quàm imperium in alios obtinere.

Quæstio. Actio vitæ beatæ duplex est, vel absoluta in se vel comparata ad alios.



premam fœlicitatem hominis & ciuitatis ponit. Si dicas hanc actionem ignauam & otiosam esse, respondet Arillo. quòd virtutis actio non sit ignaua: nam vt mens est forma hominis, ita virtus mentis vita ciuitatis; respectu ergo cessationis contemplatio actio est, quasi diceret Philosophus, contemplatio non est otiosa animi agitatio aut somniculosa ab agendo cessatio, vt quidam stultè volunt, sed est diuina quædam mentis operatio, quæ suum quasi genium & influẽtiam habet; ita tamen habet vt primariò neq; respectu materiæ in quam transit, neq; respectu operis quod producit fluens actio dicatur, sed immanens & perpetua intellectus in seipsum versio, excellentem & diuinum in se finem habẽs. Sine hac (inquit) mentis actione nullum opus hominis, nulla ciuitatis actio fœliciter succedit. Hoc ergo posito quòd optimus finis hominis & ciuitatis sit bona actio, cumq; bonæ actiones sint diuersę & distinctę specie, illa nobilissima iure dicetur per quam optimè operari dicimur: operari autem optimè dicimur cum secundùm mentem & virtutem intellectricem id est sapientiam viuimus; quippe propria hæc vita hominis est, & cum in omnibus requiritur, propria quoq; esset totius ciuitatis. Sed vt hęc præclarè ab Arist. discussa in puncta contraham, sequuturas rationes ad confirmationem quæstionis sumam, prima à signo, secunda à potentia, tertia ab obiecto, quarta ab authoritate, quinta à comparatione ducetur. A signo, quia probabile est vitam optimam in illis virtutibus maximè collocari à quibus omnia dicta operaq; recta cuiuslibet hominis ac ciuitatis summũ lumen & laudẽ habent: sed à virtutibus mentis omnia præclara dicta operaq; hominis & & ciuitatis summũ lumen & laudẽ habent: ergo in virtutibus mentis vita optima collocatur. Maior cõstat. Minor probatur, quia in omni opere, vt in architectura alijsq; operibus infimarũ artiũ, illi optimè agere dicuntur, qui maximè intelligentiâ & sapientiâ vigent. Qui ergo in æterna contẽplatione virtutum rerũq; diuinarũ sunt versati optimã vitã agunt, & quãuis res mortales in hac vita & ciuitate tractãtur, tamen si tractẽtur vt media nõ vt fines, si vt instrumẽta nõ vt extrema

Contemplatio est actio respectu cessationis quia non est otiosa cessatio sed diuina mẽtis operatio.

Confirmatur quæstio quinq; rationibus.

actionum

actionum proposita nihil refert, sic enim animus in suo circulo à puncto in punctum per media caduca vertitur. Secunda ratio à potentia deducta est, nempè quòd illa vita sit optima, quæ bonis optimæ potentiæ animi ornatur: sed intellectus est optima potentia animi: ergo vita, quæ mentis virtutibus ac bonis ornatur, est quidem optima. Minor constat, quia intellectus veluti in puppi rationis sedet, & vt gubernator nauis reliquis præscribit potentijs animi. Tertia ratio verum obiectum intellectus docet, quod est ipse deus (vt hîc ait Philosophus) argumentum formatur hoc modo. Vita optima in contemplatione nobilissimi & primi entis ponitur: sed ens primum & nobilissimum id est deum virtutibus mentis non moris intuemur: ergo vita optima potiùs in virtutibus mentis quàm moris ponitur. Maior hoc loco & etiam decimo libro Ethicorum patet, quibus locis si testimonium illud sacrum addas, res Philosophorum calculis non indigebit, nempe quòd hæc sit vita æterna vt te cognoscãt: cui veritati Augustinus assentitur, cum ait quòd visio dei sit tota merces vitæ: sed mentis virtute tantùm cognoscere deum & videre dicimur: ergo in illis vita optima manet, nam quę vita sine deo? Quæ ciuitas sine deo manet? Sapienter ille,

Iohannis 10. De ciuitate dei.

*Si desit pietas est vana scientia rerum,*
*Si desit pietas omnia cæca manent.*

Notemus obsecro hoc vnum ex Philosopho ethnico & gentili, quòd mentem & vitam cuiusq; in optima ciuitate ad deum inquam voluerit referri. Nam vt in ethicis ait & hîc insinuat, is solùm vitam humanam viuere dicitur qui secundùm mentem & sapientiam viuens diuinum numen & lumen sapit. Heu Christe bone tantanè in ethnicis fuit religio, & iam cælitùs inspirati atheismum patimur? Ratio ab authoritate Platonis est, qui olim dixit beatas fore respub. quas mente sapientes regerent: mente sapientes ait, quasi diceret in mentis sapientia tota vitæ beatæ lux & contemplatio ponitur, tota quies ciuitatis; melius ergo est secundũ Platonem mentis quàm voluntatis præscripto instituí vitam & administrari ciuitatem. Vltima ratio comparationem habet

Mens & vita cuiusq; in optima ciuitate ad deum referri debet.



bet, nimirum quòd illa vita (quâ facti sumus Deo simili) sit quidem nobilissima: sed vitâ secundum virtutes mentis institutâ facti sumus Deo simili: ergo vita secundùm virtutes mentis instituta est quidem optima. Minor probatur, quia propiùs non accedimus ad Deum re vllâ quàm sapientiâ mentis, quæ nihil aliud est quàm veluti radius diuini numinis humanæ menti communicatus; hinc traditur præceptum vt in hac vitâ theoricâ non desides, non otiosi simus, sed vt virtutibus mentis prælucẽtes alios consilio & sapientiâ, alios arte, scientiâ & intelligentiâ iuuemus. Sic inquit pulchrè, Deus ipse agit, cui non sunt externæ actiones; sic multò magis nos agere debemus, qui non nobis solùm sed alijs nati & creati sumus.

Nullâ re propiùs accedimus ad Deum quàm sapientiâ.

### Distinctio.

Vita contẽplatiua duplex,
- Absoluta, quæ est in solo Deo, qui seipsum essentialiter intelligendo Deum filium ab æterno genuit.
- Respecti ua, quæ est aut
  - In se reflexa, qualis debet esse ministrorum Dei.
  - In alios transfusa, & hæc probatur esse in optima ciuitate, vt in quinque discussis argumentis constat.

**Opp.** *Vita theorica est solitaria: ergo non est ciuilis. Antecedens & conclusio sunt Arist. primo Politicorum.*

**Resp.** *De vitâ contemplatiuâ in se reflexâ non de transfusâ in alios eo in loco agitur, illa quidem est solitaria, hæc verò per virtutes mentis alijs communicatur. Nam vt quies sedentis ad puppim est salus nauigantium: ita contemplatio sapientis est conseruatio ciuium.*

**Opp.** *Vita contemplatiua otiosa est, vt in textu dicitur: ergo non est ciuilis, quæ opus postulat.*

**Resp.** *Otiosa est respectu corporis non mentis, quæ perpetuò in seipsam vertitur. Nam vt qui impensè studet laborat ille quidem tametsi videatur otiari: ita contemplator rerum diuinarum non ludit, tametsi corpus ab onere & labore vacat.*

**Opp.** *Vita ciuilis potiùs in illis virtutibus consistit à quibus boni quàm in his à quibus solùm veri nominamur: sed à virtutibus mo-*

*ris non mentis boni dicimur: ergo in illis potiùs quàm in his vita ciuilis constat.*

Resp. *Quamuis obiectum virtutum moris sit bonum, obiectum autem virtutum mentis sit verum, hæ tamen scilicèt virtutes mentis si ad primam veritatem id est deum (vt hîc postulat Philosophus) referantur, non solùm nos veros & sapientes, sed etiam bonos & studiosos faciunt; nam vt pedissequæ suis dominis: ita virtutes moris virtutibus mentis ancillantur, verè enim sapiens non est qui inhonestè viuit.*

Opp. *Scire deum in vita ciuili non est satis nisi illum diligas: sed dilectio dei magis in virtutibus moris quàm mentis ponenda est: ergo vita ciuilis magis in virtutibus moris quàm mentis consistit. Minor probatur, quia dilectio dei est opus voluntatis in qua virtutes moris, non intellectus in quo virtutes mentis sedent.*

Resp. *Dilectio Dei Dei veram cognitionem vt effectus suam causam sequitur, qui ergo verè deum per contemplationem nouit, is deum propter seipsum diligit. Nam vt dominus seruo: ita intellectus voluntati, quid agendum, quid fugiendum sit, prascribit.*

Opp. *Odisse deum est longè detestabilius quàm ignorare deum: ergo diligere deum, quod est opus voluntatis, est longè melius quàm deum scire, quod est opus mentis. Ratio tenet à loco repugnantium.*

Resp. *Vera hæc sunt, & tamen hinc nihil absurdi sequitur, præsertim hoc posito quòd voluntas præscripto mentis obsequatur. Præterea hoc argumentum ab oppositis verè non trahitur, quia odisse & ignorare, diligere & scire non sunt opposita: nam idem Iudas potest odisse, & ignorare deum, idem Petrus potest deum scire & diligere: quod non fieret, si hæc inter se vt vera opposita repugnarent.*

Opp. *Vita in virtutibus moris posita vtilior est ciuitati quàm ea quæ virtutibus mentis perficitur: ergo est magis ciuilis. Antecedens probatur, quia vita illa est communius bonum: at quo communius bonum eò diuinius est vt docet Arist.* Lib. Top. 3.

Resp. *Negamus maiorem, nam vita illa non est vtilior si maiestatem ciuitatis spectes. Quippè vt gubernatoris opera in dirigendâ*



*nauc non cedit illorum operi qui laborant: ita hæc vita diuina, quæ ciuitatem dirigit, non minùs vtilis est reipublicæ quàm illa quæ tota in opere & negotio ponitur. Ad probationem ergo respondeo, quòd vita hæc sit communior, non tamen quoad boni essentiam melior.*

## CAP. IIII.

*Virùm magnitudo ciuitatis sit hominum numero vel potentiâ definienda?*

STATIS de fine quo allicimur, nunc de materia optimæ ciuitatis agitur. Qui vrbem condunt inprimis finem proponere, tum materiam & instrumentum parare, hinc de situ, de aere & denique de modo conseruandi agere ac considerare debent. Videsné hunc ordinem? Methodum quam hîc tenet Philosophus didicisti; nam finem proposuit, & materiam nunc tractat: de cæteris in suis locis disserit. Qui ciuitatem ex voto constitui velit, eum de suppellectile ac materia eiusdem diligenter secum considerare oportet: nam vt textori & fabricatori nauis, ita fundatori ciuitatis materiam appositam & opportunam adesse conuenit. Est autem materia ciuitatis duplex, hominum multitudo & ipsa regio, de prima in hoc, de secunda in altero disputatur capite. De prima hæc quæstio est instituta, An magnitudo ciuitatis sit hominum numero vel potentiâ ciuium definienda? Quidam numero ac multitudine habitantium non facultate ac potentiâ ciuium metiendam esse hanc ciuitatis magnitudinem voluerunt, contra quos hoc loco Aristoteles tribus aut quatuor argumentis certat. Primùm à notatione magni, secundò à comparatione aliarum rerum, tertiò à distinctione magnitudinis, postremò ab incommodis quę illorum opinionẽ sequuntur. A notatione magni, quia id propriè magnum

Methodus Philosophi.

Materia ciuitatis duplex.

Quæstio.

Argumenta Aristotelis quibus refellit errorem quorundam.

*ris non mentis boni dicimur: ergo in illis potiùs quàm in his vita ciuilis constat.*

Resp. *Quamuis obiectum virtutum moris sit bonum, obiectum autem virtutum mentis sit verum, hæ tamen scilicèt virtutes mentis si ad primam veritatem id est deum (vt hic postulat Philosophus) referantur, non solùm nos veros & sapientes, sed etiam bonos & studiosos faciunt; nam vt pedissequæ suis dominis: ita virtutes moris virtutibus mentis ancillantur, verè enim sapiens non est qui inhonestè viuit.*

Opp. *Scire deum in vita ciuili non est satis nisi illum diligas: sed dilectio dei magis in virtutibus moris quàm mentis ponenda est: ergo vita ciuilis magis in virtutibus moris quàm mentis consistit. Minor probatur, quia dilectio dei est opus voluntatis in qua virtutes moris, non intellectus in quo virtutes mentis sedent.*

Resp. *Dilectio Dei Dei veram cognitionem vt effectus suam causam sequitur, qui ergo verè deum per contemplationem nouit, is deum propter seipsum diligit. Nam vt dominus seruo: ita intellectus voluntati, quid agendum, quid fugiendum sit, prascribit.*

Opp. *Odisse deum est longè detestabilius quàm ignorare deum: ergo diligere deum, quod est opus voluntatis, est longè melius quàm deum scire, quod est opus mentis. Ratio tenet à loco repugnantium.*

Resp. *Vera hæc sunt, & tamen hinc nihil absurdi sequitur, præsertim hoc posito quòd voluntas præscripto mentis obsequatur. Præterea hoc argumentum ab oppositis verè non trahitur, quia odisse & ignorare, diligere & scire non sunt opposita: nam idem Iudas potest odisse, & ignorare deum, idem Petrus potest deum scire & diligere: quod non fieret, si hæc inter se vt vera opposita repugnarent.*

Opp. *Vita in virtutibus moris posita vtilior est ciuitati quàm ea quæ virtutibus mentis perficitur: ergo est magis ciuilis. Antecedens probatur, quia vita illa est communius bonum: at quo communius bonum eò diuinius est vt docet Arist.* Lib. Top. 3.

Resp. *Negamus maiorem, nam vita illa non est vtilior si maiestatem ciuitatis spectes. Quippè vt gubernatoris opera in dirigendâ nauc non cedit illorum operi qui laborant: ita hæc vita diuina, quæ ciuitatem dirigit, non minus vtilis est reipublicæ quàm illa quæ tota in opere & negotio ponitur. Ad probationem ergo respondeo, quòd vita hæc sit communior, non tamen quoad boni essentiam melior.*



## CAP. IIII.

*Vtrùm magnitudo ciuitatis sit hominum numero vel potentiâ definenda?*

SATIS de fine quo allicimur, nunc de materia optimæ ciuitatis agitur. Qui vrbem condunt inprimis finem proponere, tum materiam & instrumentum parare, hinc de situ, de aere & denique de modo conseruandi agere ac considerare debent. Videsné hunc ordinem? Methodum quam hîc tenet Philosophus didicisti; nam finem proposuit, & materiam nunc tractat: de cæteris in suis locis differit. Qui ciuitatem ex voto constitui velit, eum de suppellectile ac materia eiusdem diligenter secum considerare oportet: nam vt textori & fabricatori nauis, ita fundatori ciuitatis materiam appositam & opportunam adesse conuenit. Est autem materia ciuitatis duplex, hominum multitudo & ipsa regio, de prima in hoc, de secunda in altero disputatur capite. De prima hæc quæstio est instituta, An magnitudo ciuitatis sit hominum numero vel potentiâ ciuium definienda? Quidam numero ac multitudine habitantium non facultate ac potentiâ ciuium metiendam esse hanc ciuitatis magnitudinem voluerunt, contra quos hoc loco Aristoteles tribus aut quatuor argumentis certat. Primùm à notatione magni, secundò à comparatione aliarum rerum, tertiò à distinctione magnitudinis, postremò ab incommodis quę illorum opinionē sequuntur. A notatione magni, quia id propriè magnum

Methodus Philosophi.

Materia ciuitatis duplex.

Quæstio.

Argumenta Aristotelis quibus refellit errorem quorundam.

magnùm dicitur quod opus (ad quod destinatur) expeditè potest perficere; hoc autem in ciuitate non immensâ turbâ numeroque hominum, sed certâ & excellenti facultate ciuium definitur: non ergo à vastitate loci, non à ciuium numerosâ turbâ, non à multitudine rerum, sed ab egregiâ potentiâ & (vt ita loquar) sufficientia fœliciter ac fortunatè agendi magnitudo ciuitatis pendet. Nam quemadmodum in re militari non militum confertissima multitudo sed vis & ordo magnam victoriam præstat: ita in re ciuili non silua hominum sed optima dispositio & potentia ciuium magnam vrbem aut ciuitatem facit. Altera ratio à comparatione ducta suas vires in natura habet, nam sic inquit: Ciuitas magna dicitur, vt medicus ille Hippocrates magnus fuit: at Hippocrates non magnus vastitate corporis sed artis excellentiâ fuit: ergo ciuitas magna non numero sed potentiâ habenda erit. Deesse in hac re exempla non possunt, sic magnus Alexander, magnus Pompeius, sic magnus Cæsar fuit. Tertia à distinctione ratio sic se habet, quòd si velint magnitudinem ciuitatis multitudine definire, oportet primùm quænam sit ista multitudo quam velint ostendere. Nam multitudo est in ciuitate duplex, ciuium nimirum & eorum qui serui, inquilini & peregrini dicuntur: si illos solùm intelligant pauca numero non populosa erit ciuitas, sin verò hos periculosa est eorum opinio; quid enim funestiorem pestem ciuitati adfert quàm seruorum & peregrinorum in catalogum ciuium inconsiderata admissio? Quarta ratio absurditates & incommoda istius opinionis declarat: si enim turbâ ac multitudine ciuitatis materia aut magnitudo definiatur, magna futura est confusio, quod liquidò hinc constat, quia ciuitas ordine, ratione, lege regeretur: at cõferta & (vt ita loquar) infinita hominum caterua nec facilè in ordinem cogi, nec ratione coerceri, nec legibus sapienter dirigi & gubernari potest. Impedit enim rectam imperandi formam numerosa multitudo hominum, nisi diuina mens ac potentia esset, quæ ciuitatem & vrbem, vt Deus vbique subsistens terrarum orbem regeret: nimia ergo & exuperans multitudo ciuitatis materiam non

Magnitudo ciuitatis non à vastitate loci aut numero ciuium, sed à sufficientia agendi pendet.

Multitudo ciuitatis duplex, ciuium & seruorum.

Nihil ciuitati funestius quã seruorum & peregrinorum admissio.



non definit, imò leges violat, ordinem peruertit, dignitatem obscurat, contemnit magistratum, omnem perniciem ac confusionem parit. Verùm quoniam multitudo ad complendam ciuitatis magnitudinem requiritur, quanta & qualis esse debeat hæc magnitudo nunc docet Philosophus. Quandam (inquit) requiri magnitudinem numero completam, sed hoc addo vt neque excedat modum, neque deficiat nimiùm; iustam autem proportionem noueris, si egregiè præstare possit ciuitas id operis ad quod destinatur. Nam vt satis tum sanum corpus humanum dicitur, cum nulla vel totius vel partis actio impeditur: ita ciuitas satis tum magna habetur, cùm facilè suis officijs muneribusque fungitur. Sic enim fit in ciuitate vt in naturæ artisuè opere: nam vt animal, homo, planta respectu naturæ (ad proportionem perducentis omnia) si partes abundent aut deficiant dicuntur monstra; & vt nauigium palmi vnius longitudinis aut ad duorum stadiorum longitudinem porrectum omninò inutile & ineptum est nauigationi, aut quia nimis paruum aut quia nimis magnum existit: ita ciuitas quæ nullam symmetriam & proportionem suæ magnitudinis & paruitatis habet, habetur illa quidem aut vana aut nulla. Nam si sit nimis exigua omni euentu fortunæ deficit & labascit, si verò sit instar Babylonis immensa, præco (vt inquit Aristoteles) sonoram vocem Stentoris habere debet: nam aliter in publicandis edictis percipi & audiri non potest; quasi dicèret, si ciuitas sit nimis magna, confusa quoque erit. Concludit ergo ciuitatem tum esse satis magnam, cum tanta ex familijs & pagis in vnum locum affluxerit multitudo, quanta ad benè beateque viuendum sufficit, quæque suis bonis contenta est. At dices, si augeatur hic numerus maior aut maxima, si diminuatur minor aut minima dicetur ciuitas. Non ita est (vt hîc docet Philosophus) nam magnitudo semper ex factis & operibus eorum qui imperant & qui imperio parent perpendi & considerari debet: ratio est, quia in vasta & nimis magna ciuitate ciuium classes non sunt probè distinctæ, illorum ordines

Iusta magnitudo ciuitatis cognoscitur si præstare id possit ad quod destinatur.

Ciuitas nimis magna confusa est.

Ciuitas quando satis magna.

non sunt satis noti, imò quod est maximum, ciues ciuibus & illorum ordines magistratibus ignoti sunt: sed vbi ciues ciuibus ignoti sunt ibi necesse est munera ciuitatis minùs consideratè distribui, iudiciaq; minùs iustè & sapienter fieri, circa quæ duo aut negligenter agere, aut turpiter errare valdè periculosum est ciuitati: non ergo in populosa multitudine hominum, sed in iusta proportione ac potentiâ ciuium materia ciuitatis aut magnitudo cernitur.

### Distinctio.

Magnitudo ciuitatis cõsideratur bifariam,

- Primariò, & sic à sufficienti potentia ciuium pendet, vt probauimus argumentis à
  - Notatione,
  - Comparatione,
  - Distinctione,
  - Inductione absurditatum.
- Minùs primariò, & sic à multitudine pendet, in quâ vitari debent duo,
  - Excessus, ne nimis confusa.
  - Defectus, ne nimis infirma ciuitas fiat.

Opp. *Potentia agendi id omne ad quod ciuitas destinatur est forma ciuitatis ergo non est materia. Antecedens est Arist. vbi docet Philosophus copiam ac sufficientiam rerum omnium esse finem & formam ciuitatis.*

Potentia ciuium non est materia ciuitatis, sed in potentia potiùs quàm multitudine cõsistit.

Resp. *Non hîc docet Philosophus potentiam ciuium esse materiam ciuitatis, sed potiùs in potentia quàm multitudine eandem contineri, cum ciuitas magna ea sola dicitur quæ ad beatè viuendum sufficit, non quæ ex infinita aut exili multitudine coalescit.*

Opp. *Potentia est quædam ciuitatis qualitas: ergo in eâ illius mensura aut quantitas inesse non potest: magnitudo ergo ciuitatis quæ est illius mensura à numero potiùs quàm à potentiâ pendet.*

Resp. *Est quidem potentia quædam qualitas ciuitatis, magnitudinem tamen & mensuram hîc declarare dicitur, quia in illa vis tota ciuium (quæ sunt partes ciuitatis) cernitur. Materia enim à sua potentia suum motum & nomen habet.*

Opp. *Materia ciuitatis sunt domus & pagi, vt docet Philosophus primo Politicorum: ergo non est magnitudo, vt hîc definit.*

Resp. *Ratio non sequitur, quia ex domibus & pagis hæc magnitudo, de quâ hîc disputat Philosophus, constituitur.*

Opp.



Opp. *Mœnia & ædificia sunt materia ciuitatis: ergo magnitudo ciuium non est materia.*

Mœnia & ædificia sunt materia loci non ciuitatis.

Resp. *Hæc ratio infirma est, nam mœnia & ædificia metaphoricè, at ciuium magnitudo vera ciuitatis materia dicitur. Sunt enim mœnia & ædificia materia loci non ciuitatis, quæ à ciuibus non à mœnibus & ædificijs pendet.*

### Dubium.

An ciues à magistratu cognosci & distingui debeant?

Opp. *Fieri non potest vt infinitior numerus ciuium ab vno cognosci possit: ergo hoc requiri non debet à magistratu vt omnes ciues noscat.*

Resp. *Duæ rationes sunt in textu cur ciues à magistratu cognosci debeant, prima, quia hoc modo rectius iudicare potest, munera q;, & honores melius distribuere. Secunda ne serui & peregrini maximâ hominum coronâ & turbâ tanquam ciues lateant, & veluti flammas seditionis in præcordijs ciuitatis spargant. Respondeo igitur ad argumentum, quòd licet à magistratu vno omnes & singuli ciues cognosci non possint numero, specie tamen & ordine cognosci possunt, quod est ad hoc munus perficiendum satis.*

## CAP. V.

*An vna vrbs magna seu metropolis debeat esse in quauis regione eiusdemq; situs prope mare?*

REMOTA materia ciuitatis est regio, propinqua (vt aiunt) ciues, qui non à multitudine sed à potentia (vt est iam satis demonstratum) pendent. Regionis nomen nunc latiùs, nunc strictiùs sumitur; latiùs pro stadio & circuitu totius imperij suis cancellis & limitibus circumsepti, & sic Ptolomæus Germaniam regionem nominat; strictiùs pro definitis partibus sedibusque regni, & sic Camdenus nostrâs accipit, vbi id ait quod doctè & laborioſè tandem perfecerit. In singulis inquit

Regionis nomen sumitur latiùs pro circuitu imperij, strictiùs pro definitis partibus regni. Camdenus nostras laudatur.

In epist.

Angliæ regionibus qui sint limites, quæ terrę dotes, quę antiquioris memoriæ loca, qui duces, qui comites fuerint, paucis perstrinxi. Vtroque modo hoc nomen apud Philosophum mihi capi videtur, vt posteà (cum de eiusdem amænitate, copiâ, situ, influentiâ, magnitudine, alijsque rebus in ea necessarijs agitur) manifestè patebit. Breue est hoc de regione caput apud Aristotelem, sed longior paulò tractatio sequitur; omnium summa hæc est, quòd in regione sint spectanda tria, nimirùm, quantitas, qualitas & situs seu loci dispositio. In quantitate materiam & mensuram, in qualitate copiam & affluentiam rerum, in situ influentiam cœli aliaque tum ad amænitatem tum ad vtilitatem ciuium necessaria considerare oportet. Quantitatem non aliter quàm vrbis magnitudinem definit, eamque totam ad feracitatem & abundantiam omnium (quibus efficitur ciuitas beata) refert. Regio enim optima tum est consensu omnium quæ maximè copiosa & rerum omnium fœcunda sit, eáque magnitudine & bonitate, vt ciues possint ex eâ liberaliter & simul temperanter viuere: liberaliter inquam respectu aliorum, temperanter autem respectu sui. Qualitas regionis aut est aliundè recepta, aut à natura insita & infixa; recepta à Deo per influentiam cœli, de qua in proximo; insita vi suâ per dispositionem loci, de qua in hoc ipso capite disputatur; hæc montium, fluminum, syluarum, pastionum, aliarumque rerum omnium ad victum & cultum spectantium vbertate maximè commendatur: si enim vterus terræ sit horum fertilis, si sit ad benignam vim cœli concipiendam docilis, si sæpiùs fructus conceptos non aliter quàm mater suos filios pariat, regio quidem grata, regio amæna, regio qualitate beata & fortunata dicitur; quippe quæ qualitas loci est optabilior quàm quæ fœcunditatem rerum omnium (quibus ciues conseruantur) gignit? Situs de quo hìc agit Philosophus est aut regionis aut vrbis: regionis situs commodissimus habetur si ad bellum gerendum sit accommodatus, si hostibus aditu sit difficilis, si ipsis ciuibus ad educendum exercitum

In regione spectanda sunt tria, quãtitas, qualitas, situs.

Quãtitas sicut magnitudo.

Qualitas regionis duplex.

Situs regionis optimus.



citum sit facilis & expeditus, si denique sit oculis ita expositus vt neque hostis in illo lateat, neque subsidium naturæ aut artis desit. Primariæ vrbis (quam Freigius metropolim appellat) situs prope mare esse debet, sed primùm vtrùm talis vrbs esse debeat in regione, tum de eiusdem situ & loco dicemus. Si fusè nomen regionis sumatur, necesse est vt in ea vrbs vna cæteris illustrior & excellentior sit, ad quam tanquam ad vnum euportorium & theatrum honoris causâ tota regio fluat. Hæc vrbs (si fieri id potest commodè) totius regionis veluti cor & centrum esse debet, à quo reliquæ partes ac membra vitam & lumen habeant; si huius ornatum spectes augustissima, si mænia fortissima, si vtilitatem rerum omnium varietate refertissima, si ciuium numerum, ordinem, splendorem omnium populosissima, iustissima, magnificentissimaque esse debet. Sed vt succinctis hoc argumentis probem, à simili, à necessario, à contrarijs & ab antiquitatis exemplis breuiter sic disputo. Politica scientia (vt ait Aristoteles) imitatur naturam: sed natura in omni regione locum vnum eminentem fixit, eundemque maximè ornauit: ergo politica scientia vnam vrbem in quauis regione constitueret, eandemque ornamentis quàm queat maximis perpoliret. Minor huius syllogismi constat, quia in regione elementari ignem, in regione ethereâ cœlum sideribus ornatissimum tanquam vrbem diuorum fabricauit. De minore mundo nempe homine quid dicam? Cuius corporis regiones omnes ac partes ad vnam capitis sphæram referuntur, in qua tanquam in metropli animus vt princeps, vires animi vt vigilantes magistratus, sensus vt diligentes serui ac ministri sedent. Habet quidem natura vt suos carceres & sentinas, ita suos ordines & quasi classes ciuitatis, quæ quidem omnia ad vnum summum reducuntur. Vt natura ità necessitas metropolis institutionem probat. Nam vt inter ciues est vnus princeps: ita inter ciuitates vrbs vna esse debet principis maiestate & honore digna, sed ad principis maiestatem & honorem excelsa palatia,

Quæstionis pars prima.

Argumenta.

In homine animus est quasi princeps, vires animi tanquam magistratus, sensus velut serui.

honorifica tribunalia, altissimæ turres, munitissima castella, populi magna frequentia, aliaque pene infinita Corinthia opera requiruntur. Non capit Augustum Mantua, Roma capit. Immo absurdum est & penitus indecorum vt nobiles sub cespite & fumoso tigurio viuerent: locus enim vt homo suam maiestatem habet: vrbs ergo necessariò requiritur in quâ princeps, proceres, iudices, hisque obedientes ciues vnà viuant, & ad quam tanquam ad asylum iustitiæ reliquę omnes regionis partes vrgente necessitate veniant, quę si desit (vt argumentum à contrarijs inferam) nemo est qui confusionem & luem ciuitatis non videat, nam si vrbs talis sit lux, eiusdem ruina pernicies regionis erit. Postremò antiquitatis exempla in hac re non desunt, si Romam in Italiâ, si Lutetiam in Galliâ, si in Angliâ Londinum Troianum illud insigne palladium spectes: quid multis? In omni regione ac gente vnam primariam vrbem inuenies, in qua regia solis (vt ita loquar) splendet. Ierusalem (metropolin Iudeæ) Christus ipse salutauit, intrauit templum, elegit Syon, reges, pontifices, prophetas in illa approbauit. O vtinam Moyses & Aaron, Dauid & Samuel, Iosua & sacerdos, in omni non solùm metropoli sed etiam in omni vrbe & ciuitate viuerent; hoc est vt ciuilis administratio & religio vnà in omni loco & senatu discernerent causas & consultarent; vana enim & inanis est omnis humana de rebus consultatio si cum eâ non sit coniuncta religio. Accedo nunc demum ad situm vrbis, qui (vt verbo explicem) prope mare esse debet: infinitus hîc esset sermo si de immensis commodis ac beneficijs dicerem quæ vrbs prope mare sita AEolo & Neptuno accepta refert, eas solùm vtilitates hîc recensebo quas Aristoteles in calce huius & in fronte alterius capitis breuiter perstringit. Eę verò sunt duæ, nempe opportunitas expugnandi hostes, & facilitas exportandi & importandi merces, quibus addi possunt delectabilis viuendi ratio prope mare, & perennis fructuum veluti scaturigo quæ à mari in vrbem fluit. Hic enim situs lignea mœnia in portu aduersus hostem

Consultatio est inanis sine religione. Quæstionis pars secunda.

Vtilitates duæ vrbis prope mare sitæ.



stem habet, hic situs commune quasi forum orbis terrarum habet, hic situs amænitatem maris & fertilitatem telluris adfert, hic denique situs infinita bona ab exteris nationibus in vrbem vehit: est ergo vrbs hoc situ fortior, est excellentior, amænior est, est locupletior. Sed vetus est illud,

*Omnis commoditas sua fert incommoda secum.*

Ista maris propinquitas in vrbē suas pestes fundit, hinc enim ciuium externi mores, mercatorum fraudes, peregrinorum lues in vrbem fluit, hinc magnæ insidiæ hostis, vanæ pompæ & deliciæ ciuis, hinc sæpè contagio pestis in vrbis viscera & præcordia manat: nam quid aerem suffocat velociùs quàm spuma, fæx & contagio maris? Hæc ferè omnia in principio alterius capitis obijcit Philosophus, sed respondet aut prudentiâ legumlatorum, aut curâ magistratuum hęc omnia præueniri posse & euitari mala.

Incommoda quædam cauenda de quibus vide plura c. sequenti.

Distinctio.

In regione considerandæ sunt
- Magnitudo, quæ potiùs à potentia inhabitantium quàm à locorum vastitate pendet.
- Maiestas & Situs
  - Maiestas: Vrbis, quæ debet esse celebris in quauis regione.
  - Situs, qui prope mare esse debet, vt apertè docuimus.

Opp. *Ingens turba ac multitudo hominum in vnum collecta locum legum & magistratuum contemptum, magnamq; rerum confusionem gignit: sed in vrbe est ingens turba ac multitudo hominum in vnum collecta locum: ergo in vrbe est legum & magistratuum contemptus magnaq; rerum confusio. Quo dato melius est nullam metropolim aut vrbem in qualibet regione omninò adificare, quàm statum imperij confusæ multitudinis temeritati committere. Maior est Arist. in quarto capite, vbi docet populosam multitudinem regioni plus nocere quàm prodesse; nedum vrbi, in quam veluti in globum ingens multitudo cogitur. Minor est Arist. in hoc cap. vbi probat vrbem non solùm suis ciuibus sed etiam finitimis subsidio iri, quod sanè fieri non potest si ingens turba in vrbe non viueret.*

Ingens turba collecta contemptum parit & confusionem.

Resp. *Vrbs magna est quædam imago orbis: sed vt in orbe Deus*

honorifica tribunalia, altissimæ turres, munitissima castella, populi magna frequentia, aliaque pene infinita Corinthia opera requiruntur. Non capit Augustum Mantua, Roma capit. Immo absurdum est & penitus indecorum vt nobiles sub cespite & fumoso tigurio viuerent: locus enim vt homo suam maiestatem habet: vrbs ergo necessariò requiritur in quâ princeps, proceres, iudices, hisque obedientes ciues vnà viuant, & ad quam tanquam ad asylum iustitiæ reliquę omnes regionis partes vrgente necessitate veniant, quę si desit (vt argumentum à contrarijs inferam) nemo est qui confusionem & luem ciuitatis non videat, nam si vrbs talis sit lux, eiusdem ruina pernicies regionis erit. Postremò antiquitatis exempla in hac re non desunt, si Romam in Italiâ, si Lutetiam in Galliâ, si in Angliâ Londinum Troianum illud insigne palladium spectes: quid multis? In omni regione ac gente vnam primariam vrbem inuenies, in qua regia solis (vt ita loquar) splendet. Ierusalem (metropolin Iudeæ) Christus ipse salutauit, intrauit templum, elegit Syon, reges, pontifices, prophetas in illa approbauit. O vtinam Moyses & Aaron, Dauid & Samuel, Iosua & sacerdos, in omni non solùm metropoli sed etiam in omni vrbe & ciuitate viuerent; hoc est vt ciuilis administratio & religio vnà in omni loco & senatu discernerent causas & consultarent; vana enim & inanis est omnis humana de rebus consultatio si cum eâ non sit coniuncta religio. Accedo nunc demum ad situm vrbis, qui (vt verbo explicem) prope mare esse debet: infinitus hic esset sermo si de immensis commodis ac beneficijs dicerem quæ vrbs prope mare sita AEolo & Neptuno accepta refert, eas solùm vtilitates hîc recensebo quas Aristoteles in calce huius & in fronte alterius capitis breuiter perstringit. Eę verò sunt duæ, nempe opportunitas expugnandi hostes, & facilitas exportandi & importandi merces, quibus addi possunt delectabilis viuendi ratio prope mare, & perennis fructuum veluti scaturigo quæ à mari in vrbem fluit. Hic enim situs lignea mœnia in portu aduersus hostem

Consultatio est inanis sine religione. Quæstionis pars secunda.

Vtilitates duæ vrbis prope mare sitæ.



stem habet, hic situs commune quasi forum orbis terrarum habet, hic situs amænitatem maris & fertilitatem telluris adfert, hic denique situs infinita bona ab exteris nationibus in vrbem vehit: est ergo vrbs hoc situ fortior, est excellentior, amænior est, est locupletior. Sed vetus est illud,

*Omnis commoditas sua fert incommoda secum.*

Ista maris propinquitas in vrbē suas pestes fundit, hinc enim ciuium externi mores, mercatorum fraudes, peregrinorum lues in vrbem fluit, hinc magnæ insidiæ hostis, vanæ pompæ & deliciæ ciuis, hinc sæpè contagio pestis in vrbis viscera & præcordia manat: nam quid aerem suffocat velociùs quàm spuma, fæx & contagio maris? Hæc ferè omnia in principio alterius capitis obijcit Philosophus, sed respondet aut prudentiâ legumlatorum, aut curâ magistratuum hęc omnia præueniri posse & euitari mala.

Incommoda quædam cauenda de quibus vide plura c. sequenti.

Distinctio.

In regione considerandæ sunt
- Magnitudo, quæ potiùs à potentia inhabitantium quàm à locorum vastitate pendet.
- Maiestas & Vrbis, quæ debet esse celebris in quauis regione.
- Maiestas & Situs, qui prope mare esse debet, vt apertè docuimus.

Opp. *Ingens turba ac multitudo hominum in vnum collecta locum legum & magistratuum contemptum, magnamq; rerum confusionem gignit: sed in vrbe est ingens turba ac multitudo hominum in vnum collecta locum: ergo in vrbe est legum & magistratuum contemptus magnaq; rerum confusio. Quo dato melius est nullam metropolim aut vrbem in qualibet regione omninò ædificare, quàm statum imperij confusæ multitudinis temeritati committere. Maior est Arist. in quarto capite, vbi docet populosam multitudinem regioni plus nocere quàm prodesse; nedum vrbi, in quam veluti in globum ingens multitudo cogitur. Minor est Arist. in hoc cap. vbi probat vrbem non solùm suis ciuibus sed etiam finitimis subsidio iri, quod sanè fieri non potest si ingens turba in vrbe non viueret.*

Ingens turba collecta contemptum parit & confusionem.

Resp. *Vrbs magna est quædam imago orbis: sed vt in orbe Deus*

*& natura: ita in vrbe magistratus & prudentia omnem confusionem tollit. Respondeo igitur non esse in vrbe maiorem multitudinem quàm quæ sponte regi aut seueris legibus coerceri potest: vbi dicit Philosophus ingentem turbam hominum electionem magistratuum iudiciáq; ciuitatis confundere, intelligit immanem & barbaram multitudinem in quâ liberè non solùm liberi sed etiam serui & peregrini viuunt.*

Opp. *Vrbs magna nunquam fuit, quæ præcipiti multitudinis furore ac scelere conuulsa non tandem periit: ergo non est tutum vrbes magnas constituere. Antecedens probatur, quia gloria Romæ, Corinthi splendor, Carthaginis maiestas, Ierusalem magna & sancta ciuitas multitudinis insaniâ, superbiâ, seditione, impietate periit, cadauera & sepulchra aliarum vrbium, nobis hodie multitudinis stigitia & temeritatem loquuntur.*

Resp. *Hæc exempla optimè probant iustam vindictam sceleris, non malam institutionem vrbis. Nam quamuis Deus à fundamentis aliquando deleat multas ciuitates propter facinora quæ in illis fument, illarum tamen fundationem & rectam administrandi rationem vehementer probat. Etsi ergo fatear in exercitu ac legione hominum frequentius mala euenire, tamen (cum iste non sit finis condendæ vrbis vt in illâ nequitia sed vt iustitia viuat) causam hanc vrbis tollendæ satis efficacem esse non fateor.*

Opp. *Acuit hostes vrbs magna, pulchra & referta opibus: ergo condi & edificari non debet, ne sit quasi signum ac vexillum, quod hostem ad bellum & seditionem moueat.*

Resp. *Contrarium diceres, nam cum hostis vrbis potentiam senserit, mouere bellum penitùs formidabit.*

Opp. de situ vrbis.

Mala vrbis prope mare sitæ.

*Situs vrbis prope mare tria maxima mala in vrbem vehit, scilicet nauticam potentiam, peregrinos mores, morbos contagiosos, quales sunt pestis, lepra, quæ sæpè incolis circa mare contingunt: ergo situs istiusmodi vrbis non est probandus. Antecedens probatur, primùm de nautica potentia, quia probabile est illos arrepturos imperium quorum maxima multitudo & facultas est: sed maxima vis & multitudo in vrbe prope mare sitâ est eorum qui in mari negotiantur: ergo probabile est illos arrepturos imperiũ. De secundo quis*



*quis dubitat, cũ ad cõmune forũ & sedes vrbis sic sitæ peregrinorũ greges quotidiè permittantur? Tertium probo, quia ex facibus marinis putrefactis aer sæpè infícitur, & ex frequenti esu piscium iepra contrahitur; huc addo sterilitatem terræ quam salsedo maris efficit.*

Resp. *Ista omnia incommoda facilè bonis legibus præcaueri possunt, si enim in seditiosos & peregrinis moribus studentes seuerius animaduertatur, factionis & corruptionis cancer in præcordia ciuium facilè non irrepet. Præterea si littora verrantur sæpius, si canales & sentinæ vrbis purgẽtur, si faces diutiùs in continenti hærere non permittantur, si struantur rogi, si pulsentur campanæ, rarissima quidem continget infectio: at esus piscium (vt ais) generabit lepram, verũ est si caninus sit appetitus & perpetua eorum ingurgitatio, sed in vrbe copia ciborum & delicia viuunt. Quod dicas de sterilitate, nihil est, nam dulcis vapor maris refusus in terram eandem vberiorem reddit: nam quamuis eiusdem salsedo sterilitatem gignit, vbi est inundatio, tenuis tamen vapor qui solus à mari euocatur & in terram relabitur, potiùs granidam quàm effætam tellurem efficit.*

Legibus bonis facile præcauentur incommoda vrbis prope mare sitæ.

## CAP. VI.

*Vtrùm classis bellica & nauales copiæ sint in omni Metropoli necessariæ?*

*Vtrum peregrinatio sit vtilis?*

IN vestibulo huius Cap. obiectionibus quorundã de situ vrbis occurrit Philosophus. Dixerunt enim quidã communionem maris & nauigationis vsum magis nocere quàm prodesse vrbi. Causas duas huius rei tradunt, nempè mutationem morum, quã peregrinorũ confluxus; sitimq; immoderatam rerum, quam inanis hominum appetitus efficit: nam loquente experientiâ vrbes & villæ mari propinquæ ex commercio cum peregrinis facillimè nouos mores discunt, eędemq; ex multiplici commutatione rerum incredibilem cupiditatem diuitiarũ hauriunt:

De his incommodis vide cap. precedenti.

Noui mores ex commercio cum peregrinis facile discuntur.

riunt: sed quæ maior infectio ciuitatis esse potest quàm vt sepultâ virtute Pluti & Mammonis à ciuibus adorentur idola? Istis statim respondet Philosophus, sed primùm situs prope mare commoda (qualia sunt repulsa hostis, protectio vrbis, rerum commutatio, importandi necessaria & exportandi vsus) docet. Verùm quoniã hæc & alia argumenta in priori cap. (vt consentanea rei de quâ tum egimus attexuntur) satis nunc erit si à nobis dissoluantur paucis, ait ergo Aristoteles si ista incommoda (nimirùm innouationem morum, rerumq; immoderatam appetitionem) vrbi ex istiusmodi situ euentura magistratus timeant, possunt illi quidem hoc omen auertere si aut seueris legibus aduenarum licentiam comprimant, aut (quod multò melius est) si vrbem non longè, aliquantulum tamen à mari & portu distantem extruant. Si enim ex voto (inquit) vrbs sit condita, naualia & portus ita disponi & situ locari debent, vt neque idem oppidum occupent, neque admodum longè ac remotè distent: sic si quid fortè emolumenti eueniat, continuò & facilè in vrbem vehi, si quid mali ac detrimenti mænibus & propugnaculis interpositis clausisq; portis facilè euitari & repelli potest. Hactenùs de obiectionibus contra vrbis situm in textu habitis, nunc quæstionẽ de vsu huius situs ac dispositionis breuiter tractabo: quæstio hæc est, Vtrùm classis & nauales copiæ sint in omni metropoli necessariæ? Vrbs non solùm ad mercaturam & commutationem rerum: sed etiam ad artem bellicam & expugnationem hostium structa & cõstituta est: hinc Carthago præter portum excelsa sua mænia habuit, hinc Athenæ vrbs illa præter naues altissimis turribus aggeribusque superba fuit, Roma non caruit suo capitolio, neque vrbs vlla careret subsidio. Verùm cum hostes terrâq; mariq; sæpè obsideant & oppugnent vrbem, cũ dies noctesq; excubias faciant, vt in vrbis quasi costis & lateribus suas hastas figant, cum nunc in continenti hæreant, nunc per mare irruant & ingrassentur, prouidentiùs nihil est constitutum, sapientiùs nihil prouisum, quàm vt classes & nauales copiæ adsint, quæ instar nemorum contra vim

Ciuitas non longè, aliquantulum tamen à mari distare debet.

Quæstio.

Laus naualiũ copiarum.



vim hostis vrbem protegant & defendant. Nobiles isti muri ita Mineruæ vrbẽ aduersùs Lacedæmonios bellicosam gentẽ tutatæ sunt, vt donec exarserit intestina seditio, frequens tentantem frustra hostem secuta sit confusio. Gratulor hic tibi patria dulcissima, quæ portus amplissimos, quæ fortissimas classes, quę munitissimas arces & castra prope mare habes; parua es & tamen firma, parua es & tamen tuta, insula parua es & tamen inuicta, si Ionam ex naui, si Ionam ex vẽtre cęti prędicantẽ audias, hoc est si verbo dei de cœlo tonãte cum Niniuitis plangas, cum Paulo surgas, cum Petro lugeas, cum filio prodigo à porcinis quisquilijs luxus & otij ad pœnitentiam te totam vertas. Dextra Dei te præ cęteris nationibus diu seruauit, sis ergo grata; ala texit, sis ergo iusta; clypeus defendit, sis ergo pia; Christum oro & obsecro vt pereant omnes in te Catilinæ, qui tibi malè optant; confundantur, qui tui interitum & naufragium quærunt. Sed penè extra me positus limites elapsus erã, reuertar igitur ad classem & naualem potentiam vrbis; Philosophus sic loquitur, Classem & copias nauales vtilissimum est habere (certo nautarum numero definito) non solùm vt auxilium præstetur vicinis, sed etiam vt hostibus terrâ mariq; incutiatur metus: cito enim pede ad finitimos feruntur naues, quibus citò etiam ab vrbe depelluntur hostes. Cæterùm nauicularium numerus neq; in immensum augeri, neq; frequentiùs in vrbem venire debet, vt hîc docet Philosophus: nam illud toti imperio periculosũ, hoc moribus sedatis infestũ erit. Sunt enim nautici animosi homines, rarò bonis legibus, rarò emollitis moribus obsequentes; Neptunus enim ferox est & feros facit milites; quamuis ergo vrbi sint necessarij (in eo tamen quòd aliquantulùm â virtute & humanitate discedant) pro partibus eutopicę ciuitatis, quam nunc describimus, haberi non debent; hos verò alere & fouere oportet ciuitatem, ijsq; quasi sceptrum Neptuni marisque imperium polliceri: imperandi enim titulis & insignibus mirificè capiuntur milites, modò quoad victũ & cultum nihil desit necessarium, id verò si desit, furunt & sanè non sine causa. Nam quid magis

Athenæ dicebantur vrbs Mineruæ.

Gratulatio Angliæ.

Ionas.cap.3. Act.cap.9. Matth.26. Luc.15.

Numerus nauicularium non debet esse immensus nec frequentiùs in vrbem venire.

Nautici non sunt partes eutopicæ ciuitatis.

Nauticis maris imperiũ est concedendũ.

gis deplorandum eſt quàm vt miles pro ciuitate pugnans inediâ & frigore exhauſtus pereat? philoſophus probat hunc vſum claſſicæ & naualis potentiæ inductione multarum ciuitatum, nominatim verò Heracleotarum, qui multas triremes inſtructas & claſſes armatas in ſuis portubus habuerũt.

Sequitur nunc alia quæſtio, An peregrinatio ſit vtilis reipub.

Lib.7.cap.6. Tametſi Philoſophus hoc loco videtur quidem omnem peregrinationis vſum ciuibus negare, cum ait, Inutile omninò eſſe aliquos in alijs legibus educatos ac peregrinos in vrbe verſari. Quoniam verò (ſi penitiùs examinẽtur verba) in illis potiùs obiectio quàm vera opinio & ſententia ineſt, opportunè quidẽ contrarium inferimus, anſâq; hâc datâ & acceptâ, è re ciuitatis hîc eſſe defendimus vt ciues peregrinentur, patrijſq; ſedibus aliquandò euolent, aliaſq; gentes, terras ac nationes luſtrent. Quod autem hoc ipſum ſuaſerit Philoſophus, ipſius verba alibi declarant, vbi ſic loquitur: Itaque perſpicuum eſt ad legum ferendarum ſcientiam plurimum conducere terrarum peragrationem, in qua multarum gentium inſtituta, legeſq; licet agnoſcere: at verò in conſilijs publicis hiſtoriarum & antiquitatis cognitio mirificè vtilis eſt. Infer ſi placet, ergo vtilis eſt peregrinatio: ſine qua hæc bona nec rectè ſciri, nec facilè acquiri, nec probè & fæliciter tractari poſſunt. Verùm antequam longiùs abeam hoc nomẽ diſtinguo, quòd peregrinatio ſit, aut publica aut priuata: illa eſt legibus inſtituta & reſtricta, hęc libera priuatę vel vtilitatis, vel delectationis cauſâ ſuſcepta: illa publicã perſonã, publicũ negotiũ, inſtitutũ ac mãdatũ publicũ, publicũ & vtilẽ ciuitati finem ſeu bonum reſpicit: hęc verò qualibet de cauſa impetratâ veniâ in libera & immuni ciuitate fiat. Illa eſt peragratio, publicâ authoritate viro alicui ſpectato & ſolerti demãdata, quâ reipub. nomine ſed ſine imperio in alias nationes ac gẽtes vehitur, idq; aut mores & leges diſcẽdi, aut negotia publica tractãdi cauſâ: hęc deniq; eſt volũtaria multorũ locorum ac gentium fructuoſa & delectabilis luſtratio, in qua priuati ciues proprium ſuum vtile, iucundum, aut honeſtum, id eſt, opes, amœnitates, mores, & artes quærunt. Siue hanc



hanc, ſiue illam intelligas non refert: nam vtramq; apprimè vtilem eſſe in ciuitate probamus. De illa prima nemo ſanæ mentis dubitabit, cum ſine legatione, quæ eſt prima peregrinationis ſpecies, nulla omninò ciuitas, nulla reſpub. nullum imperium conſtet. Sed de illa præclarè & doctè Albericus Gentilis, ciuilis ſcientiæ doctor ſcripſit, ad quem, lectorem ſtudioſum (qui plura de legationibus ſcire deſiderat) referẽdum puto: ſolùm hoc loco argumenta quibus probatur eſſe vtilis & neceſſaria peregrinatio cudere & recenſere opertet, nec non eiuſdẽ leges præſcribere ac demonſtrare. Sunt ergo quidam limites huius quæſtionis & cõditiones peregrinantium, prima, vt nemo ſine venia publica aut priuata ſolum natiuũ deſerat, aliaſq; inuiſat nationes: ſecunda, vt nemo iuuenili ſolo impetu aut affectu peregrinetur: tertia vt patria, bonumq; ciuitatis ante peregrinantium oculos ponantur: Quarta, vt qui peregrinantur ſint ętate integri, ingenio maturi, viribus robuſti, vſu rerum experti: Quinta, vt ſibi proſpectum habeant, ne quid neceſſarium in toto itineris circuitu deficiat: ſexta, vt mores, leges, conſuetudines, ædificia, & arcana aliarum ciuitatum diligenter obſeruent: ſeptima, vt redeuntes in patriam rationem peregrinationis ſuæ publicè reddant, indè pro merito virtutis palmam & præmium ſuæ peregrinationis accepturi. Hęc omnia Plato (vt noſtras Mulcaſterus celebris ille optimorum ingeniorum cultor & formator doctiſſimè collegit) in libris de legibus ſapienter docet: nam peregrinationem aut ad commutationem rerum, aut ad religionem, aut ad ciuilem adminiſtrationem ciuitatis, aut ad iuuentutis inſtitutionem tanquàm ad ſcopos prę-cipuè referendam voluit. In prima claſſe mercatores, in ſecunda Philoſophos, in tertia legatos, in quarta morum ac legum oculatos obſeruatores collocat. Si hæ leges & fines peregrinandi ſedulò ac ſeriò obſeruentur, non eſt dubitandum, quin multum ſit è re ciuitatis vt ciues aliquandò peregrinentur. His verò neglectis dici poteſt illud; Cui peregrinatio dulcis eſt, amara patria; cui dulcis patria, amara peregrinatio; & iterùm, Quibus domi nihil boni vſui eſt,

Alber. Gen. de legationibus.

Lib.12.de leg. lib.de poſitionibus.

Auguſt. in Pſal. Plutar. de trip. Polit.

est, dulcis est peregrinatio. Hactenùs de legibus & finibus peregrinantium, nunc quòd sit vtilis ipsa peregrinatio concisis argumentis demonstremus. Nemo mortalium negat reipub. felicitatem in eo sitam esse, vt ciues sint à periculis tuti, moribus sancti, artibus exculti, prudentiâ ciuili vsuque rerum instructi, copiâ deniq; rerum externarum (quibus necessitati suæ medentur) abundantes & referti: sed sine peregrinatione nullum horum omnium commodè & fæliciter potest præstari: est ergo peregrinatio in ciuitate vtilis & fructuosa.

Generalis syllogismus causæ.

Hæc singula vt probem si vrgeas, sic à singulis argumentaberis. Ideò à periculis tutos & viribus potentes ciues esse optauit hoc loco Philosophus, vt difficulter inuadi & oppugnari ab alijs, alios verò facilè possint inuadere: est ergo peregrinatio necessaria, quà ciues exterorum consilia inuestigent, mores discant, & (si iure belli sint adoriendi) vires explorent. Sic olim peregrinati sunt permulti, ijdemq; aut spõte, vt nobiles Campani Romani; aut iussu, vt Aristo Carthaginem imperante Hãnibale, duoq; illi Hebręi in terram promissionis imperante Iosuâ: si ergo tam prophana quàm sacra exempla peregrinationem probent, absurdum est eandẽ si recusemus. Sed ad secundam rationem venio quam sic formo. Moribus sancti debent esse ciues: ergo necessarium est vt graues aliquandò viri morumq; censores & magistri alias nationes peragrent. Si enim Lycurgus eat peregrè, vt de moribus emendandis sui populi oraculum consulat, redeunti Lycurgo Spartani credent: hoc est, si sapientes alias vrbes & terras inuisant, faciliùs multò in patriam reuersi, contagionem morum (nouis adductis optimorum exemplis) tollent, suasq; ciues meliores reddent; hoc modo, suorum popularium mores Anacharsis correxisset in multas gẽtes peregrinando: hoc modo rex Scytharum peregrinando in Græciam suos barbaros expolijsset nisi vterque ob illustrem conatum à Scythis fuisset occisus. Tertia ratio vtilis peregrinationis à cultu ingenij, à multiplici rerum scientia pendet: incredibile enim est, quantam gloriam quantosque fructus bonarum literarum peregrinatio Philosophorum ac sapientum

Leg. Liuium dec. 3. l. 6. Liu. dec. 4. l. 4. Iosua cap. 2.

Herodot. l. 4.



entum hominũ antiquis rebusq; publicis attulerit. Vnde quæso Romani suum Ciceronem lumen eloquentię, vnde Athenienses suum Platonem sapientiæ sidus habuerunt? Nonnè à Græcia quam ille, nonnè ab AEgypto quam hic diuinus diu salutauit? Addo nunc quartum argumentum quo iustè laudetur peregrinatio, quia experientiam vsumq; rerum parit: quippè hoc modò solùm ingenia, mores, consilia, leges, consuetudines, ornamenta pacis, belli instrumenta, arcana rerumpub. aliaq; mille nota fiunt, quibus patria tutior, prudentior, beatior redditur. Ad hunc finem iussit Plato vt ciues peregrinentur, in hunc finem etiam Lycurgus teste Arist. in Cretam profectus est. Quid multis? in hunc finem permulti hodie terras & gentes obeunt: Nam aliter dic mihi qui possunt in pace, in bello, in foro, in portu cum exteris præclarè ad patriæ salutem agere, si cum exteris ad tempus versati, exterorum mores ac ritus, oculatiores quasi testes, non cernant, si eorum (quæ multis itineribus didicerunt) vsu & experientiâ prudentiores ciues non fiant? Postrema ratio à mercatorum portu peregrinationis laudem in forum ciuitatis vexit; nam vbi mercatores si non sit peregrinatio, vbi rerum necessariarum commutatio si non sit hinc indè mercatorum libera & iusta nauigatio, vbi denique splendor, vbi celsitudo, vbi lumen ciuitatis si cesset cum exteris gentibus negotiatio? Dic quæso, cur fuerit inuenta nauis, si nulla nauigatio, si peregrinatio nulla approbetur? Istis argumentis quinque alia possum (si verbis molestior non essem) pro vtilitate peregrinationis adijcere, nempè quòd peregrinatio sit oppressionis remedium, miserorum hospitium, conscientiæ asylum, fœderatarum ciuitatum vinculum, & veluti speculum mortaliũ qui nihil aliud quàm peregrinantium iter in hac vita agunt. Quòd sit oppressionis remedium, hinc liquidò constat, quia sub tyrannis oppressi ciues medicinam salubriorem non habent quàm fugam: nam vt ab angue, cane, & peste, ita à tyrannide, & oppressore fugere oportet. Quemadmodum ergo medicus suadet sæuiente peste vt citò, procul, tardè; ita politicus monet vt grassante Cæsare,

Diog. Laert. in Plat.

Plat. in sua repub. de legat. dial. 12.

Pol. 2. cap. 7.

Peregrinationis quintuplex vsus.

Cæsare, furente Clodio, Marcellus, Ligarius, Cicero ad tempus cedant, rebusq; desperatis sine vllo in patriam aut principem rebellandi animo trans mare volent. Quòd sit miserorum hospitium quis negat, cum vbiq; gentium tot peregrinantibus recipiẽdis hospitia liberaliter extructa, dotata, dicata videat? Aduenam (inquit dominus) non contristabis, neq; affliges eum, aduenę enim & ipsi fuistis in terra AEgypti. De asylo conscientiæ quid agam? Credo equidem pijs Christianis sub Persa miserrimè viuentibus licere, si possint, peregrinandi nomine & prætextu subterfugere, deumq; verum in terra sancta adorare. Hoc licuit Iudęis sub Pharaone oppressis, cur Christianis igitur non liceret? Saba peregrinata est vt audiret Salamonẽ, tres reges stellâ ducti vt viderent Christum: Sequitur, quòd peregrinatio sit fœderatarum ciuitatum vnio & quasi vinculum; hoc verò inde liquet, quia hæc ciuitatum conspiratio esse non potest sine honorificis legatis vltro citroq; missis: at in legatis maximè vsus peregrinationis ciuilis cernitur. Postremò speculum est mortalium in hac vita, quæ vita nihil aliud est quàm ipsa peregrinatio & transitus ad futuram, in qua bene peregrinantibus gloria, ignauis verò & tardis ignominia datur. Cõcludo igitur peregrinationem vtilem, imò necessariam esse ciuitati, & propter salutem ciuitatis, & propter sanctitatem ciuium, & propter ingeniorum cultum, & propter experientiam rerum, & deniq; propter necessitatem mercatorum, quibus causis addo illas quinq;, quas modò breuiter & dilucidè addidi & adumbraui.

Exod. 22.

## Distinctio primæ quæstionis.

*Vtrum classis bellica & nauales copiæ sint omni Metropoli necessariæ?*

Vsus classicæ & naualis pugnę probatur necessarius propter
- Perpetuam defensionem vrbis,
- Facilem expugnationem hostis,
- Conseruationem vicinæ gentis,
- Augmentationem honoris, qui à re nulla magis quàm à classe probè instructa pendet.

Opp.



Opp. *Nautica potentia audaciam, audacia temeritatem, temeritas seditionem, seditio deniq; tristia bella & euenta gignit: ergo nautica potentia tristia bella & euenta gignit. Primæ partes huius sortitis in textu probantur, quia nautici (vt docet Philosophus) vsu maris feroces facti omne legum morumq; iugum ceruicibus suis facilè excutiunt. Quo dato sequitur non esse vtile vt ab vrbe naualis exercitus aleretur.*

Resp. *Etsi nautici plerique sint quidem consuetudine vitæ feroci-* Ferocitas nau-
*ores, vt Martis agnoscas filios, cum tamen illorum ferocitas sit ne-* ticorum ne-
*cessaria, potiùs legibus & prudentiâ magistratuum est emolliẽda,* cessaria.
*quàm illius defectu extinguenda ciuitas. Præterea negamus nauticam potentiam ordine & ratione institutam audaciam, temeritatem aut seditionem gignere, imò affirmamus potiùs illam hæc mala ac monstra à ciuitate pellere & arcere.*

Opp. *Nautica potentia non est necessaria vrbi: ergo malè hoc loco eiusdem necessitas ponitur. Antecedens est expresse in textu, nam hæc sunt Arist. verba. Ingens hominum multitudo quæ versatur in negotio & instrumento nautico ciuitatibus necessaria non est.*

Resp. *Intelligit per ingentem illam hominum multitudinem quæ in mari versatur, nauticam turbam quam à catalogo numeroq; ciuium excludi voluit: non ergo sequitur hoc argumentum, nam quãuis non est necessarium vt nautici sint ciues, illorum tamen potentia & copia possunt existere necessaria.*

Opp. *Præfecti nauium antè ab Aristotele inter primarias partes annumerantur: ergo videtur contradicentia dicere cum iam idipsum neget.*

Resp. *Quidam respondent hoc loco non excludi à libertate ciuitatis præfectos classis, sed immanem turbam ac multitudinem nauticorum. Alij verò respondent illos non excludi à communi & mixta politia, sed ab optima ciuitatis forma, de qua hoc loco agitur. Vtrumuis responsum probabiliter adhiberi potest.*

Opp. *Nauicularij maximis periculis se reipublicæ causâ obijciunt: ergo indignum videtur illos à libertate ciuitatis nomineq; ciuis penitus excludere.*

Resp. *Fatendum quidem est eos qui in tumultuoso mari versantur grauissima vitæ & fortunarum discrimina subire, ratio tamen*

*non indè sequitur, quòd eâ de causâ maximis ciuitatis honoribus ac beneficijs fruerentur: nam sic iuxtà probari potest seruis à natura maximas vrbis dignitates deberi, quia illi quidem maximè laborant. Sed respondemus nauticis multa beneficia, multas immunitates ac priuilegia multa concedi debere, hoc tamen non permittit Philosophus, vt in senatum tanquam consules ac patricij viri permittantur.*

Nauticis priuilegia danda sunt, sed non sunt admittẽdi in senatum.

## Distinctio secundæ quæstionis.

*An Peregrinatio sit vtilis?*

Vtilem esse peregrinationem probant

- Salus ciuitatis, nam hoc modo tutior redditur.
- Sanctitas morum, nam alienis moribus legibusq; perspectis & meliores & cautiores efficiuntur ciues.
- Cultus artium, nam hoc modo augentur magisq; splendescunt scientiâ.
- Vsus rerum, qui peregrinatione maximè acquiritur.
- Necessitas mercatorum, quorum opera & peregrinatione suis defectibus medetur ciuitas.
- Oppressorum subsidium, quo euitatur furor.
- Miserorum hospitium, quo lenitur calamitas.
- Conscientiæ asylum, quo animus deo consecratur.
- Confœderatarum ciuitatum vinculum, fœdus & fides, quę legatorum operâ seruantur.
- Speculum mortalium, in quo qualis sit hæc vita in via ad aliam cernitur.

Opp. *Tria magna incommoda peregrinatio in ciuitatem vehit, nempè corruptionem morum, mutationem legum, contentionem ciuium propter nimium peregrinantium multitudinem: non est ergo peregrinatio vtilis reipub. Antecedens à Philosopho in fronte huius cap. innuitur. Ratio constat, quia his monstris in ciuitate conceptis & creatis, necesse est vt ciuitas lethale vulnus ferat, quippè corruptio morum perniciem, grande periculum legum mutatio, discordia ciuium interitum ciuitatis secum apportat.*

Resp. *Non ex peregrinatione ciuium, sed ex admissione, morâ & confusione peregrinorum hæc mala enasci & procudi docet Philosophus: non ergo peregrinationem vtilem esse negat: sed nimiam moram & multitudinem peregrinantium qui in vrbibus diu morati & veluti in sinum admissi ciuitatis mores sæpè inficiunt, nec non viribus*



*viribus auctis res magnas audacius tentant: caterùm hac nũquam aut saltèm rarò ciues nati & germani agere nitentur.*

Opp. *Vix tolerãter insanunt meo iudicio qui fertiles agros iure proprio possessos spinis ac vepribus tabescere & suffocari sinunt, vt alienos eosdemq; steriles & effœtos colant: videntur ergo peregrinãtes olcum ac operam perdere qui patriam quæ est gratissimum solum deserunt, vt alienas terras illis quidem non matres sed nouercas erraticè atq; spaciose peregrinando admirentur.*

Resp. *Similitudo non tenet: nam peregrinantes à nobis descripti patriam incultam non deserunt, alienas gentes ac ciuitates non ideò salutant vt easdem colant & admirentur, sed idcircò instituta est peregrinatio vt multis & magnis rerũp. arcanis sapienter notatis eiusdemq; peregrinantium opera veluti in tabula conscriptis respub. beatior & fortunatior fiat.*

Opp. *Fragilis & flexibilis est natura hominis, verendum ergo est ne peregrinantes præmijs aliarum nationum allecti capitale odium in patriam concipiant, eandemq; reuersi aut peregrinis moribus contagiosè inficiant, aut cum hoste diutiùs morati armis nefarijs seditiosè inuadant. Horum vtrumq; (si diuinis & sacris credamus) Ieroboã ex peregrinatione in Ægyptum contigit, nam tandem reuersus patriam suam tyrannide oppressit, populumq; ad vitulos Ægyptiorum Deos adorandos traxit.* 3. Reg. 12.

Resp. *Fatendum est flexibilem & quasi ceream esse naturam humanam eandemq; solis radijs verbisq; & minis citò principum liquescere, rarissimè verò ista affectuum procella in graues & prudentes viros (quos hìc solùm admittimus) cadit, si autem semel bis terue cadat vnius aut alterius scelus tam nobile bonum ciuitatis non perderet.*

Opp. *Alexander dum Persas non inuisit modò sed vicit, linguâ, cultu, mollitie, Persa non natus, sed factus est. Hannibal dum Capuam cepit, à Capuana captus in amore languet. Antonius pro Cleopatra oblitus est patriam, suamq; ipsius animam miserè effudit. Circes veneficia peregrinantes Vlyssis socios in porcos transformarunt; auscultãtes sibi Syrenes impulerunt in Syrtes, quid vultis? Et se & suos obliuiscuntur qui peregrinam Loton, vt est apud Homerum, gustant: peregrinatio ergo plus mali quàm boni ciuitati adfert.* (Cõgressus Homer in Odys.

*gressus enim sapientum confert prudentiam non montes aut maria, vt Erasmus ex Laertio probat.*

Resp. *Umbra hæc est argumenti & pondus idem cum superiore habet, nam quamuis aliqui in flore ætatis peregrinantes dulci veneno capiuntur, graues tamen & prudentes viri, vt modò diximus, vt Circes poculis syrenum cantilenis ab aureo vellere quod quærunt, rarissimè possunt auocari. Ratio est, qua vt in illis affectuum faces ardent propter ætatem: ita in his edomitis cupiditatibus senilis prudentia & prudens senectus viuit.*

Opp. *Famâ celebres & excellentes olim respub. seueris legibus omnem peregrinationis vsum sustulerunt: est ergo verisimile non esse necessariam reipub. vt hîc prætenditur.* Plutarch. *Antecedens constat, quia Lacones & Cretenses tam ad se omnem aditum legatis quàm à se omnem portum peregrinari volentibus intulerunt occludi ac prohiberi.*

Resp. *Insignes illæ respub. non funditus peregrinationis vsum sustulerunt (vt hîc tu ais) sed tumultuante hoste sapienter quidem portus ac portas suas occluserunt, ne ab ijsdem tanquam ab equis Troianis hostiles insidiæ & proditiones in vrbes reperent motumq; seditionis excitarent. Alij respondent historicam solùm non Philosophicam peregrinationem in illis ciuitatibus prohiberi. Historica peregrinatio est eorum qui varias vrbes perlustrant vt aliquid se vidisse præ cæteris gloriari possint; atq; hi cœlum non animũ mutant, hi solùm in itinere artem ac priuilegium portentose mentiendi acquirunt. Philosophica peregrinatio est eorum qui sapientiam aut experientiam sibi proponunt, hoc verò nulli negatur.*

Opp. *Marcus Tullius senator pene sexagenarius proconsul Siliciæ dehortatur Cælium Rufum à peregrinatione hoc modo. Vrbem mi Rufe cole, & in ista luce viue, omnis enim peregrinatio (quod ego ab adolescentia iudicaui) obscura & sordida est ijs quorum industria Romæ potest illustris esse, quod cum probè scirem vtinam in sententia permãsissem: videtur igitur M. Tullius ab adolescentia ad senectutẽ vsq; omnem peregrinationem obscuram & sordidam iudicasse.*

Resp. *Suadet Cælio Ædili tam Curruli vt vrbanos magistratus honoribus prouincialibus longè præponat, atq; ita quidem multò vtilius esse puto (quia in repub. multæ sunt prouinciæ) in ea prudentiam*



*am pleno de flumine haurire quã in prouincia paruos quasi riuulos peregrè degustare. Comparatè igitur non simpliciter de peregrinatione hîc loquitur orator; quod hinc constat, quia antequam munera publicè suscepisset vel ob ætatem capere potuisset, peregrinatus est ipse in Græciam vt augeret eloquentiam & prudentiam, quod quidem præclarè sub ea peregrinatione perfecit: nam Atticam facundiam ipsumq; quasi Palladium Græcæ sapientiæ in forum & Capitolium Romanum duxit, statuamq; æternam eloquentiæ diuinæ Palladi in senatu finxit & consecrauit.*

## CAP. VII.

*Vtrùm in temperatis regionibus ac climatibus mundi habitantes sint ad praxim politicæ scientiæ omnium docillimi?*

DE vrbis fine, materiâ, situ & mensurâ satis iam disputatũ est, nunc agẽdum est de qualitate, quam hic Philosophus partim in moribus ciuium, partim in viribus cœlestium corporum collocandã putat. Qualitas ciuitatis vel in moribus ciuium vel in viribus cœlestium corporum collocatur. Memini me anteà pauca de officio magistratuũ quoad climatum siderumq; rationẽ, motum ac influentiã disputasse, ibiq; docuisse ad eos pertinere plurimũ vt sciant sub quibus cœli partibus & aspectibus versantur. In hoc enim principes viri cuiusq; nationis philosophari debẽt, vt (mediocri scientiâ in descriptione mundi, in cõtemplatione cœli comparatâ) accuratiùs demũ intelligãt quibus rebus suos subditòs & ciues accomodent: nã plerumq; mores animi nõ solũ corporis tẽperaturam & affectũ, sed etiam influentiam & aspectũ cœli impressum sentiunt. Mores animi cæli influentiam sequuntur. Hinc qui sub altis & frigidis climatibus mundi nascuntur, hoinines cordati satis, sed minùs ingenioſi; qui verò sub imis & torridis partibus degunt, ingenioſi satis sed minùs cordati & audaces fiunt. Quæstio. Sequitur ergo illud quod maximè in quæst. vrget Arist. nimirùm (eos qui in tẽperatis ac medijs regionibus mundi versantur) esse quidem ad politiam natos, quippè vtriusq; tẽperaturę participes facti & fe- Qui in temperatis regionibus nati ad politiam apti sunt.

rocem inquit atq; animoſam & ſolertem atq; ingenioſã naturam habent;pro exemplis in textu ſunt Europa, quã frigidam & animoſam;Aſia,quam calidam & ſolertem;Greçorũ politia,quam mediam & vtriuſq; compotẽ eſſe definit Ariſt. Greços ergo ad praxin politicæ ſciẽtiæ hoc eſt ad prudentiã & animoſitatẽ docillimos eſſe hîc confidenter affirmat. Sed hęc meo iudicio generatim de climatibus & qualitatibus cæli ab Ariſt.dicuntur,nam ſtatim hęc verba addit, Eodẽ etiam modo inter ſe differunt Greçorum nationes,alię enim ingenio prędite ſunt mero ac ſimplici:alię ad vtrãq; vim benè tẽperatę.Quaſi diceret non ſunt tantũ totius mundi climata & ſpacia ſed variæ ſingularũ nationũ plagæ ac loca cõſiderãda, nã ſæpè euenit vt in vnius eiuſdemq; imperij ac nationis circulo multifariã populus tã in corporis q̃ in mentis dotibus afficiatur,exempli cauſâ;Borealis plaga noſtræ regionis robuſtiores corpore, auſtralis verò infirmiores gignit; qui autẽ in cẽtro ipſius regni viuunt mediũ quaſi inter hęc duo extrema tenẽt. Sed dices quarè boreas fortes & armatos,quare auſter molles & togatos facit?Reſpõdeo,quia boreas impenſè frigidus intùs corporis calorẽ pellit,& quia auſter impẽſe calidus internũ calorẽ plurimùm diſſoluit; cõceptus enim calor animoſitatẽ, euocatus debilitatẽ parit: hinc boreales ſtrenui & bellicoſi,hinc auſtrales infirmi ſed ingenioſi habẽtur.Quippè qualis eſt humorum in corpore partiũq; proportio, talis eſt in ipſo animo vis,motus & affectio;nã animus in hoc trũco corporis multũ ab externo aere,multùm à cœlo, multùm ab ipſa materiâ pendet:ratio eſt,quia omnia vt docet Philoſophus per ſenſuũ quaſi media & inſtrumenta ſapit. Vidit ſed per oculũ,audit ſed per aurem,tangit etiam ſed per manum, immo quod maius eſt intelligit & ratiocinatur ſed per phãtaſma & phantaſiã:magnã ergo vim habet loci, aeris,corporis cœliq; actio ſeu diſpoſitio, ſi mores populi & affectiones ſpectes. Quare qui rectè hęc à nobis diſputata animaduerterint,intelligent illi quidem praxim & opus politicę ſcientiæ non inepte ad Græcos eoſq; qui mediam totius mundi aut regionis alicuius plagam inhabitant referri. Nã attende,tria ſunt

Non tantùm climata totius mundi ſed variæ ſingularũ nationum plagæ conſiderandæ.

Boreas calorem intus pellendo fortes,Auſter verò calorem diſſoluendo debiles reddit.

Animus in hoc corpore per ſenſuum media & inſtrumenta ſapit.



ſunt quæ hoc efficiunt,optima conſtitutio corporis, ſaluberrima diſpoſitio aeris, benigniſſima influentia ſideris: in medijs enim climatibus ac regionibus mundi complexio hominum maximâ ex parte ſanguinem,aeris diſpoſitio proportionem ſanguinis,cœli aſpectus ſanguinis augmentum & conſeruationem reſpicit,ſed ſanguis eſt pabulum cordis, quo viuere; eſt vehiculũ mentis,quo ſapere & ſentire dicimur. Nãdum animus eſt actus corporis tam diu ſanguinis motu & pulſu agitatur, quo ergo purior eſt ſanguis eo ſubtilior eſt ſpiritus, quo ſpiritus ſubtilior eo mens ipſa diuinior & excellentior dicitur, non quòd animus non ſit immortalis, ſi abſolutè conſideretur, vt eſt ſpiritus, ſed quòd ab organis & humoribus dependeat,ſi comparetur ad corpus cuius forma & actus primus definitur.Huc tendunt hæc omnia quòd frigidę zonę & climata mũdi homines magnanimos ſed rigidos,quòd torridę ingenioſos ſed timidos & meticulоſos efficiant,qui verò medias partes & temperatas colunt,& martis & artis periti ad praxin politicæ docillimi aptiſſimiq; habeantur. Nam complexione corporis, diſpoſitione aeris, cœli conſtellatione ad prudẽtiam & magnanimitatem ſunt propẽſiores,at hæ duę virtutes homines inſigniter politicos reddunt,nam prudentia proſpicit futura,apprehẽdit media, dubia quæ occurrunt facilè diſſoluit, magnanimitate autẽ quæ ſunt prudenter incepta fęliciter perficiuntur omnia. Sed dices quomodo tum Greci & Romani qui ſub hoc aſpectu & zonâ viuunt ſua glorioſa amiſerunt imperia? Reſpõdeo figurã & aſpectum cœli ſolũ inclinare ad hoc opus, voluntatem autẽ perficere: ſed Greci & Romani naturę inclinatione fortes & ingenioſi,ſpõte ignaui & otioſi euaſerũt, ſuiſq; delicijs mãcipati perdiderunt imperia: Suadet ergo Ariſt. vt legumlatores & magiſtratus potiùs virtutis formam quàm figuram cæli contemplentur, vtq; ad eius nutum ciuium mores confingãt & inſtituant. Nam etſi Greços climatis temperies fortes & politicos,Aſianos autem eadem ſolertes timidoſq; fecit; conſuetudo tamen naturæ hunc curſum alterauit: plurimùm ergo viuendi & adminiſtrandi ratio à prudentia magiſtratus

Tria ſunt quæ efficiunt eos qui mediam plagam incolunt aptos ad politiam.

Animus abſolutè conſideratus vt ſpiritus eſt immortalis vt ad corpus comparatur ab organis & humoribus dependet.

Prudentia & magnanimitas politicos reddunt.

Formam virtutis potius quàm figuram cœli contemplari oportet.

Magistratus esse debent acri ingenio ad cogitandum, feroci animo ad audendum.

stratus pendet. Qui verò magistratus esse contendunt in ciuitate, & acri ad cogitandum ingenio, & feroci ad audendum animo esse debent, non tamen sicut Plato docuit nempè vt sint notis mites & agni, ignotis canes ac infesti; si enim vllus ardor animi in illis sæuiret, potiùs in notos si sint iniusti, quàm in ignotos si non sint iniurioſi, accendi & inflammari debet. Quippè notos vi quadam animi diligimus,

Ab amicis lædi & vulnerari graue.

ab illis ergo lædi, ab illis vulnerari vulnus immedicabile haberi solet: hinc Archilochus poeta ille Lacedæmonius de amicis querens, sic animum suum alloquitur,

*Nonne appetebant iugulum amici ipsi tuum?*

Præterea natura & experientia hoc docent esse verissimum, quòd notorum imò fratrum odia sint quidem maximè intoleranda. Quamuis ergo magnanimi, feri & asperi in neminẽ esse debeãt, (siquidẽ in illis nihil est laudabilius placabilitate atq; clementiâ) si tamen à nobis & amicis in eos contumelia fluat, in illos seueriùs quã in ignotos & peregrinos feruntur.

*Nam bella fratrum sæua, pugnæq; asperæ,*
*Qui valdè amârunt, odia gerunt acerrima.*

Et hæc quidem apparent in Abelo & Caino, in Iacobo & Esau, in Romulo & Remo, in Eteocle & Polynice fratribus & filijs Oedipi (nam ex sua ipsius matre viperas istas genuit) qui vt ferunt, sic viui se mutuò oderũt, vt mortui & in ignem positi seipsos flãmis diuiserint. Notos igitur & amicos maximè verò nobiles & primarios viros cauere oporret, nè ex amicis inimici facti se capitali odio prosequantur, nam Astiages Harpago, Atreus Thiesti sine cæde & sanguine conciliari nolunt.

## Distinctio.

In temperatis climatibus ac regionibus mundi habitãtes probantur esse optimi politici, quia in illis est

- Optima constitutio corporis,
- Saluberrima dispositio aeris,
- Benignissima influentia sideris,
- Maximè æqualis participatio vtriusque extremitatis, quæ omnia aciem animi plurimùm acuunt & ad prudẽtiam atq; magnanimitatem propensiorem reddunt.

Opp.



Opp. *Errauit Arist. de climatibus & regionibus mundi: ergo de illis rectè quoad ciuitatis vsum disputare non potuit. Antecedens probatur, quia ille neq; sub duobus arcticis circulis propter immanitatem frigoris, neq; sub torrida zona propter immanitatem caloris vllum populum habitare posse somniauit: sed Oceano iam perlustrato hoc falsum esse experientia docet.*

Resp. *Error hic non solùm Arist. sed Ptolomæi & omnium ferè astrologorum fuit, argumentum tamen hoc negatur: nam etsi loca singula non nouerit, eorum tamen qualitates ex generali contemplatione climatum optimè descripsit.*

Quamuis Aristoteles singula loca nõ nouerit: eorum tamen qualitates ex generali contẽplatione climatũ descripsit.

Opp. *Generalis ista cognitio de moribus hominum est nimis confusa: ergo non rectè traditur. Antecedens patet, quia ex hac generali regula certa in singulis regionibus morum non nascitur scientia.*

Resp. *Non requiritur certa scientia, satis est si sit probabilis coniectura: at talis ex hac generali cognitione iam assignatâ facilè colligitur, si partes singularum regionum secundum plagas mundi distribuantur.*

Opp. *In praxi politicæ scientiæ fortitudo requiritur: sed in frigidis nationibus magis fortes & animosi reperiuntur homines quàm in temperatis: ergo potiùs in frigidis quàm in temperatis regionibus nascuntur politici.*

Resp. *Ad praxim politicæ scientiæ non solùm fortitudo sed etiam prudentia requiritur: sed in temperatis regionibus habitantes vtriusq; virtutis compotes magis fiunt. Præterea negamus in frigidis nationibus magis fortes reperiri, nam in illis potiùs robur quàm fortitudo dicitur.*

Opp. *In calidis regionibus viuaciores, subtiliores & prudentiores reperiuntur homines, vt hîc fatetur Arist. ergo aptiores ad munera ciuitatis.*

Resp. *Quamuis prudentiores & subtiliores in calidis locis reperiantur, sunt tamen plerumq; imbecilles & meticuloſi: minus ergo apti ad ciuitatem quàm qui in medijs habitant.*

Opp. *Virtutes mentis sunt, non regionis, non cœli influentis: ergo inconsideratè contrarium hoc loco insinuatur.*

Resp. *Virtutes mentis sunt perfectè, regionis & cœli inchoatè:*

*in illa enim splendent, ab his tamen quodam modo fluunt. Nam vt imbres terram aptam ad fœcunditatem: ita benignæ cœli & regionis vires hominem propensum ea docilem ad virtutem capessendam reddunt.*

## Dubium.

*An iure seuerius in notos si peccent, quàm in ignotos animaduertere liceat?*

Opp. *Natura (vt hîc docet Arist.) amorem quendam erga notos genuit: ergo seueritas illa in notos non est iusta.*

Iniuria ab amicis illata duplicem pœnam meretur.

Resp. *Amare notos natura docuit si nullam iniuriam agant, cæterùm iniuria ab illis illata duplicem meretur pœnam, vnam, quia amicos fallunt, alteram quia lædunt: fallunt, quia aliud ab illorum amicis expectatur: lædunt, quia loco amicitiæ damnum infertur.*

## CAP. VIII.

*Vtrùm omnia (sine quibus constare non potest ciuitas) sint verè partes ciuitatis?*

Vide cap. 4. Hæc pars quatuor tractatus in se continet.

ALIA pars & sectio huius libri (in quâ de proxima materia & instrumentis ciuitatis agitur) ab hoc cap. octauo initium habet; remota materia regio est, proxima autem ipsorum ciuium varia multitudo. Hæc pars seu tractatio quatuor habet capita, in primo rerum necessariarum enumeratio, in secundo verarum partium vsus & distinctio, in tertio ipsi cultores & possessio, in postremo mœnium, fontiũ, aliorumq; operum (quę ad cõseruationẽ ciuitatis spectant) descriptio explicatur. Primũ in hoc cap. mouetur quęstio, Vtrũ omnia (sine quibus constare non potest ciuitas) sint verę partes ciuitatis? Negantem partem quæstionis hîc tenet Philosophus, eamque tribus argumentis probat, nimirùm à comparatione ciuitatis cum operibus naturæ, à notatione partium, & ab ipsarum inter se distinctione



stinctione respectu finis: primum argumentum sic se habet. Quemadmodum fit in effectis naturæ, ita in hijs ex quibus consistit ciuitas: sed multa sunt in illis necessaria quæ non sunt partes, vt cibus, potus, somnus animali: ergo multa sunt in ciuitate necessaria quæ non sunt partes ciuitatis, vt artificum instrumenta, serui, agri, pecuniæ & his multa similia: at sine his constare non potest ciuitas: ergo omnia (sine quibus ciuitas constare non potest) non sunt partes ciuitatis. Secundum argumentum à notatione partium sic est. Omnes partes aliquid commune habent cum toto in quo communicant: sed omnia quæ sunt necessaria in ciuitate non habent aliquid commune in quo communicant: ergo omnia necessaria ciuitati non sunt partes ciuitatis. Maior constat, quia omnes partes rei naturalis habent totius formam cõmunem, exempli causâ; partes animalis animam à qua suas vires, motum, & officia petunt: sed multa sunt necessaria ciuitati quæ in anima & forma (vt ita loquar) ciuitatis nihil commune habent, vt serui, opes, & instrumenta, quæ non sui, sed gratiâ sese vtentium in ciuitate adhibentur. Postrema ratio hoc modo formatur, Quæcunque in fine ciuitatis communicare non possunt, non sunt per se partes ciuitatis: sed multa sunt necessaria ciuitati quæ in fine eiusdem communicare non possunt: ergo multa sunt necessaria ciuitati quæ non sunt partes ciuitatis. Maior constat, quia omnes partes ad formam totius à qua motionem, & ad finem à quo perfectionem habent reducuntur. Minor probatur, quia serui aliaque multa de quibus modò diximus sunt quidem ciuitati necessaria, & tamen non communicant in ciuitatis fine. Sed finis (inquit Philosophus) ciuitatis est multiplex, nam alij sibi proponunt optimum virtutis vsum, vnde aristocratia & regnum; alij opes, vnde diuitum potentia; alij libertatem, vnde democratia seu status popularis nascitur. His iam decisis ac definitis sex valdè necessaria ad omnem ciuitatem paucis demonstrat, quæ nominatim sunt alimonia, artificia, arma, pecuniæ, sacra, iudicatio. Vndè colligitur quòd in vrbe necessariò requirantur agricolæ, artifices, milites, opulenti, sacerdotes

Sex necessaria ad omnem ciuitatem.

cerdotes & iudices, vt Sesostris rex AEgypti primusque author huius partitionis olim præclarè docuit. Cibi comparatio ad agricolas & pastores, instrumentorum confectio ad artifices, armorum vsus ad milites, diuitiarum suppeditatio ad locupletes, sacrorum procuratio ad sacerdotes solùm, iudicatio & ad tribunales iudices, & ad curiales senatores consultoresq; pertinet; nam cõsultare est de rebus honestis & vtilibus iudicare: hęc inquã omnia sunt adeo necessaria vt sine illis ciuitas nullo modo constare aut florere possit. Nam sine victu & alimento ciues non viuunt, sine instrumentis artes non exercentur, sine armis nec contumaces & seditiosi in ordinem coguntur, nec hostium impetus & iniuria propulsatur; sine vi pecunię nec splendor domesticus, nec decus vrbis, nec subsidiũ rei militaris quęritur; sine sacerdotio (quod in primo loco vt hîc docet Philosophus ponendum est) nulla religio, sine religione nullus Dei timor, sine timore Dei nulla iusta actio, nullus probè viuendi ordo in ciuitate manet: quid multis? Sine iudicio & Iudice tribunalia, leges, nec non ipsa iustitia silent, omniaq; malè succedunt & peruertuntur omnia.

Sepulue. in hoc cap. Consultare est de rebus honestis & vtilibus iudicare.

## Distinctio.

In hoc capite absoluuntur duo, scilicet

- Quæstio, in qua probatur quòd omnia necessaria ciuitati non sint partes ciuitatis, vt patet argumentis à
  - Comparatione animalis ac ciuitatis.
  - Notatione partium communicantium in totius forma.
  - Consideratione finis ad quem partes reducuntur.
- Enumeratio eorum quę sunt ad omnem ciuitatem necessaria, hæc autem sunt,
  - Alimonia,
  - Artificia,
  - Arma,
  - Opes,
  - Sacra,
  - Iudicia:

  quę ad
  - Agricolas
  - Artifices
  - Milites
  - Opulẽtos
  - Sacerdot.
  - Iudices & senatores

  spectãe.

Opp. *Quæcunq; sunt ita necessaria vt sine iis res esse non possit, sunt partes rei: ergo falsum est quod hîc docet Philosophus, nempe esse quædam necessaria sine quibus ciuitas esse non potest, cum tamen neutiquam sint partes ciuitatis. Antecedens probatur, quoniam quæcunq; sunt ad essentiam rei necessaria sunt solùm principia, vt alibi docet Aristoteles, sed principia rei sunt partes: ergo omnia quæ sunt necessaria ad essentiam ciuitatis sunt quoq; partes ciuitatis.*



Resp. *Non solùm esse essentiæ vt loquuntur, sed esse existentiæ hic intelligit Philosophus, quæcunq; ergo sunt necessaria ad essentiam ciuitatis sunt ipsa principia & partes, vt ciuium multitudo & ordo: sed quæcunq; sunt necessaria ad bene esse, hoc est ad existentiam completæ ciuitatis non sunt semper principia ac partes, vt serui, possessio, leges, aliaq; permulta quæ ab Arist recensentur.*

Sola principia & partes necessaria adesse alia verò ad bene esse.

Opp. *Instrumenta rei sunt partes: ergo male serui, pecuniæ & adificia (quæ sunt instrumenta ciuitatis) partes eiusdem esse negantur. Antecedens patet, quia vt manus & sensus dicuntur instrumenta & partes corporis: ita pecuniæ & serui sunt instrumenta & partes ciuitatis.*

Resp. *Non est similis ratio & proportio vtriusq; cum organa corporis in eiusdem formâ communicent, instrumenta vero vrbis in forma ciuitatis non communicent. Præterea affirmo instrumenta partes per accidens (vt aiunt) & metaphoricè, non autem per se & vi suâ dici.*

Opp. *Pecuniæ non sunt necessariæ ciuitati: ergo ex illa quæ recensuit Aristoteles non sunt necessaria. Antecedens probatur ratione & exemplo: ratione, quia pecuniarum nulla est satietas; exemplo, quia à Lycurgo omnis pecuniarum tollebatur vsus.*

Pol. 2. c. 7. Polib. hist. lib. 6.

Resp. *Pecunia non hîc sumitur solum pro impresso auro & argento, sed pro qualicunq; mensurâ & medio rerum commutandarum, at sine pecuniâ sic acceptâ ciuitas omnino esse non potest.*

Pecunia pro medio rerum commutandarum. Plat. 5. de leg. Pol. 1. c. 6. Plin. l. 33. ca. 3. Pol. 4 cap. 4. & 14.

Opp. *Principes sunt præferendi sacerdotibus: ergo male in textu sacerdotium cæteris omnibus præfertur. Antecedens constat, quia principes sunt ipsa animæ & oculi ciuitatis, imò (vt alibi docet Philosophus) sunt tota ciuitas.*

Resp. *Præferendi sunt principes rerum ciuilium iurisdictione, præferendi autem sacerdotes rerum diuinarum ordine; sunt enim principes summi magistratus ciuitatis, sunt sacerdotes legati Dei & primæ interpretes veritatis. Theodosius enim res vrbanas, at Ambrosius res sacras & Deo consecratas tractat.*

Principes sunt præferendi rerum ciuilium iurisdictione, sacerdotes rerum diuinarũ ordine.

CAP.

## CAP. IX.

*An sordidi artifices creari possint sacerdotes? Quâq; ætate sacerdotes sint initiandi?*

QVONIAM nihil in hac mea interpretatione Arist. aut otiosè prætermittere aut temerè præcipitare apud me proposui, ea quæ sunt in hoc ca. vel minùs necessaria, vel satis demũ per se perspicua non sunt negligentiùs omittenda; succinctiùs tamen & pressiùs hoc loco agã, ne ex mure leonẽ, ex colle montem fingam. Egit (vt vides) Philosophus de sex operibus necessarijs ciuitati: omnia quę sunt necessaria non ideo partes esse, quia sunt necessaria ostendit; nunc sex ista accuratiùs discutit, quędam ex illis partes esse, quædam partes non esse concludit, & vt verbo exponam singula, hæc summa est eorum quæ dicuntur. Primùm quærit Arist. vtrùm sex ista sint omnibus & singulis cõmunia? hoc est, an idem possit esse agricola, artifex, miles, diues, sacerdos, consul? In populari potentia seu democratia potest (inquit) sed in oligarchia optimoq; status reip. non potest; nam in illis distincta sunt munera ciuitatis, distincti ordines & classes ciuiũ. Hinc sequitur in textu quædam expositio partium, nempè quòd in optima ciuitate (de qua hîc solùm agitur) sint tantũ boni & iusti viri ciues, (nam in hoc statu idem est bonus vir ac bonus ciuis) agricolę ergo, artifices, mercatores propriè & per se huius administrandæ formæ nõ sunt partes: milites verò grauis armaturæ, iudices, sacerdotes verè partes dicuntur. Excluduntur tres illi, quia operi, arti, lucro intenti rariùs virtutem colunt, hij verò tres admittuntur quia fortes, iusti & religiosi virtutẽ maximè intuẽtur. At dices oblitus est sui Arist. nam paulò superiùs milites etiã à ciuium catalogo penitus expunxit. Erras, non omnes milites sed militum fæcem & turbam nauticam, quæ ferox est, à senatu & concilio vrbis excluſit. His positis tria illa postrema munera (quæ

Cap.8. Vide pol.4.c.4.

Idem potest esse agricola, artifex, miles, diues, sacerdos, consul in democratia, non in oligarchia & aristocratia.

Agricolę, artifices, mercatores propriè non sunt partes optimæ ciuitatis; milites, iudices, sacerdotes sunt.

Pol.3.cap.3. Cap.6.lib.7.



(quæ maximè ad ciues pertinent) nempe militum, iudicum & sacerdotum eisdem hominibus mandari posse affirmat, hoc tamen fieri debet diuersis ætatibus, prout hominum natura cõditioq; poscit. Iuuenibus enim officia militaria propter vires, semoribus tribunalia propter virtutes, maximis natu & quasi emeritis sacerdotia propter egregias animi dotes asciibi & concedi debent: sic ex milite aut iudice fieri potest sacerdos, sed ex artifice, agricolâ aut mercatore nullo modo; hinc quæstio est quam proposui, vtrum sordidi artifices creari possint sacerdotes, quâq; ætate sacerdotes sint inaugurandi? Verba Arist. hæc sunt. Reliquum est ex eis, quos suprà enumerauimus sacerdotum genus, atque horum quidem descriptio & ordinatio non obscura est. Nam neq; agricola, neq; illiberalis & sordidus artifex sacerdos instituendus est. A ciuibus enim deum coli decet: & paulò post, Decet (inquit) deo immortali cultum tribuere, & ætate grandibus tẽporisq; spatio defessis requiescẽdi licentiam dari, his videntur sacerdotia deferenda. Hinc colligo, quòd in consecratione sacerdotis secundùm Philosophũ consideranda sunt tria, nimirum, ordo, vita, ætas: ordo venerabilis, vita cęlestis, ætas grãdis & senilis esse debet; per ordinem omnes sutores, cauponarios, tabernarios, omnesq; illiberaliũ ac sordidatũ artium professores; per vitã omnes sicarios & sceleratos homines; per ætatem omnes pueros & perturbationum seruos à nomine sacerdotum excludi volumus; sed in hac re primùm rationem Aristo. in textu examinemus. Sordidus (inquit) artifex sacerdos instituendus non est, rationem addit, à ciuibus enim Deum coli & adorari decet: sed quid sibi velit hoc ipsum (enim)? Si formetur ratio, quomodo tandem sequitur? A ciuibus Deum coli adorari & decet: ergo sutor non debet sacerdos fieri. Rectè quidem sequitur, nam si à ciuibus Deum religiosè coli & adorari velis, sutores & cauponarios (qui religionem in contemptum trahunt) ab ordine sacro arcere debes; si ratiocinari ergo placet, sic syllogismũ confice. Vbi religio in cõtemptum trahitur, illic deus non ritè colitur: sed vbi sutores, sordidiq; artifices fiunt sacerdotes, ibi religio

in

Idem potest esse miles, iudex, sacerdos sed diuersis ætatibus.

Quæstio.

In consecratione sacerdotis considerandа sunt tria.

Ratio Arist. qua probat artificem non debere esse sacerdotem.

Sacerdos sacra dans Deo. Sacerdotis officium. Pat.de rep. lib.3.tit.4.

in contemptum trahitur: ergo vbi sutores sordidiq; artifices fiunt sacerdotes, ibi deus non ritè colitur: si ergo deum ritè coli & adorari velis, sutores & artifices ab ordinibus sacris exterminare debes. Præterea sacerdotis officium est munda deo sacrificia offerre, sapienter dei oracula & mysteria reserare, populum ipsam veritatem docere, ciuium animos virtutum præceptis & exemplis imbuere; sed quàm præclarè rudes & imperiti (vt nè quid grauius dicam) sutores hæc faciant, nemo est tam imprudens, qui non viderit: nemo est tam impius, qui tali commisso scelere non lugeret. Porro quorsum Athenæ, academiæ, collegia, gymnasia, loca sacra vbiq; condita & fundata fuerunt? Quorsum artes studiaq; sapientiæ in tanto honore semper extiterunt, si sapientibus viris relictis otiosi carnifices & fæces populi in vineam domini admittantur, qui aut tanquàm idola nihil loquuntur, aut tanquam monstra deprædantur in gregem? Deinceps quomodò res sacras honorificè vt decet, religiosè vt debent, possunt carbonarij aut bubulci tractare, qui nigris & illotis manibus res viles & sordidas modò tetigerunt? Isti potiùs ad pistrinum & haram quàm ad sacerdotium & aram nati sunt & constituti. Sed deus bone,

*Ordo sacerdotum fatuo turbatur ab omni,*
*Labitur & passim relligionis honos.*
*Non Numa presbyteros tales in templa sacrauit*
*Prisca, sed in cunctis integra vita fuit.*

Absit à meis dictis acerbitas, absit omnis contumelia, veniâ tamen datâ, quæ author addit, addam:

*Quis furor O miseri ad vos mystica sacra prophanos*
*Compellit? procul hinc tollite quæso manus.*

Sacerdotes indocti quid sunt.

Quid addam? Necesse est languere ciuitatem in qua tales sacerdotes viuunt: viuunt dixi? Imò viuunt, si viuere dicantur illi qui nomen mortis gerunt. Sunt enim plantæ sed sine vita, fontes sed sine aqua, stellæ sed sine luce, bullæ & vndæ maris quæ omni flatu in syrtes rapiuntur; gregem enim pascere non possunt, nam carent cibo; docere non possunt, nam carent arte: tales ergo (etsi ambitiosè petant) ad



ad sacerdotium in Eutopiâ & beata ciuitate admitti non debent. Quid multis? Obeamus terras & gentes, nulla profectò inueniemus exempla, nulla instituta maiorum, nulla sacræ aut humanę Philosophię edicta, quibus innixi istã absurditatem Gryllos ad sacros ordines admittendi defendamus. Romani & omnes apud sæculum prius gestes, suos augures, aruspices, flamines, coniectores, sacerdotes viros graues, pios, doctos, sapientes habuerunt. Quid? An ethnici in sua superstitione tam cauti, nos christiani in vera religione tam incauti & negligentes sumus? Res leuis non est, non est lana caprina de quâ nunc agimus: necesse est vt oues pereant, si pastores in lupos, mulos, aut asinos transformentur; hoc est si sordidi artifices Simone olim Mago, iam magno patrono per fenestram & non per ostium in ouile Christi irruant & ingrassentur. Remedium huius rei est præceptu facile (ô vtinam factu non esset difficilimum) si vocatio, probatio, institutio & consecratio obseruentur: à deo enim vocari debẽt, probari debent vocati, probati verò piè institui & cõsecrari debent sacerdotes. Sed quâ ætate fortasse ais? Respõdeo ex Arist. cum sint ætate grandiores, hoc est cum affectuũ turbine sedato iustitiâ, prudentiâ, pietate & sibi & alijs viuere ac lucere possint: nam si Philosophus iuuenes non esse idoneos auditores moralis Philosophiæ docuerit, quanto melius nos pueros non esse aptos professores diuinæ philosophiæ tandem opinemur? Sed

Fenestell. l. r.

Simonia. Remedium huius mali in sacerdotio. Sacerdotes vocati, probati, instituti, consecrati. Pars secunda quæstionis. Ætate grandes tantum debent esse sacerdotes. Eth. l. r. cap. 3. Sebastianus Brant fol. 152.

*En statum multi modo Spiritalem*
*Appetunt primis iuuenes ab annis:*
*Panitet tandem fatuos relicto*
*viuere mundo.*

Nam cruda hæc ætas penè nullam aut saltem languidam concoctionem virtutum habet; quippe tametsi in ea ebulliscit sanguis, efferuescunt spiritus, tota natura in ea viget: prudentia tamen consilium, deuotio, iustitia, pietas, sapientia, omnesque penè virtutes frigent: Iuuenes ergo non sunt (præsertim si in illis fomites affectuum ardeant) ad tam sacrum officium admittendi.

Distinctio.

Exponuntur hic duo,

- Partes optimæ ciuitatis, quæ sunt aut
  - Per se, vt milites, iudices & sacerdotes, quia fortes, iusti, pij habentur.
  - Per accidens, vt agricolæ, artifices, mercatores, quia operi, arti, lucro magis quàm virtutis studio
- Quæstio, An artifices possint esse sacerdotes? negat Arist. rationes sunt, quia
  - Ciues offendunt, (sunt intenti.
  - Deum & religionem in contemptum trahunt,
  - Docere non possunt,
  - Meliores seipsis à locis dignitatis impediunt,
  - Ipsi carentes cibo & vellus & ouem deuorant.

Pol 4.cap.4. Opp. *Agricolæ, artifices & mercatores sæpè in alijs libris probantur esse partes ciuitatis: ergo malè hîc negantur.*

Illi soli ciues qui præ virtute res alias omnes aspernantur.

Resp *Verum est in eo statu ac constitutione reipu. in qua vir bonus à bono ciue differt, veruntamen in hac forma illi solum habentur ciues qui præ virtute res alias omnes aspernantur: at maximâ ex parte tales non sunt agricolæ, artifices & mercatores, qui. bouem, malleum, & argentum quærunt.*

Pol.1.cap.5. Opp. *Pastores qui hîc sub nomine agricolarum continentur, aptiores sunt ad contemplatiuam quàm actiuam vitam, vt antè docuit ipse Philosophus: ergo non minùs quàm milites partes huius ciuitatis dicerẽtur, in qua speculatio virtutis rebus omnibus præfertur.*

Resp. *Etsi pastoralis vita aptior sit ad contemplationem quàm actionem, si rectè constituatur; rarissimè tamen reperiuntur in agris Tyteri, qui inter vellera Mineruam colunt, immo audaces Coridones sæpissimè (vt olim Pan cum ipso Apolline) decertabunt. Ratio est, quia otium corporis cum studio mentis non coniungunt. Respondeo ergo illos minùs esse partes beatæ ciuitatis quàm milites, quia hi actu fortes, illi corpore & animo otiosi existunt. Præterea abiectum est seruare oues, at honorificum seruare ciues.*

Opp. contra quæst.

Opp. *Sapientes viri possunt creari sacerdotes: sed quidam artifices possunt esse sapientes viri: ergo quidam artifices creari possunt sacerdotes. Maior constat, cum sapientia sit prima omnium virtutum*



*tum quæ ad theoricam vitam requiruntur. Minor patet exemplo Apellis & Polycleti & aliorum, qui licet essent artifices, sapientes à Philosopho dicebantur.* Eth.6.cap.6.

Resp. *Sapientia sumitur duobus modis, aut pro excellentia hominis in quauis arte, & sic Apelles, Polycletus, aliiq; insignes artifices sapientes viri nominantur: aut pro excellentia vitæ secundum mentem & rationem ad summum verum & bonum destinatâ, & sic artifices indigni sunt sacerdotum nomine, indigni ordine & officio.* Sapientia dupliciter sumitur.

Opp. *Christus piscatores alioq; artifices homines penitus illiteratos in hunc ordinem & officium elegit: ergo licitum est sutores, cauponarios, tonsores, & alios id genus homines (si Christum imitemur) sacerdotes ac ministros constituere.* Mat.4.

Resp. *Christus Deus & homo egena elementa huius mundi quidem elegit, sed attende, miraculosè eisdem diuersas linguas omnemque scientiam ac sapientiam dedit: inspirata tum fuit diuinitus scientia, vt miraculis adhuc insans ecclesia cresceret: at nunc qui se à cœlo inspiratos somniant, quiq; in vallum suorum phantasmatum impulsi vias & media sciendi spernunt, hi (inquam) & se & alios plurimùm decipiunt.* Act.2.

## CAP. X.

*Vtrum agri cultores in beata ciuitate debeant esse barbari & serui à natura?*

DIstributionem illam modò allatam ciuitatis per sua genera AEgyptiorum, Cretensium & Italorum exemplis atque testimonijs copiosiùs hic enuclare contendit Arist. Sesostris (inquit) rex ille Aegypti (omniũ antiquissimę nationis) primus omnium multitudinem ciuilem in hæc genera diuisit. Minos rex Cretæ & ante hunc Italus (à qua Italia suum nomen traxit) concę- nationes & sodalitia instituerunt, sed Italorum syssitia & publica conuiuia longè antiquiora fuerunt. Ferunt Plat.in Tim. Diod.Sic.lib.1 cap.8. Herod.lib.2. Pol.2.cap.8.

enim Italum regem fuiſſe Oenotriæ, à quo poſteà Itali dicti ſunt priùs Oenotrij appellati: ab hoc Italo littus illud totum Europæ, quod intra Scyllaticum & Lameticum ſinum eſt, nomen Italiæ cepit. Idem hic Italus Oenotrios, qui antea paſtores & nomades erant, agricolas fecit, interque multas præclaras leges hanc vnam ſanxit, vt ad ſubleuandam pauperum inopiam, ad honorem ciuitatis amplificandum, ad conciliandam amicitiam inter ciues, conuiuia ſtatis anni tẽporibus ſolemniter ac publicè haberentur. Hanc legem Auſonij & Chaones (quorum illi Thyrrheniam, hij Iapygium verſùs habitarunt) religioſè obſeruaſſe dicuntur. Sed de hac re plura apud Ptolomæum, Plinium & Strabonem lege; feſtinemus nunc ergo ad ea quæ ſequuntur. Poſt hiſtoricã iſtã diuiſionis probationẽ quatuor hypotheſes infert Ariſt. quarũ prima eſt quòd neceſſitas res vtiles, abundantia autem & fæcunditas res ſplendidas & ornatas in ciuitatem vexerit; ſecunda quòd in repub. probè conſtitutà omnia non debeant eſſe communia, vt cenſuit Plato; eorũ tamen vſus ſic eſſet vi amicitiæ & liberalitatis communis, vt nemo in ciuitate mẽdicaret; tertia quòd ad conuiuia muneraq; publica tam pauperes quã diuites accederent, illis tamẽ in ſumptibus parceretur; vltima eſt ſed maxima quòd ad omnes & ſingulos ſacrarũ rerũ procuratio ſpectet, ſummi enim, medij ac infimi deo primitias conſecrarent. In prima ipſa ſubſiſtentia ciuitatis, in ſecunda rerum ciuilium vſus, in tertia ornatus, in poſtrema finis ciuitatis cernitur: quippe duæ illæ primæ ipſum eſſe (vt aiunt) duæ vltimæ bene eſſe nobis proponunt. Res enim neceſſarias habere debet ciuitas vt illis vtatur, vti debet vt recreetur aliquando, ſed ita recreari debet, vt in perpetuũ deus & religio ante ciuium oculos in omni actione & opere ponantur; deus & religio (inquã,) quia ſi hęc deſint, ſeges erit vbi Troia fuit, hoc eſt Babel & confuſio nimis ſuperba & excelſa cadet. Verùm vt hæc quatuor fiant cõmodiùs, facienda eſt (inquit Philoſophus) regionis diuiſio: diuiditur autem regio in duas partes, nempe in publicam & priuatam: publica rurſus diſtribuenda eſt, nempe vt vna pars eademque præcipua

Hypotheſes quatuor.

Vide pol. 2. c. 3. Pol 2. cap. 8.

Religionis neceſſitas.

Diuiſio regionis in duas partes.



cipua diuino cultui, altera conuiuiorum & comeſſationum vſui & ſplendori ad confirmandam amicitiam inter ciues ſit deſtinata. Similiter priuatorum & ſingulorum agri ſic per ſortes diuidi quidem debent, vt binę partes cuique tribuantur, altera prope vrbem, altera in extremis finibus regionis: ſic inquit Philoſophus par erit omnium conditio, æqua ſecuritas, & æqua ſollicitudo, ſiue domi ad mænia, ſiue foris ad extrema regionis cum finitimis ſit concertandum; hoc enim modo magis ſolliciti erunt ciues in propulſando hoſte, cum hîc & illîc (ſi hoſtis vincat) ipſi vulnerentur. Verùm quoniam fruſtra ſic ager diuiditur, ſi quales ſint cultores agri hîc non oſtenditur; in hac poſtremâ parte capitis paucíſſimis verbis, quales hij eſſe debent, oſtendit Philoſophus: hinc quæſtionem moueo, Vtrum agri cultores in beata ciuitate debeant eſſe ſerui aut barbari à natura? Ariſt. verba hęc ſunt. Eos inquit qui agrum colent maximè quidem optandum eſt « (ſi optare fas eſt) vt ſerui ſint, neque omnes vnius gentis, ne- « que animoſi. Parum cohęrentia loqueris Philoſophe, nam « olim voluiſti agricolas & paſtores eſſe optimos ciues, iam autem hoc ipſum negas; ſtatuiſti cultores terræ neceſſarias eſſe partes ciuitatis, nunc verò ſeruos & barbaros ad hoc opus requiris. Parum tu quidem attendis; nam illîc de communi, hîc de optima ciuitatis forma diſſerui. At ne in optima ciuitatis forma expedit barbaros eſſe cultores agri. Quid ita? Quoniam metus eſt ne barbaris ſuis moribus ipſum ſtatum turbent; vis ergo vt in ſterquilinijs ipſi ciues ſudent? Non. Quid tum? certè vt ſerui ad hoc opus conducantur. Id ipſum non nego, verùm magis in voto eſt vt ſerui naturâ non pecuniâ facti hoc onus ferant: rationes ergo expone quare hoc ipſum optas. Hæ ſunt, primum quia ipſa natura eos ad terram non ad cœlum intuendum finxit, tum quia vaſti corpore vagíque animo hoc opus meliùs præſtant, hinc quia ingenio puſillanimi nihil noui, nihil mali machinari poſſunt, poſtremò quia cibo, potu, ſpeque libertatis ſolùm contenti viuunt: at ciues ad cœlum, ad mentem, ad conſilium, ad grauiora ciuitatis negotia in hac beatâ formâ virtus & ordo vocant:

Quæſtio.

Rationes quæ probant agricolas eſſe debere ſeruos.

Melius est seruos & barbaros à naturâ quàm ciues ad opus rusticum destinari quàm ciues & liberos. Pol. 2. c. 7. & 8. Io. 9

cant: melius ergo est seruos & barbaros à naturâ quàm ciues mente, consilio, virtute liberos ad opus rusticum destinare. Huc adde quòd antiqua consuetudo multarum gentium hoc probet, nam Athenienses, Cretenses, Lacedæmonij suos Periæcos seruosque finitimos, Romani suos Samnitas, Israelitæ suos Gabaonitas ad cædenda ligna & comportãdas aquas habuerunt.

## Distinctio.

Consistit hoc cap. in
- Historicâ expositione diuisæ ciuitatis per sua genera, ad quam illustrandam antiquissima exempla Ægyptiorum, Cretensium & Italorum adducuntur.
- Analyticâ demonstratione propositæ quæstionis à
  - Natura serui.
  - Figura corporis.
  - Defectu mentis.
  - Vsu ciuitatis.
  - Consuetudine antiquitatis.

Opp. *Ægyptios omnium mortalium antiquissimos ac primos vocat in textu Philosophus: ergo videtur initium mundi contra seipsum posuisse, nam si sint antiquissimi illis priores non extitere.*

Resp. *Non simpliciter de antiquissimis in naturâ, sed de primis & antiquissimis in politia hoc loco agitur, sed de antiquitate Ægyptiorum secundum naturam contentionem illam pulcherrimam inter Scytham & Ægyptum apud Iustinum lege.*

Opp. *De conuiuijs satis superius dixit Philosophus: ergo otiosè hîc de eorum authoribus & vsu iterum disputauit.*

Resp. *Hîc obiter ex occasione diuisionis, illic verò ex proposito & instituto agit.*

Opp. *Longa itinera tædium gignunt: ergo videtur absurdum vt priuatorum agri in extremis partibus regionis constituantur.*

Resp. *Hoc agitur vt maius periculum euitetur, nam hoc modo (vt ait Philosophus) æquitas iustitiaq; magis seruatur, & maior est ciuium ad bellum cum finitimis suscepta concordia, paratiorq; via ad resistendum, si hostis insidias struat.*

Opp. contra quæst.

Opp. *Ciues fideliores sunt ciuitati quàm serui aut barbari alterius*



*alterius gentis: ergo tutius est ciues quàm seruos & barbaros cultores terræ constituere.*

Resp. *Tales barbari & serui de quibus hoc loco agimus sciunt probè tractare rastrum, ignorant improbè violare fidem: nam si cibum dederis, si spe libertatis allectaueris, opus strenuè agunt, & à saginando sterquilmio terræ nunquam desistent.*

Opp. *Experientia docet quòd serui citissimè fiant contumaces, insolentiusq; in dominos ferantur: verendum ergo est ne isti cultores barbari moliantur ciuitati insidias, eamq; subuertant vt olim Samnitæ & Hetrurij Romam.*

Resp. *Circumcidi debet seruorum potentia, frænisq; sunt illorum faucibus injciendi: requirit ergo hîc Arist. vt sint pusillanimi, ne quicquam mali audiant: vt sint inertes & sine ingenio, ne rebus nouis studeant.*

## CAP. XI.

*Vtrùm vrbes orientem & septentrionem versùs sint salubrius sitæ quàm quæ meridiem solisq; occasum spectant?*

*An vrbes mœnibus, castris, turribusq; circumcingi & muniri debeant?*

VRBIS situs quoad totam regionem satis anteà, nunc verò quoad seipsam graphicè depingitur. Est enim vrbs vel ad alios transfusa, vel in se reflexa & reciprocata. In hoc situ (vt hîc docet Philosophus) spectantur quatuor, salubritas aeris, belli opportunitas, ciuiliũ actionũ expeditio, aquarum stantium & manantium copia: primum & vltimum ciuem, secundum hostem, tertium totius ciuitatis bonum commune spectat. De primo & vltimo prima mouetur quæstio, An vrbes orientem & septentrionem versùs sint salubriùs sitæ quàm quæ austrum solisque occasum spectant? Salubritas hæc de qua nunc agimus

In situ vrbis respectu sui considerantur quatuor.

Quæstio 1. Salubritas à duobus elementis aqua & aere præcipuè pendet.

à duobus præcipuè elementis pendet aere & aquâ, ille enim in precordia, hæc in viſcera quotidiè miſſa vitam & ſpiritũ humanum ſeruant: nam quis mortalium non ſpirans, quis nihil edens aut bibens viuat? Si aer ſit purus & ſubtilis, ſpiritus reficiuntur; at ſi ſit craſſus, cor ipſum fons vitæ ſuffocatur.

Aeris et aquæ maxima cura eſt habenda.

Maxima ergo cura aeris & aquæ in ſitu vrbis ad prudentem magiſtratum pertinet, aeris & aquæ dixi, quia vt aer ſpiritus viuaciores: ita aqua cibos ſalubriores & faciliores concoctu
„ reddit; ſed Philoſophum interpretemur. Vrbes inquit ad ori-
„ entem verſùs & ad ventos ab ortu flantes poſitę ſaluberrimę
„ ſunt, hijs verò proximæ ad aquilonem ſpectant. Agedùm non ſatis eſt iſta ſimplex & nuda aſſertio, rationes igitur & argumenta audiamus. Vrbes illæ ſunt longè ſaluberrimę cuius ſitum Iupiter, Iuno, Aeolus, Neptunus, hoc eſt cœlum, aer, ventus & mare beant: ſed orientalium vrbium ſitus ab illis omnium benigniſſimam influentiam habet: vrbes ergo orientales ſunt longè ſaluberrimæ. Sed altiùs hunc ſyllogiſmum per ſuas partes examinemus, & primum ex parte cæli.

Orientales vrbes ſaluberrimæ.

Illa loca ſunt ſaluberrima quæ primam lucem cœli, primos radios ſolis, optimorumq; ſiderum primos influxus & impreſſiones habent: ſed hæc omnia vrbibus in oriente ſitis cõtingunt: ergo vrbes in oriente ſitæ ſunt quidem ſaluberrimę. De propoſitione nemo dubitat. Aſſumptio autem probatur, quia tota deuolutio cœli, prima ſolis illuminatio, primaque influentia ſiderum ab ortu ortum trahunt, ſuaſque primum vires in vrbes ſibi proximè ſubiectas fundunt. Sed quàm amica & benigna in ea parte cæli ſint ſidera & ſigna, quã æquabiles ſint eorum motus & itinera, quàm mira & amœna ſint in ſubiectis locis eorum effecta, non ſolum coſmographi & aſtrologi; ſed etiam ſacrarum literarum tabulæ loquuntur; ex quibus Paradiſum & terram promiſſionis melle & lacte fluentem orientem verſus eſſe didicimus. Secunda ratio ab aeris vſu ducitur, eſt enim in illis mundi partibus aer puriſſimus, quippè iter ſtadiumq; ſolis ſequitur, eiuſdem radijs optimè temperatur, craſſis & fæculentis purgatur vaporibus, diſſipantur nebulæ, dulceq; manna in illo inſtar



inſtar roris vbiq; naſcitur; huc adde quòd cum ſpiritibus vitalibus (in quorum ſedes & receſſus inſpirando ſumitur) hic aer proportionem habeat, quo fit vt eodem inſpirato iuuetur concoctio, vitaq; diutiſſimè conſeruetur. Sunt ergo illæ vrbes ſaluberrimæ quæ orientem verſùs ſunt conſtitutæ.

Tertia ratio ventorum ad vrbes comparationem ſpectat, nã Zephyrus omneſq; collaterales venti ſpirantes ab ortu ſolis ventillant aerem, vapores diſſipant, temperant æſtum, præcordiorum ſpiritus vitales fouent quibus aſſimulantur, calorem impellunt, concoctionem iuuant: ſequitur ergo vrbes Zephyro ſubiectas multò ſalubriùs ſitas eſſe quàm quæ in alijs climatibus mundi collocãtur. Partes antecedentis propoſitionis hîc perſequi infinitũ eſſet, ſed qui Ariſt. hoc loco & in libris Meteoron, qui Plinium, Ptolomæum, alioſq; authores de hac re legerint, omnium ac ſingulorum veritatem perſpectam ante ſuos oculos ſunt habituri. Poſtremò à fluminum atq; aquarum naturâ & ſalubritate hic ſitus vrbis plurimùm cõmendatur; aquæ enim quæ viam ſolis radioſq; ſequuntur puriores factæ vrbes per quas fluunt ſalubriores efficiunt. De vſu aquæ pauciſſima hoc loco dicam, dicendũ autem eſt aliquid, quia locus poſtulat. In vſu aquarum ſalubrium (vt hîc inquit Philoſophus) diligentia præcipuè eſt adhibenda, eſt enim aqua elementum omnium maximè tũ ad vitam tum etiam ad victum neceſſarium; nam etſi aer magis præcordia ſpirituſq; vitales & animales fouet, naturales tamen partes ac regiones corporis aquarũ fontes magis deſiderant, earumq; vſum maiorem in omni cibo ac potu ſentiunt: reſpectu ergo vitalium partium ſubtilem aerem, reſpectu partium naturalium aquam ſalutarem præferendam puto; nam aereus calor quaſi formam, humor verò aqueus ſed non aquoſus materiam oleumq; vitæ humanę tribuit. Vt calor enim natiuus non eſt flamma ſed conceptus tepor: ita humidum natiuum non eſt aqua ſed innatus vapor, in quo vita hominis vt lux lampadis in oleo conſtat. Sed quid ago? Aquæ (vt hîc & in libris Meteoron docet Philoſophus) quæ ab ortu manant ſunt ſaluberrimæ, illarum cura ſumma eſſe

Aquæ vſus.

Vitalium partium reſpectu aer eſt præferendus, reſpectu naturaliũ aqua eſt anteponenda.

debet,verùm vt aquas ſalubriores ſcias,has notas aquę ſalutaris diſce. Aqua quæ eſt motu velociſſima, limpidiſſima aſpectu, leuiſſima pondere, facillima concoctu, ab ortu ſolis ad occaſum incitata habetur omniũ ſaluberrima: quę ſi deſit prouidẽdũ eſt ſedulò magiſtratibus vt arte per canales & fõtes puriſſima in vrbes deriuetur,ſtagnaq; aquæ pluuialis fiant, quippe per fiſtulas arenoſas terræ aqua quaſi decolata multò purior & ſubtilior redditur; pluuiales quoq; aquæ in ſaxeis plumbeiſq; ciſternis dulciſſimè diu conſeruantur. His omnibus modis conſulendum eſt vrbibus, nè (ſi Titus mænia obſideat) Iudęi aquarum defectu aut contagione pereant. His poſitis & deciſis nunc cõſtat vrbes orientem verſùs propter cœli,ſolis,aeris,ventorum & aquarũ amicas vires & qualitates in ſe tranſfuſas reſpectu aliarum mundi partium fieri longè ſaluberrimas. His ſecundæ & proximæ ſunt vrbes quæ ſeptentrionem ſpectant,à qua plaga mundi boreas ſpirat;ratio eſt quia boreales venti aerem puriſſimum reddunt,intuſque pulſo naturali calore concoctionem faciliorem ac celeriorem efficiunt. Auſtrales verò & occidentales venti alia his contraria effecta pariunt: concludo igitur inſtitutũ quòd vrbes orientem & ſeptentrionem verſùs ſint ſalubriùs ſitæ quàm quę meridiem aut ſolis occaſum ſpectant. Sed hìc iam tacitùs præterire non poſſum incuriam noſtrorum temporũ ac ciuitatum,in quibus neq; aquarũ, neq; aeris ſeria ac diligens habetur cura,cũ latrinis, ſtagnis, ſentinis, ſterquilinijs, alijſq; fœcibus contagioſis aer & aqua ſæpiſſimè inficiantur, quibus receptis ciues non aliter quàm veneno infecti peſtẽ concipiunt & exhalant: ſeueris ergo legibus hoc præcaueri debet vt ſordes ciuitatis longiſſimè ab ædibus, mœnibus & portis in arua & agros exportentur; nam nihil citiùs aut periculoſiùs ſuffocat ciuitatem quàm magna cadauerũ & ſterquiliniorum præ foribus & portis vrbium accumulatio. Sequitur nunc alia quæſtio,nimirum, An vrbs mœnibus,caſtris ac turribus circumcingi & muniri debeat? De locis munitis „ inquit Philoſophus, Non omnibus peræquè ciuitatibus ea„ dem expediunt, exempli cauſâ, arx ædita & excelſa oligarchiæ

Orientalibus in bonitate proximè accedunt ſeptentrionales.

Sordes ciuitatis ab vrbe longiſſimè ſunt exportandæ.

Quæſtio 2.



chiæ & monarchiæ propriè conuenit, loci æquabilitas verò democratię,ariſtocratię neutrũ,ſed potius loca firma & munita complurima. Quaſi diceret Ariſt. omnes vrbes ac ſtatus rerump.contra vim & inſidias belli mœnibus armari debent,non tamẽ pari modo; nam populare imperium minus, regale maius,optimatum potentia maximum ſubſidiũ petit. In populari enim ſtatu nõ eſt præda quam ambitio rapit, in regali autẽ ſceptrũ, in optimatũ principatu honor & virtus ambitioſos vrgẽt. Sed quę & quot ſunt cauſę cur omnes muris circumcingi ciuitates velit Ariſt.? Tres ſunt,decus vrbis, ſalus ciuis,terror hoſtis. Decus vrbis,quia quid honorificentiùs adornat vrbẽ quã mœnia celſiſſima pulcherrimarũ turriũ propugnaculis ſpecioſè cõſtructa? ſi enim in re vlla maximè in muris,caſtris & ſũptuoſis ædificijs magnificentia ciuitatis cernitur: indecorum fuit Romę & Romulo opprobium cum Remus murum vrbis tranſiliret. Salus ciuis quoq; à mœnibus & caſtris plurimùm dependet: ergo vrbs mœnibus circũcingi debet. Probatur antecedens,quia ſi adoriantur hoſtes, tantumq; impetũ faciant, cui humana virtus nõ poteſt obſiſtere,murorum præſidio ac munimento ſæpiſſimè ciues protecti ſunt; tales autẽ impetus frequenter fiunt: tutiſſimũ ergo erit ſi vrbes firmiſſimis mœnibus roborẽtur, eſt enim melius vt telis & tormẽtis bellicis mœnia & lapides quàm latera & præcordia ciuiũ perfodiantur: ſi muros tollas vnã tantũmodo viã ciues pugnandi habent, ſi verò muros cõcedas, vnã in viribus,in mœnibus alterã hoſtibus reſiſtẽdi viã eſſe intelliges. Almacidas dux Lacedæmoniorũ rogatus cur ipſorũ vrbs mœnibus nõ eſſet cincta, oſtenſâ iuuentute ciuitatis reſpondet, quid opus eſt muris? Muri hij ſunt,hij ſũt caſtra & mœnia ciuitatis; at paulo poſt Thebani ducibus Pelopidâ & Epaminõdâ Lacedæmonẽ obſeſſã expugnarunt, ipſũ hunc Almacidã ceperunt,muroſq; iſtos nobiles defectu murorũ nudos facilè ſuperarunt. Salus profectò fuiſſet Lacedæmonijs ſi muris circumſcripti hoſtibus reſtitiſſent. At in his non ſolum eſt ſalus ciuis ſed terror hoſtis. Hoc olim Pyrrhus rex Epirotarum ſenſit, qui tegulâ percuſſus ex equo decidit: hoc ſenſit Abimi-

Rationes quibus probat Ariſtoteles ciuitates muris circumcingendas.

Exemplum Almacidę ducis lacedęmoniorum.

Plutarch.in vita Pyrrhi.

Iud. 9. Abimilech, quem mola ab alto deiecta pressit; terribile quidem est & formidolosum ignem (vt aiunt) gladijs sub muro ciuitatis obsessæ fodere; nam quamuis Troia deleta sit, Græcorum tamẽ legio sub mœnibus eiusdem sepulchrum habet. Pulsauit olim Hannibal portas insignes Romæ, sed clausis inuentis citò à muris hostis discessit: est ergo murus vrbi decus, mons ciui, hosti grandis & immanis terror. Quid multis?

Aliæ rationes prioribus adiectæ. Antiquissima consuetudo gentium, vetus forma ædificandi domum, nouæ machinæ & artes expugnandi vrbem mœnibus opus esse liquidò & manifestè docent: hęc breuissimè sic probo. Maiores omnes & vniuersi suas vrbes mœnibus cinxerunt: ergo idipsũ fieri oportet. Princeps domus tuta nõ est sine muro: ergo nec ciuitas quam hostis demoliri cupit. Postremò difficillimũ est nouas insidias & machinamenta bellica sine muris repellere: ergo tutissimum erit vrbem muris defendere & circumuallare. Ex his constat iustã esse in textu illorũ reprehensionẽ qui vrbem ineptè muris carere velint.

In priuatis ædibus spectanda duo, Splendor, Robur. Postremum, quod hoc in loco agitur, est priuatorũ ędificiorũ dispositio, quam Hippodamus comptus ille Philosophus ad ornatum & splendorem solùm, antiquitas verò ad robur & defensionem retulit, vtrumq; complectitur Arist. In priuatis ergo ędibus spectari debent hęc duo, splendor & robur; splẽdor vt sint vniformes ad amœnitatem, robur vt sint in illis vię hosti inextricabiles ad securitatẽ ciuis; quippè anfractuosæ vtiliores sunt nè peregrini facilè exitũ inueniant, neuè insidiantes earũ latebras perscrutari possint, tales describit Virg.

Æneid. lib. 2.

*Limen erat, cæcæq; fores & peruius vsus*
*Tectorum inter se Priami, postesq; relicti*
*A tergo.* Aut
*Vt quondam Cretâ fertur labyrinthus in alta*
*Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;*
*Mille viis habuisse dolum, quâ signa sequendi*
*Frangeret indeprensus & irreuocabilis error.*

Tales olim in nostrâ bellicosâ gente fuisse hinc constat, cum adhuc multis in locis subterraneis veluti latebræ & labyrinthi artificiosè extructa sed iam ruinosa maneant.

Distin-



Distinctio

Quæstiones huius Cap. sunt, vtrum
- Vrbes orientales & boreales sint saluberrimæ? Hæc probatur à
  - Benignâ influentiâ cœli,
  - Cursu solis,
  - Subtilitate aeris,
  - Salubritate ventorum,
  - Ab optimo vsu aquarum.
- Vrbes muris circumuallari debeant? Hęc confirmatur
  - A decoro vrbis,
  - A salute ciuis,
  - A terrore hostis,
  - Ab exemplo antiquitatis,
  - A comparatione domus,
  - A nouis machinis quotidie inuentis.

Opp. contra primam quæstionem.

*Medici est de sanitate vrbis solùm disputare: ergo ad magistratum omninò non pertinet. Ratio sequitur, quia medicus & magistratus distincta officia habent.*

Medicus docet quæ loca salubria: magistratus prouidet vt talia fiant.

Resp. *Medicorum est docere quæ loca sint salubria, & quomodo sic fiant, sed magistratuum est imperare ac prouidere vt hæc ipsa ordine & lege fiant: ad medicum ergo disputare de salubritate pertinet, vt arte præscribat; ad magistratum verò, vt lege & edicto mandet.*

Opp. *Boreales venti intus calorem natiuũ vehementius pellunt, celeriorem q; concoctionem faciunt: ergo salubrius vrbes septentrionem versus sunt constitutæ. Antecedens probatur, quia venti boreales sunt à naturâ & motu subtiliores. Ratio tenet, quia sanitas in natiuo calore aucto & concoctione facili maximè consistit.*

Boreales venti nimis rigidi calorem natiuum lædunt, quia aeris cũ natura non est proportio.

Resp. *Boreales venti sunt quidem & natura subtiliores & celeriores motu; veruntamen ab altiore mundi plagâ delapsi plus iusto rigidi & austeri fiunt: quippè non solum intus vehementius calorem pellunt, sed eundem impulsum acrius inuaduut, nec non penetrando sæpè extinguunt: non ergo illic melior fit concoctio, quia aeris cum naturâ non est proportio.*

Opp. *Aquæ semper sequentes solem magis turbidæ & contagiosæ fiunt: ergo illa causa sanitatis malè à Philosopho assignatur. Antecedens patet, quia vi solis dulciores partes aquæ solùm euocantur, relinquuntur autem crassæ, quæ intùs sumptæ contagionem gignunt.*

Resp.

Resp. *Dulciores partes aquæ vi solis euocantur, vbi immensus ardor vt in meridie, non vbi moderatus calor vt in oriente manet, flamma enim exurit sed calor benignus fouet.*

Opp. *Venti orientales (vt ait Plinius) sunt tempestuosi & vastantes omnia: ergo sunt causæ potiùs interitus quàm salutis illis vrbibus quæ ortui solis subijciuntur.*

Procellæ à Plin. vocantur venti, quia nõ fiũt sine flatu.

Resp. *Non de ventis illic sed de procellis, quales sunt turbo, typhõ & præter loquitur historicus, venti autem ab illo dicuntur, quia tempestates istiusmodi sine flatu non fiunt.*

Opp. contra secundam quæst.

*Mœnia nimis securos & otiosos ciues efficiunt: ergo vrbes mœnibus non cingerentur. Antecedens probatur, quia mœnibus circumuallati ciues minus se ad artem militarem accõmodant, maioremq; in mœnibus quàm in manibus & lacertis ciuium confidentiam ponunt.*

Solonis dictũ non in mœnibus ciuitatis sed in viribus hominis vis belli constat.

Resp. *Si hoc contingat magna est incuria magistratus, qui ciues in armis & bellicâ disciplinâ quotidie exerceret, qui hoc sæpè cum Solone diceret non in mœnibus ciuitatis sed in viribus hominis, non in munimentis sed in lacertis vis belli & fortuna constat.*

Opp. *Castra in vrbe sunt nonnunquam causæ tyrannidis: ergo permitti non debent. Antecedens probatur, quia illorum subsidijs vsi pernicioſi & scelerati principes possint ciues opprimere, totamq; ex illis vrbem scorpionum glandibus, veluti à cœlo terram fulminibus deuastare.*

Resp. *Vitium hoc hominis est non arcis, quæ ad virtutem non ad tyrannidem extructa fuit: non est ergo rationi consentaneum vt castra & arces tollantur, quia illis abutuntur mali: sed potiùs vt honorificentius muniantur, vt in illis conseruentur boni.*

Opp. *Domus castra pacis & securitatis essent: ergo in illis posticæ & anfractuosa latibula fieri non deberent. Ratio sequitur, quia hæc metum, qui est paci & securitati inimicus, arguunt.*

Resp. *Tale castrum pacis Hannibal dux ille nobilis obtinuit, cũ sumpto veneno Romanos metu liberauit. Sunt quidẽ ædes ciuũ veluti castra pacis eoq; magis ita dicantur quo in eas hosti aditus difficilior patent. Neq; id verũ est quòd metũ arguant, nã quò plures labyrinthos habent, eò securiores ab hoste ipsi ciues in illis viuunt.*

Opp.



Opp. *Mœnia, arces, castra, ædesq; instar labyrinthorum extructa ad popularem statum non requiruntur: ergo hîc male defenditur ad omnem vrbem requiri. Antecedens est Arist. in textu.*

Resp. *Popularis status considerari potest vel absolutè in se, & sic istis non opus habet: vel comparatè ad hostem, & sic hæc omnia requiruntur, ne per vim & impetum hostis victoriam cedere impellãtur.*

Popularis status non respectu sui sed hostis opus habet mœnibus, castris, ædibusq; anfractuosis.

## CAP. XII.

*An propè sacras ædes forumq; liberum artificibus sordidis habitare liceat?*

*An essent in omni vrbe loca celebriora in quibus ciuisq; facultatis ciues distinctè epulentur?*

QVID sibi vult tandem Arist. ista tua tam frequens de Deo, de templis, de sacerdotibus, de sacris ædibus disputatio? An tantopere ad hominem politicum à te requiritur sacra religio? Persuadere nobis fortasse velis vnũ (vt in Physicis ais) Deum esse, vnumq; motorem primum, at non credimus, vrgere nos velis cõfiteri Deum (vt in libro de mundo ais) omniũ quæcunq; sunt in hoc mundo seruatorem esse, nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse (nam sic loqueris) quæ citra Dei præsidiũ sibi relinquitur: sed laterem lauas, nã non credemus: probares hinc forsan quòd si velimus proximè ad Deum accedere deberemus secundùm mentem, virtutem ac sapientiam viuere, vt in Ethicis doces. Sed hîc sistè vestigia Philosophe, nã tã religiosè non viuemus. Postremò vt ad rem propiùs accedam, peroptas vt sacræ ædes magnificè idq; in excelso vrbis loco deo consecrentur, vtq; longè ab eis artificũ strepitus remoueatur, sicut hîc contendis. Stulte quid agis? Tẽpla non extruemus, immò (siqua iã sint superstitiosè extructa) sutores, aurigas, sicarios, omnisq; generis mortales in illis ambulare, garrire, nundinari te inuito permittemus.

Arist. multa diuina dicta de Deo.

Phys. 7.

De mundo.

Lib. 10. Ethic. ca. 11.

Illud

Illud enim tuum, Ens entium miserere mei, vanum elogium est, nos quidem terræ filij & naturæ sumus, cuius vi ac numine nunc omnia (vt olim) stare & cohærere credimus.

Sebast. Brant. cap. de contemptu Dei.

*O male prudentes: quorum sic corda tenebris*
*Obfuscata iacent, nequeant vt credere rectè,*
*Et curare deum: quo sunt elementa creata,*
*A quo processit nitidus sol, lucida Phœbe,*
*Qui statuit lucem & noctes & tempora cuncta.*

Quæstionis primæ pars prima.

Sed pergam & nõ obstante atheismo nostrorum temporum probabo ex Arist. sacras ædes magnificentissimè extruendas, omnemq; artificum strepitum & clamorem ab eis longissimè remouendum esse. verba Philosophi hæc sunt, Sed ea quæ rebus diuinis consecrata sunt domicilia conuenit locum idoneum habere. Qualis autem sit hic locus idoneus sequentibus verbis interpretatur, cum ait. Talis fuerit locus & ad efficiendam situs præstantiam satis illustris atq; eminẽs, & pr vicinis partibus ciuitatis tutus ac munitus. Hęcde præstantia loci, de reuerentia sic loquitur. Decet autem huic loco talis fori structuram esse subiectam, quale in Thessalia vsu repertum est, quod liberum vocant: hoc porrò significat ab omnibus rebus vęnalibus purum & sincerum esse oportere, neq; quenquam sordidum atq; illiberalem artificem, neque agricolam, neq; alium quenquam talem huc irruere, aut omnino aspirare, nisi â magistratibus accessatur. Huc tendunt hæc omnia quasi dixisset Philosophus, ædes sacræ honorificentissimè extrui, muneribusq; ciuũ splendidissimè ornari, illustri foro quasi claustro & asylo fortissimè muniri, nullis deniq; artificum manibus aut instrumentis turpissimè prophanari debẽt. Verùm quoniam hanc rem anteà attigerim laconicè nunc agam. Palatia principum splendida & excelsa esse debẽt: ergo templa Salomonis multo magis: quippè maior in his maiestas sedet. Iterùm loci Deo consecrati maiestas animis hominum maiorem deuotionem incutit: ergo ædes sacras magnificè ædificare decet. Porrò valde indecorum est vestes & calcaria nostra auro splendere, deiq; altaria & templa luto sordescere. Adhuc haud meliora signa externa



externa nostræ internæ voluntatis Deo exhibere poterimus quàm sacras ædes in quibus adoretur: illas ergo non tanquã stabula & fumosa latibula fabricari conuenit. Præterea si Deus ipse (qui est vbiq;) cœlum cœlorum omnium corporum splendidissimum & ornatissimum veluti sibi templum fabricauit, nonnè absurdum erit si ecclesiam (quæ esset imago cœli) deformitate sordidam & incultam esse patiamur? Deinceps creator primas & optimas omnium creaturarum sibi offerri iubet: si ergo sacræ ædes ei dicandæ sint easdem præ cæteris locis terræ augustissimas esse ex iure conuenit. Postremò exempla insignia huius rei, quę tàm ethnici quàm Christiani mirabili deuotione perculsi nobis reliquerunt, nos si non ad nouas extruendas, ad veteres tamen veluti ruinantes reficiendas allicerent ac permouerent. Nihil hîc de Herostratis & Iulianis nostrorum temporum dicam, hoc vnum tamen dicam, si Deus Xerxis milites missos ad spoliandum Apollinis templum opus insigniter superstitiosum propter solam intentionem mali tonitru & fulmine extinxit in via; quam deus bone pœnam sunt illi sustenturi, qui non Apollinis sed diuini numinis templa deuastari & conculcari sinunt? Altera pars huius quęstionis de vsu sacrarum ædiũ facilè patebit, si has rationes perpendamus. Musarum collegia à strepitu & clamore artificum longè remoueri debent, vt candidati bonarum literarum quietius operam suis studijs nauent: ergo multò magis ædes sacrę vt sacerdotes Dei rebus diuinis attendant melius. Prætereà ædes sacræ Deo consecrantur: ergo sordidis artificum fumis coinquinari non debent. Prætereà rebus venalibus prope ædes sacras expositis animi contemplãtium distrahuntur: ergo prope illas artificibus habitare non liceret. Postremò quorsũ iussus est Moyses calceos exuere, quorsum in templo Salomonis nullus instrumentorum strepitus ex edicto regis auditus erat, quorsũ Christus numularios eosq; qui suam domum (vt ait) speluncam latronum fecerunt flagris è templo expulit, si ædes sacras illiberalium artificum vicinitate ac strepitu contaminare liceat? At nunc quod dolendum est in eis,

Quæstionis primę pars secunda.

*Tractantur causæ, rerum commercia, quæstus,*
*Contractus omnes, officiumq; fori.*

Altera quæstio est de conuiuijs & celebrioribus locis in quibus ciues diuisim secundùm ordines & classes epulentur. Hic antiquum morem & consuetudinem gentium sequi videtur Aristoteles qui primùm numinis, tum ventris curam habuerunt, vt pulchrè Ouidius ostendit, vbi sic de Anio Phæbi Antistite, & Anchise illo sene Troiano loquitur.

Ouid. 13. libro Meta.

*Thure dato flammis, vinoq; in thura profuso,*
*Cæsarumq; boum fibris de more crematis*
*Regia tecta petunt: positisq; tapetibus altis,*
*Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.*

Diui isti inter ethnicos primùm sacras ædes & oraculum, tum regia tecta epulumq; petunt: ita hoc loco Philosophus primùm de sacris ædibus, tum de honorificis epulandi locis præclarè differit: quòd sint habenda publica conuiuia antè satis probatum est, nunc ergo restat de modo dicere. Vult ergo Aristoteles vt in celebrioribus ciuitatis locis à ciuibus cuiusque ordinis ac facultatis solemniores concænationes apparentur, id est vt sacerdotes in magnificis domicilijs prope sacras ædes constructis, milites in turribus prope muros ciuitatis, mercatores in triclinijs prope commune forum, nobiles in palatijs prope aulam regiam, iudices ac magistratus in gymnasijs prope templum pacis, omnes denique & singuli ciues in tectis illustrioribus eò destinatis & ornatis splẽdidè vnà epulentur; quòd hoc expediat sic probo. Fieri non potest nec decet vt omnes & singuli ciues cuiusque ordinis ac facultatis in vno augustiore loco simul conuiuentur: ergo necesse est vt in diuersa sodalitia ac classes secundùm ordinem & facultates distinguantur. Prætereà in hoc tam respectu locorum magnificè extructorum quàm epularũ quæ splendidè, publicè & exquisitè apparantur, insignis honor ciuitatis fulget. Quæ enim res magis honorant Carthaginẽ quàm

Concænationes à ciuibus habendæ publicis locis.



quàm ampla & insignia ædificia? Quæ res magis recreant & consolantur ciues quàm certis anni temporibus & festis optimè instituta conuiuia? Porrò istorum institutio duo potissimùm respicit bona ciuitatis, nimirum reconciliationem ciuium, & illorum recreationem; illa odium, hæc tædium curarum ab illis tollit; cum ergo in vno loco (vt diximus) hæc fieri non possint, in diuersis ijsdemque nobilioribus locis celebrari debent. Postremò, quandoquidem antiquitas (vt tum in prophanis tum in sacris historijs constat) hunc ordinem conuiuandi nobis commendet, quandoquidem Abraham & Patriarchę, Dauid & reges conuiuati sunt, immò quandoquidem nuptiale conuiuium Christus ipse magno miraculo approbauit, absurdum aut impium non erit magnificè ad honorem ciuitatis, iustè ad amorem ciuium, temperatè ad animorum recreationem conuiuijs & epulis aliquando indulgere: habeant ergo ciues cuiusque ordinis suas aulas, suaque triclinia, in quibus à curis liberati epulentur lautiùs: hoc tamen opto vt cum Persarum regibus ante cibum de modestia, post cibum de iustitia disputare meminerint. Quid moror? Si ordinem & summam huius capitis requiras hæc est, primùm sacras ædes & prytanea (in quibus sacerdotum officia & conuiuia magistratuum celebrentur) ædificari postulat Philosophus: in his locis tria requiri ait, splendorem operis, vsum virtutis, securitatem vrbis. Hinc forum duplex distinguit, vnum liberum à commercijs strepituque artificum, quod prope ædes sacras locaretur; alterum necessarium & rerum venalium commutationi destinatum in quo publica negotia ciuitatis tractarentur. In agris quoque templa sparsim & loca epulandi fabricari optat, vt in illis syluarum præfecti, & nauiculatores Deo inseruire, & genio aliquando indulgere queant. His positis sic concludit, Superuacaneum est longos esse in harum rerum explicatione, talia enim intelligere difficile non est sed facere potiùs: nam de his verba facere optantis est, ea autem euenire fortunæ.

Alexander ab Alex. Lib. 5. cap. 21.

Ordo huius capitis.

In ædibus sacris & prytaneis tria requiruntur.

Fori duplex.

Templa & loca epulandi agris ædificari debent.

Duæ quæst sunt huius cap. quarum
- Prima probatur dialectic. more à
  - Minore ad maius,
  - Fine & vsu sacrarum ædium,
  - Decoro,
  - Signo,
  - Probabili,
  - Consentaneo,
  - Ab exemplo maiorum.
- Secunda probatur
  - Ab impossibili,
  - A comparatione,
  - A duplici vsu conuiuiorum,
  - Ab exemplis antiquitatis.

Opp. contra primam quæst. *Plerumq; vitiorum voragines à palatijs tectisq; procerum in vulgus fluunt: ergo non est tutum illa prope ædes sacras constituere. Antecedens patet, quia in palatijs principum molliter, otiosè & delicatè viuunt. Ratio tenet, quia hoc modo magis contemplantium animi quàm artificum strepitu à deo, à religione, à pietate distrahuntur.*

Bonorum consortia peccatum non aliter quàm alexipharmaca venenum expellunt.

Opp. *Quò mollioribus flagitijs palatia fluunt, eò melioribus locis iũgerentur, nã bonorũ consortia peccatũ nõ aliter q̃ alexipharmaca venenũ expellũt. Quod vrgeas magnã vim esse sceleris quæ ab illis manat, respondeo maiorem esse vim numinis quæ in tẽplis manet.*

Opp. *Ædes sacræ paterent omnibus: ergo etiam artificibus. Antecedens patet, quia omnes in illis numen adorarent.*

Resp. *Licet artificibus ad sacras ædes accedere, sed prope illas propter strepitum habitare non liceret, quippe in illo est religio, in hoc autem religionis prophanatio.*

Externa ornamenta signa sunt quâ puritate & sinceritate deum veneramur. Aurum & ornatus templi idololatriam parit.

Opp. *Aurea tẽpla nimisq; ornata superstitionẽ & idololatriam gignũt: ergo tã magnificè (vt hîc requirit Arist.) nõ extruerentur.*

Resp. *Si Deo (qui nullo loco circũscribitur) placuerit cum hominibus in templis habitare, si voluerit, immo si tusserit templa in terra sibi consecrari, hoc vnum peto, an sit aliquid tam pretiosum, tam excellens, tam diuinum, quod eius maiestati non inseruiret? Nam quamuis cum Catone agnoscam Deum spiritum & mente pura colendum esse, externa tamen hæc ornamenta sunt signa, quâ puritate & synceritate illum veneramur. Neq; id verum est quod aurum aut ornatus templi idololatriam pariat, est enim vitium hoc corrupti hominis non splendoris, qui in alium finem destinatur.*

Opp.



Opp. contra secundam quæst.

*Conuiuia licentiam vitæ, loca excelsa superbiam & insolentiã gignunt: ergo non est in vrbe vtile istiusmodi loca in eum finem erigere. Antecedens patet, quia hæc est conditio mortalium; à Baccho ad Venerem, à solio dignitatis ad vanitatis escam aduolare.*

Resp. *Ista eis contingunt qui solius voluptatis causa idq; quotidiè epulis saginantur, verũtamen hæc conuiuia & loca alium finem aliumq; ordinem habent: nam ad recreationem & reconciliationem ciuium idq; certis temporibus anni referuntur.*

Opp. *Sunt quædam classes ordinesq; ciuium tam exili facultate & copiâ rerum, vt neq; loca tam insignia, neq; conuiuia tam exquisita possint honorifice comparare: malè igitur ab omni ordine hoc ipsum requirit Philosophus.*

Resp. *Per cines cuiusq; facultatis & ordinis Arist. hoc loco intelligit primarios, qui rebus non sordidissimis maximeq; illiberalibus addicti sunt. Aliter responderi potest, quòd vis vnita multorum tametsi pauperum magnam vim diuitiarum pariat, vt patet in infimo ordine ciuium Londinensium, qui suas aulas epulasq; honorificè extructas & apparatas habent.*

## CAP. XIII.

*Vtrũ consideratio medij & finis omnẽ actionẽ vitæ præcederet?*

*An ad beatos ciues efficiendos plus ratio quàm natura aut disciplina valeat?*

IVITATIS fine, materia, subsistẽtiâ, cohærentiâ partiũ & instrumentorũ iam satis explicatis, vltima tractatio & quasi catastrophe huius libri sequitur, in qua ostẽdit Arist. ex quibus & qualibus optima (de qua nunc agimus) constaret ciuitas. Diuisa est hæc pars in 5. Cap. in quorũ primo proponitur finis mediumq; triplex quo acquiritur, in 2. & 3. institutio vitæ traditur, in 4. leges de coniugijs, in postremo leges de puerorum moribus ac disciplinâ sanciuntur. Si hoc loco vrgeas Arist. anteà

Catastrophe huiùs libri in quinq; capita diuisa est.

de fine ciuitatis egisse. Respondeo id esse verum, sed illic mente contemplandum solùm, hîc verò quasi manu tenendum proponit; illic enim absolutè in seipso, hîc autem comparatè quoad sua media tractatur. Vnde illud est quod habet Philosophus in principio huius capitis, nempe duo esse in quibus ponitur omnium hominum perfectio & præstantia, nimirum vitæ finem & rectam ad illam viam. Per vitæ finem hîc solam beatitudinem, per viam triplex medium scilicet naturam, institutionem & rationem intelligit. De fine inquit satis in libris de moribus, vbi beatitudo actus & vsus virtutis definitur, diximus; de medijs quoque in illis nonnulla disputata sunt, nam illic in virtutibus morum rectissimum vitæ humanæ iter ad arcem beatitudinis ex præscripto prudentiæ apparere ostendimus. Quòd hæc duo sint diligenter cuiuis consideranda, nempè finis & ad eum media, artes, natura & ratio suadent. Artes quia omnes & singulæ scientiæ inanes & otiosæ sunt; in quibus certus ac definitus finis non proponitur, adeoq; etiam in quibus ad eundem finem assequendum optima non inueniuntur media: exempli causâ, in arte medicâ frustra de sanitate corporis disputatur, si herbæ, si potiones, si salutaria pharmaca, quę sunt instrumenta sanitatis, desint ac desiderentur. Natura quoq; hoc probat, quæ finem semper per media appetit & acquirit. Ratio denique, quia vt vaga est manus sagittarij sine scopo & telo: ita otiosa est vitæ institutio sine fine & medio, quo finis ille vt fructus acquiri, vt scopus attingi potest. Veruntamen hîc teste Philosopho fieri potest vt hæc duo concinnent & concordent, fieri quoque potest vt discrepent & dissideant; conuenient autem si bono proposito fine bona etiam eligantur media; discrepabunt si eorum vnum sit bonum puta finis, alterum malum puta modus, aut si in vtroq; error committatur; vt si imperitus medicus nec finem morbi, nec recta curandi media consideret. Hæc omnia ad institutum refert Philosophus vt demonstret periculosum esse errorem de fine vel medio humanæ vitæ, at sunt permulti cæcutientes & oculis perstricti homines, qui neg-

Perfectio omnium hominũ in duobus consistit, fine vitæ, & viâ ad finem.

Via dicitur triplex medium; natura, institutio, ratio.

Rectissimum iter ad fælicitatem.

Quæstio. 1.

Argumenta quòd finis & via ad finem considerandæ sunt.

Finis & medium aliquando concordant, aliquando dissident.

Error de fine vel medio humanæ vitæ periculosus.



neglectâ verâ beatitudine ex bonis fortunæ, naturæ, aut corporis aureum fælicitatis Nilum fluere & manare somniant: sed hæc inquit Philosophus non sunt per se & vi suâ eligenda bona. At dices fortasse sunt hæc ad vitam ciuilem necessaria: ergo sunt bona per se eligenda. Ratio hæc non tenet, nam vt in medicina ad sanitatem aequirendam aliquandò potiones & incisiones sunt necessariæ, non tamen per se sed respectu sanitatis; & vt ad conseruandam ciuitatem aliquãdò supplicia sunt necessaria, non tamen vi suâ sunt eligenda sed respectu iustitiæ & securitatis: ita hæc bona scilicet fortunæ & corporis non sunt per se bona sed in comparatione fælicitatis ad quam referuntur. Falluntur ergo isti; turpiterq; errant ponentes instrumentum esse causam operis potiùs quàm artem, vt illi solent qui absurdè opinantur lyram esse magis pulsandi causam quàm musicam scientiam. Sunt enim ista bona instrumenta in existentiâ virtutis, non principia in naturâ & subsistentiâ fælicitatis, quæ (vt hîc docet Aquinas) ex solis virtutibus moris ac mentis constat. Necessarium ergo esse cõcludit Aristoteles vt legumlatores ad solius virtutis studium animos ciuium exemplo, lege ac disciplinâ moueant, quippe tum verè fælix & beata futura est ciuitas, cum omnes & singuli ciues virtuti student; atqui boni quidem & studiosi tribus medijs fiunt ciues, nempè per naturam, consuetudinem, & rationem; hinc quæstio est de quâ nunc agimus, scilicet, An ad studiosos & beatos efficiendos ciues plus ratio quàm aut natura aut disciplina valeat? Omnibus relictis ambagibus & verborum circuitu per naturam hoc loco no principia hominis sed propensionem docilem ad studium & amorẽ virtutis: per disciplinã non seueritatem legis sed consuetudinem vitæ & vim ęducationis; per rationem nõ solùm mentis conceptum sed etiã imperium intellectus & sapientiæ in contemplatione virtutis intelligo. Sensus ergo quæstionis hic est, vtrũ ratio, id est intellectus formatus plus valeat ad studiosos & beatos efficiendos ciues quàm aut natura id est propẽsio ad virtutem, vel disciplina id est institutio vitæ, quæ generatim à lege

Fælicitatis subsistentia in solis virtutibus mentis & moris constat.

Quæstio secunda.

Sensus quæstionis.

Ratio plus valet quàm natura vel disciplina. Obiectio.

& magistratu, speciatim à parentibus & præceptoribus dependet. Rationẽ hîc cæteris duobus ad hoc præclarum opus perficiendũ valentiorẽ esse defendimus. At dices in Ethicis tenetur à Philosopho quòd plus valeat educatio quàm aut doctrina aut mentis ratio: verũ est si rationem inchoatam nõ perfectam, si simplicem nõ formatam intelligas; at doctrina est ratio formata ais, verũ est, sed illa docentis est & externa, hæc verò ratio de quâ nunc agimus discentis & interna est. Verumenimuerò discentis ratio nõ est adhuc formata, vt hîc defendis. Est, quãuis adhuc fortassè omni ex parte nõ sit perfecta. Vt enim aurum in flammis positum concepto calore non statim scoriam deponit, tendit tamen ad splendorem & puritatẽ suã: ita mens seu ratio studio virtutis inflammata tametsi statim ignorantię nebulas nõ excutiat, flectitur tamen magis magisq; ad perfectionem fælicitatis suæ, quâ tandem prædita & ornata alia media & instrumenta superat. Quasi verò ratio fælicitate prędita sit medium: quid ni? nam vt virtus in beato manet non vt finis, sed vt medium quo apprehẽditur: ita ratio licet sit in se perfectissima, instrumentum tamen & medium fęlicitatis acquirendę dicitur. Hęc ratio siue ardens virtutis studio, siue lucens in excelsa fælicitatis arce est quidem ad beatos ciues efficiendos tã naturâ quàm disciplinâ longè efficacior. Quemadmodũ se res habet in operibus naturæ, ita in ciuibus efficiendis beatis: sed in operibus naturæ perficiendis tamet si multum ipsa principa, multum quoque proprietates iuuent; forma tamen & finis ea solùm perficiunt: ita licet plurimum natura quæ est propensa, plurimũ quoq; disciplina & institutio vitæ ad hoc opus virtutis conferant: sola tamẽ ratio quæ modum formæ habet, ipsum opus cõplet & consũmat. Hinc inter morales virtutes posita est prudentia, hinc inter virtutes mentis veluti imperatrix & regina habetur sapiẽtia, quę nihil aliud est hoc loco (si interpretari velis) quã diuina & formata ratio. Prętereà vt sensus, appetitus, voluntas intellectui: ita natura & institutio vitæ rectè imperanti rationi subsunt; & vt illa per intellectũ, ita hęc per rationem perficiuntur omnia. Quippè ratio formata primùm

Inter morales virtutes prudentia, inter virtutes mentis sapientia habetur regina.



primùm verissimum finem proponit, tum viam rectissimam præscribit, his verò conceptis ipsa cæteris exemplum præbet; hinc alias facultates mentis ad eundem finem & viam aut vt orator trahit, aut vt dominus se sequi præeuntem iubet: si sequãtur cõsilio, iudicio, sapiẽtiâ iuuat, & tandẽ veluti dominus suos seruos, eos fęlices & beatos efficit: sed hęc pręstare non possunt natura & disciplina, ergo eis ratio est præferenda. Insuper quorsum contemplatio à Philosopho tot gradibus præfertur, si ratio quæ est speculatio mentis in beatis efficiendis naturæ & disciplinæ (quæ tota in actione sola versantur) non sit longè præferenda? Est ergo natura procliuis ad virtutem quasi terra fertilis; est disciplina & institutio vitæ quasi cultura terræ; est verò ratio quasi agricola qui & terrã colit & culturã ipsius terræ perficit, natura enim humana vepres & spinas parit, si eam nõ colit ratio; cultura ipsius terræ rudis est, si eam formata non ornet & perficiat ratio. Quippe quid mortales à ferinis moribus ad cultũ ingenij perpulit? nonne ratio? quid nunc in ordine & officio nos cõtinet? sola ratio. quid ergo magis ciues beatos reddit quã fœlix & beata ratio? Postremò re nullâ propiùs ad deum accedimus quàm mente & ratione: ergo naturã & disciplinã omniaq; alia media in beatis efficiendis formata ratio & sapiẽtia vincit. quid moror? in naturę procliuitate flos veris, in institutione vitę spes messis, in formata denique ratione palma virtutis & fælicitatis inest; à naturâ enim radices & potentias, ab institutione incrementa & progressus, à ratione verò & sapientiâ ornamenta & fructus vitæ beatæ suximus.

In hoc ca. quæstiones sunt duę, in quarum
- Prima probatur quòd mediorum & finis consideratio omnẽ actionem vitę humanæ præcederet, hoc confirmat Philosophus
  - A vi naturæ,
  - Ab exemplo artis,
  - A loco similis,
  - Ab inductione absurditatis, quę sequitur si ista consideratio desit,
- Secunda probatur quòd ad beatos ciues efficiẽdos plus ratio quàm natura aut disciplina valeat, argumenta quæ hanc quęstionem concludunt sunt
  - Ab interpretatione,
  - A comparatione,
  - A similitudine,
  - A proportione naturæ,
  - Ab excellentia intellectus & contemplationis.

Ethicorum 3. Opp. *Nulla est consultatio de fine, vt docet Philosophus in Ethicis: ergo inconsideratè hoc loco requiritur vt de medio & fine consultemus.*

Finis non sub consultationẽ sed sub considerationem cadit.

Resp. *Non dicit hoc loco finem sub consultationem, sed sub considerationem cadere debere: consultatio enim est mediorum tantùm, at consideratio de medio & fine esse potest.*

Opp. *Præter hæc duo scilicet medium & finem principia agendi vt natura, appetitus & intellectus considerari debent (vt placet Arist. in Ethicis) vbi tria agẽdi principia tradit: ergo ineptè hæc duo solùm consideranda proponit.*

Eth. 6. cap. 1.

Resp. *Principium verè agendi in re qualibet est ipsemet finis, & agentis intentionem non opus spectes. Quòd verò protrudas exempla apud Philosophum naturæ, appetitus & mẽtis: dico quòd etsi necessariò intelligantur ista, eorum tamen ratio non est quærenda, quia sunt prima agendi elementa, primaq; moralium & intellectualiũ actionum principia.*

Opp. contra secundam quæstionem.

Opp. *Sunt plura media & meliora acquirendæ felicitatis quã hæc tria quæ hîc recensentur: ergo non rectè hæc solùm tria à Philosopho assignantur. Antecedens probatur, quia virtutes & earum actiones sunt media quibus ciues efficiuntur beati: sed virtutes & earum actiones hoc loco non enumerantur: ergo sunt plura & meliora media quàm hîc assignantur.*

Virtutes sunt interna principia potius quàm media felicitatis.

Resp. *Virtutes & earum actiones sunt interna principia potiùs quàm media felicitatis, vt non solùm in hoc capite sed etiam in primo Ethicorum constat.*

Opp. *Virtutes definiuntur in Ethicis media: ergo inconsideratè hoc loco media esse negantur.*

Resp. *Virtutes sunt & media & principia; media respectu vtriusq; extremitatis, principia autem felicitatis.*

Opp. *Natura est principium omniũ: ergò non rectè hoc loco dicitur medium. Antecedens est Arist. secundo Physicorum.*

Resp. *Natura non hîc vt in Physicis sumitur, nam hîc pro inclinatione ad studium virtutis, & sic est medium quo apprehenditur beatitudo; illic verò pro primâ causâ, quæ in materiam & formam dinditur.*

Opp.



Opp. *Institutio vitæ plus ad efficiendos ciues beatos quàm natura aut ratio valere dicitur primo Ethicor. ergò otiosè hoc loco contrarium docetur.*

Resp. *Loquitur illic Arist. de institutione vitæ respectu inchoatæ non perfectæ, respectu simplicis non formatæ rationis, de qua solùm hoc loco disserit.*

Opp. *Formata ratio solùm nos probè scire docet: sed recta institutio docet nos probè viuere: plus ergo valet ad efficiendos ciues beatos recta institutio vitæ quàm formata ratio. Argumentum tenet, quia in efficiendis ciuibus beatis nõ tam scientia quàm vitæ integritas & iustitia requiritur.*

Resp. *Formata ratio non solùm (vt ais) nos probè scire docet, sed etiam reliquas facultates animi suo ipsius imperio subiectas ad studium virtutis trahit. Tum enim verè beati sumus cum secundùm mentem & sapientiam viuimus, vt in decimo Ethicorum & hoc loco probauit Philosophus.*

## CAP. XIIII.

*Virum sit è re ciuitatis vt iuuenes in eâ magistratus gerant?*

*An fœlicitas moris ad fœlicitatem mentis tanquam ad bonum perfectius & nobilius referatur?*

NATVRÁ (vt modò diximus) virtutis studiũ inchoat, auget disciplina, ratio formata perficit. De naturâ satis, nũc de disciplinâ & ratione agitur, idq; ordine vt vides, nam prima quæstio disciplinę vsũ, secunda rationis imperiũ & maiestatẽ continet & exponit. Vt directiùs hæc demõstret Philosophus primùm hoc fundamentum ponit, omnem scilicet disciplinam ciuilem in imperantium & parentium officio comprehendi, sic enim ait, Perspicuum est ex hac diuisione (parendi & imperandi intelligit) disciplinæ rationem pendêre, vt qualis huius quæstionis distinctio fuerit, talem ciuium disciplinam esse

Omnis disciplina ciuilis in imperantium & parentium officio comprehenditur.

Dubium.

esse oporteat. Hoc iacto fundamento resoluit dubium, quod est, An expediat eosdem semper imperare eosdémque semper parere imperio? Si inquit inter mortales alij alijs tantò animo & corpore antecellerent, quantò diues & heroas hominibus præstare virtute existimamus, tum quidem è re ciuitatis esset vt ijdem semper præessent, ijdemque perpetuò subessent imperio. Verùm quoniam hoc est inuentu difficile, vt Scylax Cariadensis author ille vetustus de regibus Indorum eligendis scripsit, vicissim ordines ac munera ciuitatis ius æquum postulantibus attribui & assignari debent. Nam vt ciues definiuntur participes consilij, iudicij, magistratus: ita in libera ciuitate aditus cuilibet ciuium ad hæc tria pateret, quod quidem fieri non potest si ijdem semper imperent, ijdemque perpetuò seruire cogerentur. Inter similes ergo & pares iustior est ac tutior imperandi & parendi alterna vicissitudo, sed ita tamen vt seniores præesse, iuniores subesse & obtẽperare discãt. Hinc prima emergit quæstio, An sit è re ciuitatis vt iuuenes in ea magistratus gerant? Quid hìc agam, quid scribam nescio: nam si iuuenes excludam, Scipionis virgulam; si verò admittam, Catonis censuram timeo: at causa non est vt mihi succenseant iuuenes si Philosophum & philosophiam sequar. Dico igitur puerilem & iuuenilem ætatem senili grauitati subijciendam esse: nam illam parere, hanc regere & imperare decet. Sed proh dolor, sunt omnia iam versa & transuersa, susq; deq; acta & transacta omnia: Appij & Catones vt cæci & delirantes senes explosi silent; noui oratores & senatores fiunt. Paris ante Nestorem iudicium dicit, sed attende, is pomum Veneri, nõ Iunoni, non Mineruę dedit: magis ergo è re Troianæ ciuitatis fuisset si pueri atque iuuenes senili imperio obtemperassent, & vt in illâ, ita in omni rectè administrata republica fieri quidem debet, quod sic paucis & compressis argumentis probo. Naturæ ordo (vt ait Philosophus) flagitat vt iuuenes sub disciplinâ senili viuant, quippe natura à minùs perfecto ad perfectum progressa iuuentutis vtile obsequium & senectutis illustre imperium docet, & sanè hoc verum est: nam

Imperandi & parẽdi alterna vicissitudo esse debet. Quæstio 1.

Iuuenilis ætas senili grauitati est subijciendà.

iuuenes



iuuenes sunt quasi teneriores plantæ, quę nè in curuum crescãt, senectutis baculo fulciri ac sustentari debent. Sapienter poeta,

*Flexilis est iuncus: salices flectuntur amarę,*
*Robora dura minus.*

Ouid. de remed. amoris.

Expedit ergo vt iuuenes ad tempus magistratu careant, ferulamq; disciplinæ prius ferant quàm magistratum gerant, sed festinat oratio. Iuuenes negantur esse apti auditores moralis Philosophię: ergo minus apti & idonei sunt vt magistratũ gerant. Præterea vt sæpè nauis aut fluctibus immersa aut scopulis allisa perit, in quâ gubernatores nauigandi imperiti sunt: ita ciuitas illa cadat necesse est, in qua inexperti iuuenes ad puppim sedent: è re ergo ciuitatis erit si iuuenes ambitiosi magistratu careant. Porrò quorsum Romani augustissimum suum regimen senatum id est quasi ex senibus conflatum concilium appellarunt, si imberbis iuuentus ad magistratus ciuiles admitteretur, cuius ratio affectio, cuius experientia cæcitas atque ignorantia & propter æstum caloris & propter defectum ætatis ducitur. Deinceps non permittitur in iustè ordinata repub. vt iuuenes creentur sacerdotes: ergo à pari non crearẽtur magistratus. Insuper natura hoc omnes docuit scilicet iuuenes esse quasi filios quorũ est obedire, & senes esse patres quos imperare docet: nõ est ergo decorum vt iuuenes magistratuum officio defungerentur in senes. Postremò omnia testimonia tam humana quàm diuina hanc rationem imperandi ac parendi laudant, damnantq; contrariam: concludam ergo illud quod sacræ me literæ docuerunt, Væ regno cuius rex puer est, væ ciuitati in qua iuuenes magistratũ gerunt. Roboam imperium concussum tum fuit, cum abdicatis senibus adolescentes consules & senatores sui regni fecit. Quoniã ergo hęc ętas sit vicina lapsibus, affectibus subiecta, implicata erroribus, rarò constans, rarò prudens, rarò experta rerũ, expedit vt potius filiorũ more senili disciplinę ad tẽpus obsequantur, audiantq; illud Ciceronis, Est adolescentis maiores natu reuereri, exq; eis diligere optimos & probatissimos quorum consilio & autoritate nitatur,

Polit. l. 7 c. 9.

3. Reg. 12.

Offici. 1.

ineuntis

ineuntis enim ætatis inscitia senum constituenda & regenda est prudentiâ. Hinc sapienter Plutarchus dixit, Iuuentus imperata faciat, senectus imperare debet. Sed vbi est (Deus bone) hæc venerabilis canicies senum? Vbi grauitas? Vbi constantia? Vbi iusta seueritas & seuera iustitia morum? Indulgentia profectò nostrorum temporum defectioque disciplinæ est salsis lachrymis deploranda, nam repuerascunt iam senes, qui etsi mortem hospitem, & sepulchrum quasi diuersorium ante oculos videant, delirantes tamen nulla iuuenibus præcepta, nulla consilia disciplinæ tradunt; obliti sunt certè id quod sapiens dixit, Qui parcit virgæ odit filium, qui autem diligit illum instanter erudit. Noli (inquit ille) subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virgâ non morietur: tu virgâ percutis eum & animam eius ab inferno liberabis, & dic mihi

Prouerb.13.

Prouerb.23.

*Quid moderata nocet pueris correctio blandis?*

Hanc ipsam disciplinam senum in iuuenes hoc loco requirit Philosophus, vt textus manifestè docet, vult enim senes præesse iuuenibus, non vt domini suis seruis, sed vt patres suis filijs imperare solent. Hoc autem (vt ait) multò faciliùs fecerint, si animos iuuenum ab amænis & vtilibus bonis naturæ atque fortunæ ad fœlicitatem moris, & à fœlicitate moris, ad fœlicitatem mentis sensim & gradatim erigant; hinc nascitur secunda quæstio, Vtrùm fœlicitas moris ad fœlicitatem mentis tanquam ad perfectius & nobilius bonum referatur? Prima ratio in confirmatione huius quæstionis à diuisione, secunda à subiecto, tertia à comparatione, quarta ab excellentia obiecti, quinta à similitudine, postrema à contrario & exemplo ducitur. Diuisio hæc est, quòd potentiarum in animo aliæ sint expertes rationis, vt vires vegetandi & sentiendi; aliæ rationis compotes, vt intellectus & memoria. Rursus partium ratione præditarum aliæ per influentiam & participationem, vt appetitus & sensus; aliæ per essentiam & constitutionem, vt mens & intellectus rationis vsum habere dicantur: appetitus enim lumen rationis, vt aer in se splendorem solis recipit,

Quæstio 2.

Rationes confirmantes.



cipit. Postremò mens ipsa quæ est nobilissima facultas & (vt ita loquar) ipsa vita animæ diuisa est in practicam, quæ actiua; & in theoricam, quæ speculatiua dicitur. His vberrimè in Ethicis & satis hoc loco explicatis sic ratiocinatur Philosophus. Fœlicitas quæ est in inferiore potentiâ animi refertur ad eam (tanquam ad perfectius & nobilius bonum) quæ est in nobiliore parte & potentia animæ: sed fœlicitas moris est in inferiore parte & potentiâ animæ nempe voluntate: fœlicitas autem mentis est in nobiliore nempe intellectu: ergo fœlicitas moris ad fœlicitatem mentis vt ad perfectius & nobilius bonum refertur. Secunda ratio à subiecto sic se habet. Mens quæ est pars diuinissima animi secundùm essentiam suam est subiectum theoricæ beatitudinis: ergo ad eiusdem fœlicitatem, alia omnia bona tanquam media ad suum finem bonumque perfectius referuntur. Tertiò hoc ipsum à comparatione rerum sic probo. Fœlicitas ea, cuius dextra est prudentia, refertur ad illam vt ad perfectius nobiliusque bonum, cuius splendor in sapientiâ ponitur: sed fœlicitas moris in prudentia, fœlicitas autem mentis in sapientia versatur: ergo fœlicitas moris ad fœlicitatem mentis tanquam ad perfectius nobiliusque bonum refertur. Nam vt sapientia diuinior est virtus quàm prudentia: ita fœlicitas mentis excellentior est eâ quæ solùm prudentes facit. Quartò obiectum theoricæ fœlicitatis est ipse Deus, qui est prima veritas: ergo fœlicitas moris, cuius obiectum est virtus moralis ad eam vt ad perfectius & diuinius bonum refertur. Quintò vt bona vtilia & necessaria sunt propter bonum honestum, vt negotia propter otium, bella propter pacem: ita actio illa in virtutibus moris posita propter æternam contemplationem sapientiæ in virtutibus mentis constitutam acquiri & comparari dicitur. Postremò errarunt respublicæ illæ quæ sic præcepta ac instituta disciplinæ tradiderunt vt spem, florem ac segetem ciuitatis ad alium finem ac bonum quàm ad fœlicitatem & quietem mentis allicerent: ergo omnia bona (sint

illa

illa naturæ, corpore aut moris) ad hoc diuinissimum bonum mentis vt ad vsum perfectissimum finem traherentur. Antecedens in textu probatur ab exemplo Lacedæmoniorum, qui suam iuuentutem ad martem ac rem militarem tanquam ad summũ bonũ ciuitatis educârunt. Sed istũ errorẽ in textu hoc modo refellit Philosophus, ista inquit laconicè institutio vitæ non est recta, primùm quia finem potiùs vtilem quàm honestum proponit, secundò quia bene esse ciuitatis non respicit, tertiò quia vim potiùs in seruos quàm in liberos imperium arguit, postremò quia bellum omnia iura diuina & humana peruertit, nec non sæpe perniciem ciuitatibus (in quibus exercetur) adfert, vt ipsis Lacedæmonijs (qui ducuntur in exemplum) & posteà Romanis contingit, arma enim quæ non habent hostem, sæpissimè in ciuem conuertuntur, præsertim quidem in illis ciuitatibus in quibus Mars deuotiùs quàm mentis beatitudo colitur.

Error Lacedæmoniorum quatuor rationibus refellitur.

## Distinctio.

- Quæstiones huius cap. sunt, an
  - Iuuenes gererent magistratus? Probatur (si attendas) quòd non gererent,
    - A comparatis,
    - A naturâ ipsâ,
    - A minore,
    - A simili,
    - Ab exemplo,
    - A pari,
    - Ab officio senum,
    - A testimonio.
  - Moris felicitas ad felicitatem mentis referatur? Hæc autem elucescit in argumentis à
    - Diuisione,
    - Subiecto,
    - Comparatione,
    - Ab excellentiâ obiecti,
    - Similitudine,
    - Ab exemplo.

Opp. *Præfectura belli est magistratus: sed ad hoc officium Aristoteles antea iuuenes eligendos esse putauit: ergo iuuenes possunt magistratum gerere.*

Resp. *Iuuenem ætate non moribus illic intelligit. Aliter etiam respondeo illic de communi ciuitatis formâ, hîc de Eutopia & exemplari*



*emplari optimæ (vt ita dicam) ciuitatis ideâ Aristotelẽ disputare, in illa iuuenes cum senibus, in hac tantummodo senes munera reipublicæ tenent.*

Opp. *Ere magis est ciuitatis vt illi tenerent magistratus qui & ingenio possunt administrare rectè, & natura subsidio viribusq; corporis res arduas perficere: sed tales sunt iuuenes: ergo è re ciuitatis esset vt magistratus gerent. Maior constat, quia vnitum bonum melius simplici. Minor probatur exemplis Cæsaris, Hannibalis, Scipionis, aliorumq; sexcentorum, qui mille Catones & Appios superarunt.*

Resp. *Cum iuuenes à magistratibus exoludit Philosophus, non omnes vt quidam volunt, sed solum inexpertos rudesq; rerum excludit. Alij verò dicunt non tam acre ingenium (quod iuuenibus facilè concedunt) quàm graue consilium (quod tantum senibus attribuunt) ad gubernandam nauem ciuitatis requiri. Postremò exempla ista non vrgent, quia in campo solùm furiosi martis non in statu optandæ pacis istorum ætas probata fuit.*

Opp. contra secundam quæst.

Opp. *Duæ primæ rationes quibus probatur quòd felicitas moris sit ad felicitatem mentis referenda omnino coincidunt: ergo ineptè distinguuntur. Antecedens patet, quia si attendas, vtraq; ratio à nobilitate subiecti nempe mentis humanæ trahitur.*

Resp. *Erras, nam prima ratio à diuisione ducta existentiam, secunda à subiecto diuinam essentiam mentis respicit & proponit: existentia enim ad alias potentias relationem, essentia verò ipsam mentis constitutionem absolutè continet.*

Opp. *Felicitas moris ad felicitatem mentis, vt ad bonum perfectius & diuinius refertur: ergo felicitas moris non est summum bonum, quod est contra Arist. in primo Ethicorum. Argumentum cõstat, quia si vlterius bonum habeat idq; in essentiâ boni, vt hîc defenditur, necesse est vt fateamur illud non esse supremum vltimumq; bonum.*

Resp. *Ratio ista non tenet, quia respectu tantùm moralium actionum felicitas illa actiua, respectu autem intellectualium felicitas hæc contemplatiua summum bonum dicitur. Potest ergo rectè & sapienter illa dici vltimus finis ac summum bonum in compara-*

*tione earum actionum quas claudit, quales sunt moris: sed non in comparatione actionum quas incipit, quales sunt mentis, quæ sola vi sapientiæ perficiuntur.*

## CAP. XV.

*Virùm in bello fortitudo & constantia, in pace philosophia, in utroq; temperantia & iustitia virtutes sint necessariæ?*

*An in disciplinâ ac institutione vitæ prior corporis & appetitus quàm mentis & rationis cura haberi debeat?*

DEmonstratum iam satis est bellum ad pacem, negotium ad otium & quietem animi, necessaria & vtilia ad honesta, partem animi rationis expertem ad partem rationis compotem, mentemque actiuam & practicam ad theoricam & speculatiuam, hæc omnia & singula ad Deum referenda esse. Pulcherrimus est hic ordo rerum optimique gradus actionum: nunc restat vt propiùs ad disciplinam ac institutionem vitæ explicandam veniamus, vtque dicamus quæ virtutes in bello, quę in pace, quæ in negotio, quæ in otio & placato statu ciuitatis requirantur. Tota enim vita (vt hic docet Philosophus) diuisa est in otium & negotium, in bellum & pacem, ad quas partes omnis institutio ciuilis vitæ legumlatorum iudicio ac prudentiâ magistratuum accommoda erit. Belli (vt alibi diximus) triplex finis est, ne alijs seruiamus, vt imperemus alijs ad ipsorum bonum, vt cogamus eos seruire quos seruire lex æqua naturę iubet. In summa, bellum propter pacem, & acris medicina propter sanitatem suscipi & adhiberi debet. Belli virtutes duæ sunt, fortitudo & constantia: fortitudo vt animosè & prudenter, constantia vt studiosè & perseueranter res arduas & periculosas suscipere, susceptas peragere & sustinere queas: si desit fortitudo temeritas, si desit constantia ignauitas & fuga in re militari confundent omnia.

Quæstio 1. Vita tota in otium & negotium, in bellum & pacem diuisa est.

Belli finis triplex est.

Belli virtutes duæ sunt.

Quocirca



Quocirca (inquit Philosophus) ciuitatem conuenit esse fortem & patientem laborum, iuxta id quod est in prouerbio (Non est otium seruis.) Rationem addit, quippe qui fortiter periculum adire non audent, eorum qui inuadunt & superant iustissimè serui esse debebunt. Virtus pacis hoc loco vna sola à Philosopho nominatur, nimirum philosophia, sed vna hæc talis est sub quâ omnia arcana naturæ & oracula sapientiæ continentur. Quid enim aliud est philosophia quã rerum tam humanarum quàm diuinarum augustissima scientia? dic sodes, an velis omnes & singulos ciues in pace Philosophos esse? ridiculè: hoc tamẽ in votis est vt omnes & singuli philosophentur ciues. At quî fieri id potest si non sint Philosophi? Facilè, si vitâ & moribus philosophiæ præcepta discant, atq; præscripta sapientiæ seruent. Aliud est studere philosophiæ, vt eam doceas; aliud eandem discere, vt iustè & sapiẽter viuas; viuere enim est probè philosophari, at quoniã hoc ipsum id est iustè viuere in pace & rebus secundis est difficillimum, vt hic ait Philosophus, philosophiam hîc pacis solam virtutem nominat. Quid? an pax tum philosophiæ nutrix est? O vtinam esset, nam si esset, ignorantiam, superbiam, licentiam vitæ, aliaq; portenta ac monstra temporum non peperisset: mirum hoc est sed verum paradoxon, pax saginata philosophiam mendicantem reddit. Attamen vt sole sublato tenebræ, ita philosophiæ studio extincto rerũpublicarum sequuntur ruinę; quippe in hoc studio est asylum pacis, sapientiæ lumen, ordo vitæ, institutio morum, legum anima, scientia rerum, splendor hominis, gloria & honor ciuitatis. Quamuis ergo pax diuturna filia ingrata est, philosophia tamen paci mater benigna est, eamq; conseruat diutissimè. Aliæ duæ virtutes quæ in vtroq; id est in pace & bello requiruntur sunt tẽperantia & iustitia; virtutes dixi? Virtutum gemmas dicerem, in quibus candor vitæ cernitur, & in quibus cardo ciuitatis voluitur. Est enim temperantia casta Diana morũ, est verò iustitia sapiẽs Minerua legum. At dices in bello violantur leges, mactantur ciues, virgines, matronę, coniuges vitiantur: quæ ergo in bello temperantia? Quæ

Pacis virtus vna.

Pax saginata Philosophiam mendicantem reddit.

Philosophiæ encomium.

Virtutes bello & paci necessariæ.

æquitas & iustitia inest? Non de facto sed de iure nunc quæstio est: fatemur quidem Marcum Antonium fuisse incastum, fuisse iniustum; sed Scipio & Hannibal seueras leges belli castissimè obseruârunt. Quæ enim vis Martis esse potest, si Veneris turpitudine elumbetur homo? Quæ fortitudo militis, si iustitiæ regulis non dirigatur actio? Verùm etsi hæ duæ virtutes sint & ad bellum & ad pacem necessariæ, magis tamen cum studio philosophiæ coniunctæ in
» pace & otio requiruntur. Nam bellum (vt hic ait Philo-
» sophus) iustos & temperantes esse cogit, rerum verò se-
» cundarum tranquillitas ac iucunditas, otiumque cum pace
» coniunctum petulantes & contumelioſos reddit. Plurimùm igitur opus est philosophiâ, iustitiâ, ac temperantiâ ijs qui in insulis (vt aiunt) fortunatis viuunt, quique omnibus potiùs fruuntur quàm vtuntur bonis, quæ nos beatos videntur efficere. Nam cum ridet fortuna sæpè in præcordijs venenum gerit, vitrea enim est & cum splendet frangitur, cum inquam omnia prosperè ac fœliciter nobis succedere & euenire videntur, si philosophia, si temperantia, si æquitas & iustitia desint, necesse est vt declinent omnia. Bellum flagrũ est quo pellimur ad officium, & ipse Manasses in vinculis exclamat, miserere; cęterùm in rebus prosperis, in pace, in plenitudine panis cum Iobi filijs supini & incauti sed periculosè ludimus. AEgrotis sępè ante mortem contingit leuamẽ sine ratione, ęgrotus iã mundus est & senio propè confectus, nutat capite, delirat animo, & non aliter quàm lux lucernæ oleo deficiente languet; terræ motibus, signis, prodigijs, præmonstrantibus futurum malum credere noluit Ierusalem donec circumcincta ab hoste & percussa perijt. Quid? Nonne terra cõtremuit? Nonne apparuerunt portenta? Nonne comẽtæ prędixerunt mala? Fac Christe bone vt non ægroti leuamen sine ratione, vt non securi hostem sine cautione sentiamus, fac vt in pace philosophia & amor sapientiæ, fac vt iustitia & temperantia in ciuitate viuant. Has, vt ratione ab exemplo in textu probat Arist. neglexerunt Lacedęmonij solùm Martis virtutes amplexi & admirati, sed ob

Fortuna cum ridet in præcordijs venenum gerit.

Bellum flagrum est quo pellimur ad officium. Paralip. 33. Iob cap. 1.



ob hanc solius causam præmaturâ veluti morte imperium illud extinctum & deletum fuit. Superest nunc vt de modo & ratione acquirendi istas virtutes disputem nec non exponã, An in institutione ciuiũ à corpore vel animo colendo primũ incipere debeamus? Nam (vt hìc docet Philosophus) duplex est ciuium habenda cura, vna circa corpus, altera circa animum: in curâ corporis sunt considerandæ duo, generatio & naturalis educatio. Magistratuum inquit interest à principio præuidere vt ciuium corpora bene generentur, & generata parentum & nutricum industriâ aptissimè ad virtutem veluti ad diuinam hospitem recipiendam confingantur. Secunda hinc quæstio est, an in disciplinâ ac institutione vitæ prior corporis & appetitus quàm mentis & rationis cura habenda sit? Vt verbo concludam omnia, cura magistratus in disciplinâ ciuium duplicem respectum habet, vel intentionis, & sic primùm mentem & rationem: vel actionis, & sic primùm corpus & appetitum fingere & formare debemus. Est enim mens forma & finis corporis, est corpus vera materia & quasi sphæra mentis: sed finis est primum in intentione, materia autem est primum in actione naturæ: prior ergo corporis & appetitus quàm mentis & rationis in practica institutione vitæ ratio haberi debet. Nam vt artifex primùm materiam operis comparat tum formam, tametsi hanc priùs quàm illam in intentione habuit: ita magistratum primùm corporis & appetitus curam gerere oportet, quamuis illa nempè corpus & appetitum ad rationem & mentem referat. Videtur quidem hoc ipsum naturæ ordo postulare, nam quoniam in vtero matris prius internè formatur corpus quàm anima accedit: ita ex imitatione naturæ externa institutio fieri debet, vt prior corporis quàm mentis cura habeatur. Absurdum enim est si vsum rationis & mẽtis in crepundijs fascijsq; vagientium infantulorum quæras: apprimè ergo vtile erit si vt ceram ad sigillum, ita corpus ad animum fingere & efformare contendas, & sanè plurimùm prodest ad acquirendam virtutem talis corporis præparatio. Nam virtutes animi sequuntur temperaturam corporis: hinc

Ciuium cura duplex est habenda.

Quæstio. 2.

Cura habenda prior vel intentione, vel actione.

illud, Digna est species quæ imperet; & hoc si placet, caue-
te ab illis quos signauit natura: lac malum & sæpè atros mo-
res, lac etiam dulce & bonos mores ex mamillis maternis
& nutricum sugimus. Nega si potes, nonnè melancholici
solertes, nonnè phlegmatici otiosi & socordes, nonnè ira-
cundi cholerici, nonnè sanguinei Veneris alumni fiunt? sed
complexio in ipsa infantia arte, vsu, dieta mutari, corrigi &
temperari potest: corporis ergo cura & diligens præparatio
inprimis adhiberi debet, vt anima sedes illustrior virtutis &
sapientię fiat. Postremò quoniam corpus origine prius ani-
mâ est, & appetitus mente; quoniamq; affectus (vt ira, ardor
animi, dolor & cupiditas) in pueris statim in lucem editis in-
sunt; necesse est vt illorum id est corporis & appetitus prima
cura habeatur, ne illorum malis affectionibus mens & ratio,
vt sol & luna nubibus obscurentur. Nihil hîc dicam de vsu &
exemplis maiorum, qui vt passim narrant historiæ omne stu-
dium & cogitationem eò contulerunt, vt corpora infantium
aptissima animorum organa & domicilia fierent: hinc grauẽ
pœnam apud Cretenses & Romanos illi parentes & nutri-
ces subierunt, quorum liberi per incuriam educationis in-
signem aliquam deformitatem corporis habuerunt.

Distinctio.

Quæstiones duæ sunt, quarum
- Prima docet quòd requirantur in
  - Bello fortitudo & constantia propter honorem ciuitatis.
  - Pace philosophia propter institutionem ciuis.
  - In vtroq; temperantia & iustitia propter cultum virtutis & obseruationẽ legis.
- Secunda docet, quòd prior corporis & appetitus quàm mentis & rationis cura sit adhibenda, huius thesis argumenta ducuntur à
  - Fine,
  - Simili,
  - Vsu naturæ,
  - Tempore,
  - Probabili,
  - Ortu priore corporis,
  - Exemplis maiorum.

Opp. *Bellum (vt ait Seneca) est inimicum virtuti: ergo in bello non requiruntur virtutes. Præterea in bello cogimur omni horâ mutare sententiam: ergo ad bellum gerendum potius solertia quàm constantia est necessaria.*

Resp.



Resp. *Primum argumentum nego, nam quoniam bellum est infestum virtuti, ideò magis non minus requiruntur virtutes, ne atrox, crudele, & iniustum fiat. Ad secundum respondeo quòd etsi occasione in bello sapissimè mutetur sententia, constantia tamen vt in bono proposito perseueremus magis quàm solertia requiritur: nam illa facti, hæc virtus ingenij dicitur, solers enim est qui citò optimũ medium inuenit, & constans qui animo se medium inuentum agit.*

Opp. *Ridiculum est omnes ciues Philosophos optare, nam tum quis terram coleret, oneraq; reip. sustineret? ergo inepte hîc videtur Arist. constituere vt philosophia sola in pace ciuili viueret.*

Resp. *Philosophiam naturalem aut moralem omnes ciues in pace & otio discerent, vt vel naturæ arcana sciant, vel morum præcepta teneant: & sanè hoc modo omnes ciues Philosophos optare non est absurdum.*

Opp. *Leges silent in bello: ergo in bello non requiritur iustitia, quæ est legum domina & interpres.*

Resp. *Est iustitia legalis, quæ silet: est verò ius gentium & iustitia naturalis, quæ in bello loquitur.*

Opp. contra secundam quæst.

Opp. *Mens est dignissima pars hominis: ergo eiusdem prima adhiberi debet cura.*

Resp. *Verum est si ordinem dignitatis non naturæ, si intentionem non actionem spectes.*

Opp. *Mens corpus & appetitum regit: ergo eiusdem in institutione vitæ prima habenda est ratio. Antecedens est Arist. hoc loco & in decimo Ethicorum. Argumentum probatur, quia imperantis prior quàm parentis habenda est cura.*

Resp. *Hæc quoq; vera sunt si dignitatis, non si naturæ & temporis rationem spectes.*

Opp. *Mente Deum colimus: ergo eiusdem primam curam habere oportet. Ratio probatur, quia Dei cultus eumq; colendi modus omnibus rebus naturâ, tempore, & dignitate præferendus est.*

Resp. *Non hîc negamus quin mentis & rationis prima sit adhibenda cura quoad intentionem, non tamen quoad opus & actionem; mentis enim institutio deiq; cultus primùm intenditur, at corporis prima cura adhuc non lucente ratione ac mente adhibetur,*

*hoc ideò ſit ne, cum animus luceret, obrutus in malè formato corpore vt in ſepulchro iaceat.*

## CAP. XVI.

*Vtrùm liceat in bene adminiſtrata repub. pueris & adoleſcentibus vxores ducere?*

*Vtrùm ad vitandam nimiam multitudinem ciuium liceat abortum facere?*

Summa capitis in ſex conſiſtit.

SEX in hoc capite demonſtrantur, nempe ætas contrahendi matrimonij, qualitas contrahentium, prægnantium cura, expoſitio infantium, tempus generandi, adulterij pæna. Vt ordine hæc ſingula percurram, animaduertendum id eſt quod modò dixerim, nimirum optimam diſpoſitionem corporis (cuius partes ſunt inſtrumenta animæ) plurimùm ad honeſtos & candidatos mores efficiendos valere; nam quantò organa ſunt aptiora, eò animus (dum eſt actus corporis) liberiùs & ſplendidùs agit. Vt enim Cytharædus qui lyram bene ſonantem habet, ſuauiùs aſtantium aures demulcet, qui verò diſcordem & malè ſonantem habet abſurdiùs videtur agere: ita animus, qui harmonicè quaſi diſpoſitis membris, partibus corporis vtitur, magis ſplendeſcit quã qui in trunco & ſimulachro corporis ſepelitur. Vtique igitur legumlatoribus corporis eò vſque dum cura habenda eſt, donec per eiuſdem figuram ac diſpoſitionem futura Platonis indoles à zopiro in ipſis crepundijs indicetur. Verùm cum hoc fieri non poſſit commodè, niſi generantium ac genitorum diligens & accurata habeatur ratio; proximè de coniugio (quod eſt ſacra & individua viri cum fæminâ conſociatio, ad generationem prolis, ad conſeruationem domus, ad ſolatium vitæ) agitur. Hinc orta eſt quæſtio, an liceat adoleſcentibus vxores ducere? In hac theſi ſpectantur duo, tempus

Quo organa ſunt aptiora eò animus liberiùs agit.

Coniugium quid ſit.

Quæſtio 1.

&



& actus matrimonij: de tempore primùm generatim, tum ſpeciatim & diſtinctè diſſerit Philoſophus; generatim quòd fieri debeat opportunè & accõmodatè ad naturam, ſpeciatim quòd ante certam ac definitam ætatem coniugium non fieret. Generatim ſic agit, coniugium eâ ætate iniri debet qua vir generare & vxor concipere quidem poteſt: ſed non in quacunque ætate hoc fit: ergo in ætate certa & definita cõiugium fieri oportebit. Si enim ætatum magna ſit diſſimilitudo veriſimile eſt quòd magna etiam futura ſit inter virum & vxorem diſſenſio, quæ nè fiat magiſtratus ſedulò ac diligenter præcauere debet: veruntamen hoc malum vitari non poteſt ſi opportunum tempus celebrandi nuptias non aſſignetur. Præterea cum liberorum futuræq; ſobolis maxima habenda ſit cura, non liceret cuiuis quauis ætate ad libitum vxorem ſumere: ſi enim ſit inter genitos & genitores nimia ætatum diſtantia, ceſſabit officium; ſi verò ſit nimia propinquitas, omnis reuerentia in parentes tolletur: quippè liberi prope æquales cum parentibus ætate inſoleſcere & intumere ſolent, proq; cenſoribus ſuorum parentum haberi volunt: eſt ergo ſtatuenda ætas in qua coniugium inire liceat. Inſuper prouidere oportet vt corpora genitorum animæ potentijs vel in ipſa infantia coaptentur: at vt hoc fiat, expedit quidem tempus præſcribere in quo vir & fæmina coniungantur: haud parùm enim proficit ætas congrua ad producenda corpora temperata aptaq; ad liberam ſeruitutem & obſequium animæ. Sed quæ tandem eſt iſta ætas? Quod tempus ducendi vxorem? Legiſlatorem agit Philoſophus aitq; virũ ad ſeptuageſimum, fœminam ad quinquageſimum annum ætatis ſuæ à generatione declinare, ac proindè à nuptijs niſi conſolationis cauſâ vtrumq; abſtinere iubet. Sed Deus bone, quot hodie curuos & decrepitos ſenes in amplexibus & vlnis Laidum inuolutos vbiq; videas? Natura illos ſpadones fecit, & tamen (vt loquitur propheta) viſâ puellâ hinniunt, & quamuis in cymba Charontis vnum pedem habeant, de Helena cogitant & loquuntur. O quàm indecora res eſt & impia, delirãtes ſenes cum oculis cæcutiãt, cum

Tempus & actus matrimonij.

Tempus generationis in viris ad ſeptuageſimum, in fæminis ad quinquageſimum annum perdurat.

careant dentibus, cum ex naribus & ore pus & spumam ætatis mittant, cum manibus tremant, cum vacillent pedibus, cum totis naturę viribus deficiant, de sponsâ & libidinosâ venere somniare? Natura hoc in belluis semper abhorruit, sapientia maiorum hoc semper prohibuit. Quid ergo, an adolescentulis liceat vxores ducere? Nè illud quidem licet. Dic causas. Dicam. Si placet argumenta confice. Conficiam; sunt ergo argumenta quatuor quæ hanc causam probant, primũ à comparatione, secundum ab effectu, tertium à testimonio & exemplo, postremum à tempore & opportuno ducitur. A comparatione, quia sic est in hominibus quoad appetitum coniunctionis vt est in belluis: sed si in teneriore ætate belluæ congrediantur, imperfecti nascuntur fœtus, sæpiusque fœminæ quàm mares: ergo idem contingeret in ciuitate si adolescentuli vxores ducerent. Ab effectu, quia hoc posito quòd adolescentibus liceat vxores ducere, necesse est vt quantò virtus generandi sit imbecillior, tantò dolor pariundi sit acrior & laboriosior, immo hinc nani & perpusilli homunciones nascuntur, hinc (quod modò diximus) genitores ac geniti propè æquales fiunt, hinc circa administrationem familiæ oriuntur querelæ, hinc accretio & augmentatio corporũ iuuenilium tollitur, hinc fœminis crebriùs quàm maribus procreatis spes belli & superandi hostis penitùs deletur, hinc abortus, hinc mutilati, hinc mõstra, hinc alia sexcenta mala euenta fluunt. Argumentum à testimonio oraculi diuini narrationem habet, nempe quòd Trœzenij (cum multæ mulieres apud eos partubus interirent) oraculo consulto intellexerint Dei iram in Trœzenios antè non posse placari quàm fructus seriùs Deus ipse perciperet: quod oraculum de immaturis nuptijs & nimis festinatâ filiorum procreatione magi exposuerunt, legeq́; hinc factâ (quâ adolescentes à connubijs pellebantur) tabes seu contagio penitus euanuit. Humana testimonia infinita sunt, Aegyptiorum, qui non ante triginta; Lacedęmoniorum, qui non ante triginta quinq;; Romanorum, qui non ante triginta septem suos adolescentes ducere permiserunt. Postremò à tempore opportuno

Adolescentulis non licet vxores ducere.



tuno ratio sic se habet, non conuenit mares aut fœminas alligare nuptijs nisi in ea ætate in qua vtriusq; vires corroborantur: sed ętas ea in fœminis, vicesimo secundo; in maribus, tricesimo septimo secundũ Philosophũ definitur: ergo ante id temporis ducere non liceret. Cæterũ pace Philosophi dicã quod cẽseo, nẽpe quantũuis eo sęculo in quo ipse vixerit, adolescentia firmior & diuturnior fuerit, nunc tamẽ in occasu mundi, cũ omnia velociùs consenescant, citiùs ducendum esse puto: viris ergo circiter trigesimũ, fœminis circiter vicesimum ętatis annũ matrimoniũ contrahere liberũ licitumq́; esto: sic erit ęqualitas quodãmodo temporis, cum si attẽdas, fœmina citiùs per quoddã spatium à conceptione quã vir à generatione cesset & deficiat. Huc addi potest quòd lex ista plurimũ conferat ad temperantiã & experientiã; ad temperantiã, quia adolescentiores vsu Veneris præmaturo fiunt libidinosi; ad experientiã, quia sedatis affectibus ratio magis & prudentia in hac ætate viget. Ex parte liberorum aliud argumentũ addit Arist. scilicet quòd (si non ante hoc tempus animos ad nuptias homines appellant) futurũ sit vt ciues lõgè robustiores corpore & animo vigetiores nascantur, maximè si parẽtes tempus & modũ Veneris, si victus rationẽ & religionẽ obseruent parentes: tempus huic rei aptum hiemẽ potiùs quàm æstatem, ver potiùs quàm autumnũ, noctẽ potiùs quã diem, mane potiùs quã serò, post concoctionẽ potiùs quã statim à cibo, spirante boreâ potiùs quã austro, hîc & alibi præscribit Arist. Modus est vt rarissimè congrediamur, nam excessus vires eneruat, exhaurit semen, accendit renes, consumit spiritus, ingenium tollit, pestem, tabem, morbũq́; Gallicum (vt aiunt) gignit. Quid multis? Ipsum sepulchum mortemq́; præmaturam adfert. Victus ratio neq; athletica, neq; nimiũ tenuis & parca esse debet: illa enim violenta est, & laboriosum efficit partũ, hæc nimis infirma & valetudinaria periculosum sæpè minitatur aborsum: præscribit ergo Arist. vt mulieres grauidę & pręgnantes curã suorũ corporũ habeant, vt se desidiæ non dedant, vt se mediocriter moueant, vt deniq; alimentum non nimis tenue & subtile edant,

Viris circiter 30. fœminis verò circiter vicesimum annum ætatis nubere licebit.

Tempus veneris,

Modus eiusdẽ.

Victus ratio in grauidis.

Religio

Religio parentum.

Religio quam hîc requirit Philosophus superstitio est, nimirum vt ad quotidianum cultum venerationemq́ue deorum eorum se conferant, quibus forte obtigit gignendis animãtibus imperare, quales olim fuerunt Castor, Pollux, Iuno & Lucina. Loquitur Philosophus cũ poetis, sed intelligit vnius Dei numen inuocandum esse, vt patet in omni loco vbi de Deo ex instituto agit. Sequitur altera pars capitis, in qua alia mouetur quæstio, nempè, an liceat ad vitandam nimiã multitudinem ciuium abortum facere? Præmonendus est hîc lector diligens, quòd Philosophus hoc loco de exponẽdis mutilatis, & de abortu faciendo non secundùm suam ipsius sententiam loquatur (vt diuus Thomas ait) sed secundùm morem & institutionem quarundam gentium; quæ, ne multitudo ciuium in infinitum cresceret, barbarè & inclementer membris orbatos eijcere, abortionesq́; crebriores facere solebant: si enim secundùm suam opinionem locutus fuisset, quorsum alia remedia longè istis humaniora addidisset? Exempli causâ, in subsidium aliorum principum, vt minuatur numerus, ciues mittere; senesque atq; alios permultos à nuptijs celebrandis cohibere. Vt ergo rẽ breuiter perstringam, dicendum est mancos & orbatos membris non exponendos, neq; abortiones vllo modo faciendas esse: primum negat parentum affectio, quę sæpissimè in imperfectos ardentiùs transit: alterum natura, ratio, religio negant, quia abortum facere est homicidium cõmittere. Quid enim aliud est abortio quàm embrionis aut infantis in vtero matris truculenta occisio? hæc autem sic probo. Contra naturã est abortionem facere: ergo facere non licet. Antecedens probatur, quia vitam sine lege per vim extinguere est contra naturam: sed infantulum in vtero matris dormientem colocynthide occidere est vitã sine lege per vim extinguere: ergo abortionem facere est contra naturam. Prætereà hoc facere est contra rationem: ergo facere non licet. Antecedens constat, quia ex iure mulier quæ visceribus suis vim intulerit, quô partum abigat, morte punitur: quã quidem seueram pœnam lex non præscripsisset, si ratio horrendum

Quæstio 2.

Neq; membris orbati sunt exponendi, neq; abortiones faciendæ. Argumenta quibus probatur non licere.

Leg. si mulierẽ 8. ad L. Corn. de sicarijs & L. Cicero. 39. de pœnis.



dum hoc facinus esse non persuasisset. Est quoque hoc scelus contra humanitatẽ: ergo nõ est inter homines tolerandũ. Antecedens patet, quia nihil est immanius quàm infanti naturæ castris obuallato vitam tollere; si enim peccatum sit virum, qui potest obsistere, vi & armis inuadere; quanto atrocius flagitium est innocentem in vtero matris adhuc palpitantem obtruncare? Postremò est contra religionem: ergo non licet. Antecedens probatur in textu his verbis. Quid pium « ac religiosum sit? Quid non sensu vitaq́ue circumscriptum « ac definitum erit? Quasi dixisset Philosophus, impium ac « contra religionem est vitâ ac sensu prẽditum infantem tollere; satis si addam illud (non occides.) Sed eheu qualia sunt tempora in quibus viuimus? Quot virgines stupratæ, quot coniuges adulteræ, quot vbique meretriculæ mercedi expositę sabinã & colocynthidem bibere didicerunt? Paucæ admodum partem mandragoræ cum Rachel, vt fiant fæcundiores; petunt; sed nimis profectò multæ pilulas fætidas sumunt vt grauidæ factæ abortionem faciant: sed quid nunc queror, præsertim cum

Genes. cap. 30.

Iuuenal satyr. 6.

*Multis digna quidem res & laudanda videtur*
*Alterius lectum concutere atq; thorum?*

Vbi vbi lex tua Cęsar, cũ vbiq; Aegystus adulter, vbiq; Tarquinius superbus, vbiq; iudices & sacerdotes luxuriosi viuãt?

*Ah Venus ad nutum trahis omnia, seu magis vrges,*
*Tu fera, tu caca, tu caci ianua lethi,*
*Corpora tu maculas, animas in tartara mergis.*

Concludam iam tandem cum Arist. quoniam inquit ætas conciliandi nuptias & tempus operam dandi liberis definitum est, suademus vt senio & morbis confecti à coniunctione nuptiali desistant, vtq; adulteri omnesq; qui veneris insidijs student pro sceleratis ciuibus habeantur; audite Philosophum ipsum loquentem. De concubitu inquit viri cum « aliâ fœminâ, aut fœminæ cum alio viro, esto absolutè turpe « & flagitiosum alium aut aliam vlla ratione vlloq; pacto tan- « gere videri, cum & est & appellatur coniux. Cum hoc doce- « as sapiens Philosophe non credo te Phrynen meretricem

vn-

vnquam iniustè tetigisse, eamq; secum in vlnis & amplexibus volutasse.

Distinctio.

Probatur In hoc Capite quòd non liceat
- Adolescentulis vxores ducere à
  - Comparatione aliorum animantiũ,
  - Ab effectu doloris & periculi in partu,
  - Testimonio oraculi,
  - Tempore opportuno ducendi,
  - Commodis & incommodis quæ iueniles nuptias sequuntur.
- Abortionem facere, quia hoc est contra
  - Naturam, quæ abhorret.
  - Rationem, Religionem, Humanitatẽ, } quæ prohibent.
  - Iustitiam, quæ hoc facinus seuerè castigat.

Opp. *Matrimonium est de iure naturali: ergo nulli ætati negaretur. Antecedens patet in primo Politicorum vbi docet Arist. hominem esse animal ciuile appetens naturaliter societatis coniugalis. Ratio probatur, quia quod insitum est à naturâ cuilibet ætati conuenit, & per consequens adolescentiæ.*

Aliquid conuenit naturaliter vel inchoatè vel completè.

Resp. *Aliquid conuenit naturaliter duobus modis, aut inchoatè vt virtus, aut completè vt sensus homini: primo modo matrimonium est de iure naturali, quare non est necesse vt omni ætati competat, nam id solùm omni tempore conuenire dicitur, quod absolutè & completè conuenit.*

Opp. *In adolescentia est maxima vis caloris & robur naturæ: ergo connubium licitum esset adolescentiæ. Antecedens probatur, quia in adolescentia est duplex calor, & ad nutritionem & ad augmentationem corporis.*

Resp. *Maxima vis & robur naturæ potiùs in iuuentute est quàm in adolescentia: nam etsi duplex calor inesse videatur adolescentulis, duplicem tamen habet finem, nempè nutritionem & augmentum, quæ duo præmaturâ venere & nuptijs plurimùm impediuntur.*

Opp. *Multi castè & temperanter viuere non possunt in ardore adolescentiæ: ergo illis saltẽ tædas nuptiales accendere permitteretur, zonãq; virginalẽ vt aiunt soluere. Antecedens constat, quia donum*



*num castitatis non omnibus datur, nam omnes non capiunt verbum hoc, vt ait Christus. Ratio tenet, quia melius est nubere quàm vri.* Matth. 19.

Resp. *Omnes non capiunt verbum hoc, non dicit saluator (inquit diuus Chrysostomus) non possunt capere, sed non capiunt, hoc est non quòd non possint sed quòd non velint, petentibus enim gratiam non denegatur gratia: si remedia huius ardoris ab Aristotele petas primo Ethicorum abstinentiam à cibo, castigationem corporis, leges seueras ciuitatis tradit, quibus si addas orationẽ ad Christum Atreus & Aegysthus à scelere abstinere possunt.*

Opp. *Matrimonium est medium castè viuendi: ergo ab eo nulla ætas cohiberi debet.*

Resp. *Est matrimonium res quidem honorabilis, iusta & pia, est quoq; medium castè versandi cum gratâ & fideli sociâ vitæ, sed hoc adde si secundùm ordinem & præscriptum iustitiæ suscipiatur.*

Opp. contra secundam quæst.

*Non est contra naturam excrementum naturæ expellere: sed fœtus vitæ, motus, & sensus expers est excrementum naturæ: ergo fœtũ expellere non est contra naturam. Minor constat, quia fœtus adhuc motus, vitæ, & sensus expers est nihil aliud quàm menstruorum saccus, vt medici definiunt.*

Resp. *Primùm nego conceptum semen esse sine motu, vitâ, & sensu: tum dico tametsi actu hac non inessent, quoniam tamen natura ad ea tendit, contra naturam esse tam excellens naturæ opus destruere ac impedire, neq; est fœtus solùm menstruorum saccus, cùm semine concepto formalis & actiua potentia insit.*

Opp. *Minus malum est eligendum, nè sequatur maius: sed minus est malum abortionem facere quàm ciuitatem nimia turbâ & multitudine opprimere: ergo licet abortionem aliquando facere.*

Resp. *Minus malum est eligendum, si maius, quod inde sequitur, honestis modis euitari non potest: sed nimiam turbam ciuium alijs honestis modis diminuere licebit, exempli causâ, si adolescentes, pauperes, senes, infirmi, serui à connubijs arceantur, si matres suos ipsarum infantulos enutrire cogantur, si in subsidium aliarum nationum ac principum ciues confertim transmittantur, aut denique si Theophili in exemplum castitatis, non vt olim Eunuchi, sed vt sancti propter regnum cœlorum in hac vita decastrentur.*

Dubi-

Dubium.

*An adulterium sit per se malum? Et an in eo plus vir quàm mulier peccet?*

Opp. *Naturalis appetitus non est peccatum: sed naturalis appetitus vsu vnius fœminæ aut viri non satiatur: ergo si plures adhibeat, non est peccatum. Maior est Arist. in Ethicis, vbi probat nos neq; secundùm appetitum, neq; secundùm affectum iustos aut iniustos, bonos vel malos appellari. Minor constat, quia appetitus est vi suâ infinitus. His positis & concessis sequitur adulterium (quod est actus naturalis appetitus) non esse peccatum.*

Appetitus rationi subiectus vnâ fœminâ contentus esse potest.

Resp. *Appetitus consideratur bifariam, aut vt est solùm sensibilis, qui est communis hominibus cum belluis: aut vt rationis imperio est subiectus, & sic vnius viri aut vxoris vsu satiari potest. Nã lex rationis iubet vt homo se vni solùm astringat, nexumq; iniustum nuptialis societatis obseruet, quam legem violare est peccatum; est ergo adulterium si naturam spectes per se malum: huc adde si placet, quòd in adulterio iniuria immanis fiat alteri, quòd sit contrarium diuinæ legi, quòd pernicioſum sit ciuitati, quòd prolis incertitudinem gignat, quòd negligentiam parentum & filiorum contemptum pariat, quòd contentiones, insidias, homicidia, aliaq; infinita mala in ciuitate creet: esto igitur absolutè turpe & flagitioſum (vt rursùs vtar verbis Philoſophi) alium aut aliam adulterium quouis colore aut prætextu committere.*

Opp. *Arist. in quinto Ethicorum adulterum esse aliquem posse affirmauit, qui tamen non sit iniustus: ergo adulterium omni modo non est per se malum.*

Resp. *Dixit ex parte affectus adulterium iniustum non nominari, sed ex parte habitus & intemperantiæ adulterum omnium flagitioſissimum esse, & hîc & in septimo libro Ethicorum concludit.*

Lib. Prob. Opp. *Mulier est frigidior complexione omni viro: ergo si sit adultera magis peccat quàm vir. Antecedens est Arist. Ratio tenet, quia frigus complexionis est medium, quo fortius insidijs venereis obluctetur: quod si non fecerit, præsertim naturâ duce, magis quàm vir peccatum habet.*

Resp. *Frigus in fœminis non extinguit sed potiùs per antiparistasin accendit faces libidinis: nam hoc modo quærit natura defectio in illis*



*illis frigoris metum penitùs arcere: hinc illud est Arist. quòd mulier non aliter virum quàm materia suam formam appetat: sed vt verum verbo attingam, vir in hoc scelere magis quàm mulier peccat, primùm quia natura viro principatum in mulierem dedit: hinc quia vir perfectio, mulier imperfectio naturæ dicitur. Porro vir constãtius ingenium vsumq; rationis nobiliorem habet, vndè probabile est quòd magis ex malitiâ quàm infirmitate peccet. Postremò mandatum est vt rectè vir præsit fœminæ: si ergo cum illâ peccet non solùm vim naturæ sed etiam legi diuinæ facit.*

Vir magis peccat in adulterio quã fœmina.

## CAP. XVII.

*Vtrùm lacte solùm eodemq; potiùs matris quàm nutricis alerentur infantes?*

ONIVGIVM & procreationem liberorum sequitur eorum institutio, de qua in hoc cap. breuissima sed efficaciſſima traduntur præcepta. Singula ordine percurram antequam ad quæstionem discutiendam veniam. Sunt ergo in educatione liberorum iam natorum præcipuè considerandatria, victus, motus, & cultus. Victus infantium copioſus esse debet, facilis concoctu, & ad ipsam naturam atq; teneram ætatem accommodatus; copioſus, vt infans tum alatur tum augmentetur; facilis concoctu, vt ingurgitatione non suffocetur; accommodatus ad ętatem, vt consideretur complexio, & certa edendi tempora obseruentur. Genus alimenti infantibus accommodatiſſimum lac est præcipuè maternum, quod nihil aliud est quàm sanguis in colorem alium vi naturæ ad sustentationem infantium commutatus: si adhibeatur nutrix prouidendum est vt sit moribus honesta, lacte abundans, constitutione corporis bona, à morbis libera, victu delicata: ratio est, quia infans ab vberibus tam matris quã nutricis mores & morbos sugit.

In educatione liberorum spectanda sunt tria.

Victus infantium.

Lac pueris conuenientiſſimum.

Quid sit.

In nutrice quę spectanda.

Motus. Secundum præceptum est de motu infantium, qui talis semper esse debet, vt eorum corpora ac membra à distortione atque curuitate fascijs quibusdam & instrumentis adhibitis conseruentur, agiteturque huc atque illuc sæpè per manus nutricis, nè consopiti humores paralysim aut epilepsiam seu comitialem morbum generent. Tertium præceptum est de cultu, qui partim ad corpus, maximè ad mentem spectat; cultus corporis in infantiâ tenuis & frigore penetrabilis esse debet, assuescere enim oportet liberos ad tolerandum frigus, quippè illud & ad valetudinem & ad rem militarem est vtilissimum; immanis tamen & barbara fuit illa Celtarum consuetudo, qui suos infantulos frequenter in fluuios immerserunt. De cultu animæ multa & insignia hîc adhibentur præcepta, hic cultus cura quædam & disciplina (quam habent parentes suorum liberorum) definiri potest. Diuiditur autem hæc disciplina in domesticam & publicam, illa ante annum quintum, hæc ad quintum incipit; illa nempe domestica disciplina in hoc potissimùm sollicita esse debet, vt ætas adhuc tenera & nondum ad studia laboresque idonea inertiam fugiat, quod fieri potest tribus medijs, lusu, sermone, fabulâ: lusus liberales atque honestos, eosdemq; nec laborioſos nimium, nec nimium remissos esse oportet; sermones vtiles esse debent, & ad vitam futuram accommodatæ; fabulæ iucundæ sed morales illis narrandæ sunt (quales sunt apologi AEsopi & Hesiodi): sic futurum est vt ludicra hæc initia vitæ, nempe lusus, sermones, fabulæ præcursiones quædam & imitationes consuetudinis futuræ habeantur, tum verò vel maximè cùm hæc omnia imagines quasdam virtutum gerant. Stoicus non est in hac re Aristoteles, nam ad fabulas & poetarum commenta audienda pueros admittit, sed eâ lege ac omine ne eorum mores deprauentur. De istiusmodi loquitur orator, conficta sunt multa à poetis, vt effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem vitæ quotidianæ videremus. Præter lusus, sermones, & fabulas alia educationis media spectanda sunt, primum est vt puer in non semper ludant &

Cultus. Cultus animæ quid sit. Disciplina duplex. Domestica disciplina. Media fugiendi inertiam tria sunt. Lusus, Sermones, Fabulæ. Pro Roscio Amerino. Pueri debent aliquando plorare.



& rideant, sed aliquando vocem contendant & plorent; vocis enim contentio & ploratus membra distendunt, spiritus vitales attonitos & depressos excitant, humores à capite (quâre maximè opus est in pueritia) discutiunt & expellunt. Compressio enim animæ & spiritus ijs qui in aliquo labore versantur vires suppeditat atque amplificat, quod quidem pueris vocem contendentibus & plorantibus contingit. Aliud præceptum est vt pueris moderandis præfecti impensè curent, ne cum seruis & mancipijs versentur: quippè id genus hominum exhalat nescio quam pestem & virus in tenera & quasi cerea præcordia puerorum, qui sunt adhuc quasi arundines leuissimo quouis flatu in omnem partem ac viam flexæ. Tertium est vt parentes suos liberos diligenter custodiant, & arceant ab audiendis, videndis, spectandis, malis sermonibus, obscænis idolis Veneris, vanis spectaculis leuissimorum histrionum, qui plusquam ridiculas ne dicam impias fabellas huc illuc vagabundi agunt. Hîc opportunè monendi sunt illi, qui suos infantulos iurare & conuitiari docent, qui simulachra Veneris intuenda, artemque amandi perdiscendam suis filiolis proponunt, qui denique ad theatra plena Veneris, plena vanitatis illos non solùm ire permittunt sed etiam alliciunt. Non hîc omnes ludos omnesq; histriones præsertim hystoricos, tragicos, & si placet comicos (modò sint verè faceti) condemno: quippè ARISTOTELES hoc loco THEODORVM quendam peritum tragædiarum actorem laudat, CICERO suum laudauit ROSCIVM, nos ANGLI TARLETONVM, in cuius voce & vultu omnes iocosi affectus, in cuius cerebroso capite lepidæ facetiæ habitant. Cursim in præsentiâ de his rebus mentionem fecit Philosophus, de quibus postea vberiùs disputabit: verùm quoniam modò disciplinam puerorum in domesticam & publicam diuiserit, illâ iam satis expositâ, terminum huius à quo & ad quem (vt aiunt) breuiter demonstrat. Publica enim disciplina à quinquennio incipere quidem debet, duobus verò sequentibus annis ad septimum vsq; prouidendum est,

« « « Pueri cum seruis & mancipijs versari non debent. Pueri arcendi sunt ab audiendis, videndis, spectandis sermonibus malis, idolis obscænis, spectaculis vanis. Histriones omnes non sunt condemnandi. Disciplina publica eiusq; distributio.

vt pueri sint earum disciplinarum (quas eos discere oportebit) solùm spectatores, à septennio autem duplex incipit disciplina, vna vsque ad pubertatem, altera ad vigesimum primum ætatis annum; hîc non per hebdomadas in quibus est error, sed per annos naturæ diuisionem secuti, quid sit optimum in quauis parte ætatis, quid pessimum facilè inueniemus. Hæc summa est omnium, quæ in hoc capite dicuntur: supereſt vt vnam quæstiunculam è toto quasi cumulo decerptam pauciſſimis enarremus. Quæstio hæc est, An lacte solùm eodemque potiùs matris quàm nutricis sint alendi infantes? Natura prouida & sagax perpetuò fuit in conseruandis ijs quæ in lucem edit, vt constat in plantis, in belluis, atque in rebus minoris pretij, in quibus sollicita non solùm est vt gignantur bene, sed vt genita veluti nutricis manu foueantur: Si ergo sit tam benigna mater & quasi propitia belluis, quantò magis hominibus in quibus totius naturæ globus, speculum & artificium cernitur? Aui plumam, leoni pellem, pisci squammam tanquam arma natura dedit, istorum matres tamen lege deuinxit, vt suos pullos, catulos atque fœtus ad tempus alerent. Quid ergo? An hominem nudum, inermem, vagientem, & impotentem peperit, vt matres lacte, oculis, & vlnis non fouerent? Nimis profectò sunt delicatulæ matres nostrorum temporum, aut si magis placet sunt nimis ferę & crudeles, quæ mamillis suis exhaustis & exsiccatis suos infantulos otiosis nutricibus passim & vbique tradunt; vt tandem huic malo pro viribus occurram, primùm infantes lacte, tum potiùs lacte materno quàm nutricis fouendos esse probabo. Quòd lac sit alimentum omnium infantulis maximè accommodatum multis rationibus probari potest, quas hîc solùm digito attingam, vt ad alteram partem quæstionis accedam. Lac est alimentum à quo natura ipsa in vtero matris infantem per vmbelicum nutrit: ergo est huic ætati maximè accommodatum. Quod enim genus cibi magis placet quàm illud quod natura parat? Præterea lac maximam proportionem & similitudinem san-

Quæstionis pars prima.

Lac alimentũ maximè accommodatum infantulis.



sanguinis (quo infans & alitur & augetur) habet: ergo lac infantibus alimentum maximè naturale dicitur. Porrò lac est nutrimentum concoctu facilimum, vt omnium medicorum consensu constat: ergo lac præcipuè huic ætati conuenit. Insuper lac velociſſimè in omnes regiones corporis trãsuehitur: ergo lac corporibus infantũ aptiſſimè accommodatur. Postremò aliud genus cibi, vtputa carnes, aut pisces non possunt infantes naturæ vi conficere: ergo lacte solùm ad tempus alerentur. Huc adde si placet, quòd lac alijs animalculis natura dederit: ergo nouerca esset hominibus si idipsum vt optimum pernegaret. Altera pars quæstionis (nempe quòd matres potiùs quàm nutrices suos fœtus alerent) multa argumenta habet, quæ sic breuiter Philosophorum more conficio. Natura matribus lacte distenta vbera ideo dedit, vt ipsæ suos infantes alerent: ergo si naturæ legem & imperium sequantur, ipsæ suos fœtus enutrirent. Præterea matres idipsum lac habent quo infantes in vtero alebantur: res ergo salubrior erit infantibus si eodem nutriantur. Porrò ardentior affectio & amor in matre quàm in vlla nutrice inest; quippè infans verè os de osse, caro de carne matris: ergo mater potiùs quàm nutrix infantes aleret. Insuper periculosa est mutatio lactis (cum eadem non sit fortasse nutricis ac fuit matris complexio) ergo optandum magis est vt matres quàm vt nutrices suos fouerent infantes. Deinceps quoniam mores boni vel mali sæpè ex vberibus hauriuntur, rationi consentaneum est vt potiùs matres quàm vt nutrices hanc curam susciperẽt. Postremò reginę castiſſimę olim hoc ipsum fecerunt, leges ac instituta maiorum hoc ipsum fieri iusserunt, quid ergo in malum obstat quo minùs nostræ iam pictæ fęminę hoc ipsum pręstent? Nimis sunt profectò molles, nimis vanæ & delicatæ, perdunt sobolem vt fugiant in fronte rugam, imò perdunt sobolem vt statim à partu amplexentur venerem: generatione capiuntur plurimùm, sed nutritionem genitorum ac institutionem abijcere videntur. Vrsæ, leænæ, tygres hoc non faciunt, puderet ergo matres si idipsum faciant.

Quæstionis pars secunda.

Distinctio.

Probantur hoc loco duo, nempè

- Quòd infantes lacte nutrirentur, idque propter
  - Consuetudinem vitæ,
  - Facilitatem concoctionis,
  - Velocitatem motus, quo citò in omnes partes hoc alimentum rapitur,
  - Similitudinem ac proportionem quam habet cum sanguine.
- Quòd infantes lacte potiùs materno quàm nutricis alerentur, causæ sunt, quia
  - Natura ideo vbera lacte distenta dedit, vt eodem suos infantes alant,
  - Matres lac idem habent quo in vtero alebantur,
  - Affectio maior est erga prolem in matre quã in nutrice,
  - Periculosa est lactis mutatio,
  - Cùm lacte sæpe boni vel mali mores ex vberibus hauriuntur.
  - Leges ac instituta maiorum hoc fieri imperârunt.

Opp. *Ex lacte obstructiones generantur: ergo lac non est alimentum infantulis accommodatum. Antecedens est Hyppocratis, qui febricitantibus capiteq; dolentibus ob hanc causam lac dare prohibet.*

Resp. *Lac muliebre, quod hîc à Philosopho intelligitur, tenue est & aquosum obstructionesq; non facilè gignit: lac verò ceprinum aut vaccinum crassiorem materiam habet, & ne inflammatio maior obstructioq; fiat, febricitantibus & capite dolentibus id sumere interdixit Hyppocrates.*

Opp. *Lac (vt placet medicis) facilè in malos humores vertitur: sed pueri crassis & malis humoribus abundant: ergo vtile alimentum illis non est, ne in tales humores commutetur.*

Resp. *Vt in malos ita in bonos humores lac facilè commutatur: sed in pueris duo remedia sunt, natura quæ propter similitudinem id alimenti appetit, & lauor alui quæ omnia superflua quotidiè in sentinam mittit.*

Opp. *Vinum maiorem similitudinem cum sanguine quam lac aquosum habet: ergo vinum infantes biberent.*

Resp. *Vinum maiorem similitudinem non habet, quia plus iusto calidum*



*calidum est, & non aliter quàm flamma flammis adiecta stramineum corpus infantis vrit & accendit.*

Opp. *Mulieres puerperæ partus laboribus sunt admodum debiles & infirmæ factæ: ergo opus est nutricibus.*

Resp. *Rarò factæ sunt tam debiles & infirmæ quin lactis habeant satis, quo vnum infantem nutriant; verùm si partu laboriosa valde elumbes fiant, necessitati cedendum puto, modò nutrix similimæ complexionis comparetur.*

Opp. *Indecora res est & planè indigna vt reginæ suos infantes lactare cogantur: ergo non semper requiri debet vt materno lacte infantuli nutriantur.*

Resp. *Res indecora non est, nec omninò indigna vt fiant reginæ matres: si ergo placeret illis, multò melius esset si ipsæ etiam in hac re naturæ nutum sequerentur. Galenus olim persuasurus nobilissimæ fœminæ vt suam filiam proprio ipsius lacte nutriret, hanc rationem dixit, si inquit agniculus lacte nutriatur caprino lanam contrahit asperam & hirsutam, versâ autem vice si capriolus lacte bidentis sustentetur pilus leniores habet: ita quidem infans qui lacte nutricis alitur, sæpè detriores; qui verò lacte materno alitur, sæpè mores amæniores habet.*

Dubium.

*An infantes frigori sint assuefaciendi?*

Opp. *Frigus teneriora infantum corpora facilè penetrat, eorumq; spiritus & humores obtundit: ergo non sunt infantes frigori assuescendi.*

Resp. *Hîc neq; laudo Celtarum morem, qui infantes nudos in flumen mergunt; neq; illorum consuetudinem approbare possum, qui omnem flatum & aeris motum timent: mediocre frigus membra firmius constringit, calorem ad præcordia pellit, spiritus vitales auget, valentiores reddit, ad rem militarem aptiores efficit, nimia verò indulgentia contraria effecta gignit.*

Frigus mediocre pueris vtilissimum.

Dubium.

*An permittendum sit vt sæpè plorent pueri?*

Opp. *Fletus ex dolore nascitur: at dolor est contractio præcordiorum & diminutio spirituum: ergo fletus puerorum non est vtilis.*

Fletus moderatus pueris prodest.

Resp. *Fletus immoderatus nocet, mediocris verò plurimùm infantibus ac pueris aliquandò prodest: nam eorum membra dilatat, spiritus vitales excitat, vocem conseruat, crassos humores per lachrymas à capite deducit.*

Dubium.

*An liceat pueris cum seruis versari, picturas videre, fabulas audire?*

Opp. *Sunt multi serui iusti & honesti: ergo cum illis versari licet. In templis quasdam lasciuas imagines erigi in hoc textu permittit Arist. ergo picturas licet intueri. Postremò commendat alibi ludos & ludorum præfectos: ergo licet quoq; fabulas audire.*

Resp. *Philosophus cum seruis à natura hîc pueros versari prohibet, tabulas pictas vanissimorum deorum in textu ridet, non laudat, & quod animaduertendum est, ad eas contemplandas solùm ætate prouectiores admittit. Postremò fabulas obscœnas & irrisione dignas non liberales audire vetat: si enim serui malitiam aut ignorantiam, si idola venerem & turpitudinem, si fabulæ vanitatem morum sapiant, insipiunt magistratus qui pueros ab illis longissimè non arcent: nam per illa virtutum faculæ extinguuntur, sparguntur semina vitiorum, corrumpuntur mores, multa alia incommoda gignuntur ciuitatis: exempli causâ, otium, libido, temporis iactura, naufragium rerum, & quod est omnium deterrimum, vehemens ad flagitiosos mores induendos motus ac incitatio.*

Laus soli deo.

LIBER



# LIBER OCTAVVS.

## CAP. I.

*Vtrùm disciplina seu institutio adolescentum publica esse debeat?*

VETVS illud est intellectum adolescentis esse tanquam rasam tabulam & liquefactam cerâ, in quâ nihil depictum, impressum nihil inest; verùm vt in hac re & illa imprimi & depingi possunt multa atq; varia simulachra rerum: ita in mente adhuc tenerâ & flexibili multiplices species virtutum aut vitiorum formæ veluti insculpi ac delineari possunt. Ne ergo in animis adolescentulorum tanquam in agris incultis virtutum loco vitiorum spinæ ac vepres crescant, operæpretium duxit Philosophus culturam huius ætatis ac disciplinam publicis magistratibus commendare. Hoc tamen non idcirco voluit vt parentes & præceptores instituendi curam ac prouinciam excuterent, sed vt à septimo anno ad prouectam ætatem seges reipub. à pessimorum morum contagione tanquàm à typhone aut deuastante procellâ tutiùs conseruetur. Optandum quidē est vt omnes patres vnum illud ab Aenea apud Poetam his verbis Ascanium filiolum alloquente discerent.

Intellectus tanquam rasa tabula.

Vide Quinti.

*Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem,*
*Fortunam ex alijs.*

Virg. Æneid. 12.

Sic enim Lothus suos liberos, sic Iobus suos, sic Tobias pater Tobiam filium, sic Dauid iam moriturus Salomonē, sic omnes deniq; sancti & religiosi patres suos obsequentissimos filios instruxerunt. Sed de priuata institutione satis paulò superiùs diximus, nunc de publica & cōmuni disciplina loquimur, cuius maximam curam ad totam ciuitatem pertinere duobus hîc argumentis probat Philosophus, idq; hoc modo.

3. Reg. 2.

Lib. 7. cap. 17.

Disciplina publica ad totam ciuitatem spectat.

Interest ciuitatis eius rei curam suscipere, cuius neglectio magna dispendia & damna ciuitati infert: sed neglecta institutio adolescentum magna dispendia & damna ciuitati infert: ergo ciuitatis interest adolescentiæ instituendæ curã in se suscipere. Minor constat, quia qualem optamus ciuitatis formam, talem oportet esse iuuentutis curam; vt in omni reipublicę statu ac conditione patet; exempli causâ, si in democratiâ viuas, adolescentum mores ad libertatem; si in oligarchiâ, mores ad potentiam; si in optimâ politiâ, mores ad sapientiam & virtutem debes confingere. Alter syllogismus hic est. Quemadmodum fit in alijs artibus ac scientijs, ita fieri debet in ciuilibus actionibus & scientiâ administrandi rempublicam: sed in alijs artibus quædam dispositio ac instructio ipsum præcedit opus: ergo in ciuilibus actionibus & scientiâ administrandi rempublicam quædam morum institutio præcedere debet. Hæc verò institutio an publica vel priuata esse debeat rationes quatuor sequentes docent, quarum prima à ratione finis, secũda à cõsideratione paris, tertia à ratione totius & partis, quarta ab exemplo ducitur. A ratione finis hoc modo, quorum est idem finis, eorũ debet esse eadem disciplina: sed adolescentum ac totius ciuitatis idem est finis: ergo eadẽ disciplina esse debet. Verũtamẽ quis ciuitatis disciplinã publicã esse negat? A consideratione paris hoc ipsum probatur, quia rerum cõmunium in ciuitate communis debet esse exercitatio: sed liberi seu adolescentes in repub. vsu sunt communes (nati enim sunt ad ciuitatẽ) ergo eorum publica & communis haberi debet disciplina. A partibus ad totũ sic disputat Philosophus, cura partis debet respicere curam totius: sed pueri & adolescentes sunt partes reipub. ergo qualis est huius, talis illorũ debet esse institutio. Postrema ratio in textu ab exemplo Lacedæmoniorũ ducta hanc formã habet. Quod præstantissimæ reip. & senatui Lacedæmoniorum placuit, id vt rectum esse videtur: sed Lacedæmonijs publica liberorum institutio placuit: publica ergo liberorum institutio recta est; & sanè non solùm Lacedæmonijs sed etiam Athenienſibus, Persis, Romanis, omniq̃que

Plat pol. 2.

Morum conformatio ad statum.

Quæstio. Rationes. 4.

Vide Xenoph. de rep. Spart. Plut. in Lycurg. Polyb. l. 6. Iustin. lib. 3. Xenoph. Cyrip. lib. 1.



niq̃ue ferè populo sapienter ciuitatem administranti hic ordo educationis placuit. Fuerunt enim in omni repub. optimè administratâ graues & seueri Catones censoresq̃; creati, qui publicam morum curam summâ cum fide susceperunt. Quintilianus vberiùs de hac causâ disputat, ex quo & alijs multæ præter has iam traditas decerpi possunt rationes: verbi causâ, in educatione priuata tum parentum tum præceptorum error aliquando ex ignorãtiâ, aliquando ex affectione euenit: est ergo cõmunis & publica instituenda disciplina, ne aliquando priuata noceat; q̃ verò priuati tutores & parentes frequẽtiùs errent Timotheus peritus ille musicus luculẽtiùs videtur ostẽdere, qui sæpè vnã mercedẽ ad dedocẽda errata, alterã ad edocenda sua præcepta à suis discipulis exegisse dicitur. Porrò excellẽtior forma educationis ea est, quę in sapientia & cõsensu totius ciuitatis fũdata firmiorẽ anchoram & cõstantiã habet, quã quę ab vnius hominis iudicio pẽdet: sed publica disciplina in sapiẽtiâ & cõsensu totius ciuitatis fũdata firmiorem anchorã & constantiã habet: ergo publica disciplina melior est quã priuata. Assumptio constat, quia rariùs institutio, quę senatum authorẽ & legem moderatricem habet, mutatur, quã quæ ad arbitrium vnius vel alterius vertitur. Postremò institutio publica semper publicum bonum & finem ciuitatis respicit: ergo melior est quàm priuata, quę aliquãdo vsum & affectum priuatorũ hominũ intuetur. Quid hîc adderem approbationem huius rei ex sacris oraculis, in quibus passim constat deũ præscripsisse multos ordines seniorum, qui publicam disciplinã in suum electum populũ exercerent? virgã suam habuit Aaron, & sceptrum suũ Moyses, malos gladio percussit Iosua, & flagro extemplo sceleratos exterminauit Christus; filij prophetarũ habuerunt præfectos suos, & nunquã in ecclesiâ defuerunt vigiles custodes & cẽsores morum, qui si nunc desint, si inquam nunc desint, ecce miseriam; si desint, ecce ruinam & confusionem omnium; si enim vera disciplina, si recta institutio desit, non ordo sed horror; non administratio sed miserabilis confusio ciuitatis sequitur. Quippe vt nauis sine clauo, ita est ciuitas sine disciplinâ,

Fenestel. lib. 2. cap. 17.

Bruson. lib. 2. cap. 23. Pol. 4. cap. 1.

Ios. 10. Matth. 21.

disciplinâ, quâ mali impelli, boni moueri ad officia possunt.

Distinctio.

Adolescentulorum institutio duplex est,
- Priuata per
  - Parentes & Præceptores } vt suprà.
- Publica, quæ magis requiritur in ciuitate, vt probatur argumentis ductis
  - A periculo si negligatur,
  - A similitudine in alijs artibus,
  - A fine cuiusque & totius ciuitatis,
  - A consideratione patris,
  - A consideratione totius & partis,
  - Ab exemplo Lacedæmoniorum,
  - A comparatione vtriusque,
  - A medijs vtriusque,
  - A fine vtriusque,
  - A testimonio sacrarum literarum.

Pol. 2. cap. 2.

Opp. *Commune bonum (vt est in prouerbio) negligitur, ergo & publica institutio adolescentum (quæ est commune bonum ciuitatis) minus est approbanda.*

Commune bonum negligitur cum desint præfecti.

Resp. *Commune tum bonum negligitur cum præfecti, qui eidem consulant, non instituuntur; sed ad institutionem iuuentutis magistratus seu censores in qualibet rectè administratâ ciuitate destinantur. Præterea neglecta communis disciplina ciuitatis non arguit eandem minùs bonum esse quàm domesticam, sed potiùs probat dissolutos esse magistratus, qui suum in hac re officium neglexerũt.*

Opp. *Incredibilis est naturæ affectio in parentibus erga liberos: ergo eorum priuata cura in filios erit vigilantior attentiorq; quàm est magistratuũ in alienos, quos sibi in fidem & tutelam susceperũt. Ratio tenet, quia ab illis natura in filios, ab his industria solùm veluti in seruos fluit.*

Resp. *Non minor est affectio boni magistratus in patriam quàm patris in filium, censores ergo morum non minùs ciues quàm patres suos liberos diligunt: nam vt in his est spes sobolis, ita in illis est flos & fructus ciuitatis: viuit enim pater in posteris, & floret ciuitas in liberè natis & educatis ciuibus.*

Opp. *Ciuium liberi (vt ait Philosophus in hoc capite) non sunt priuati sed communes: ergo eorum nõ est omninò priuata sed publica disciplina. Ratio tenet à pari, quia cõmuniũ solũ cõmunis est disciplina, quo concesso, nulla est ista communis cum priuatâ comparatio.*

Resp.



Resp. *Re priuati, vsu communes ciuium liberi dicuntur: hinc illud, partem patria, partem amici, partem parentes nostri ortus vendicant: quippe nobis solùm nati non sumus. Vt ergo patria communem: ita pater priuatam nostri possessionem adeoq; institutionis rationem & curam habere dicitur.*

Opp. *Magistratus naturam ac mores ciuium minùs certò ac definitè nôrunt quàm parentes à quibus nati, suscepti & enutriti sunt: ergo publica illorum institutio minus accommodata videtur. Ratio tenet, quia priuatim instituti quâ viâ dociles sint pueri, & ad quos mores sint flexibiles propter longam consuetudinem melius quàm publici magistratus sciunt.*

Resp. *Quamuis parentes & præceptores melius forsan priuatos mores & actiones suorum liberorum nôrunt, quibus tamen modis sint omnes & singuli ad vsum & bonum ciuitatis efformandi accuratius quàm magistratus (eâ solùm de causa instituti) non nôrunt: cum ergo in publicâ disciplinâ adolescentum bonum publicum spectetur, longè melior hæc quàm illa iure optimo haberi debet, iuxta id quod dici solet, bonum quo communius eo melius.*

## CAP. II

*Virùm adolescentes ad honores ciuiles admittendi liberales scientias absolutè & accuratè perdiscerent?*

INSTITVENDAM esse idq; publicè adolescentiam ciuitatis constat; sed de rebus, de quibus est erudienda, apertè ac definitè adhuc non constat: vt ergo sit veluti authentica institutio ac disciplina ciuilis, res quasdam hoc loco proponit & discutit Philosophus, in quibus vita humana versa & versata est dum veluti in olympico stadio posita ad scopum & laurum fælicitatis tendit. Res istæ sunt vtiles, necessariæ, iucundæ: vtiles vt incerta fortunæ dona, bonaque naturæ, quibus in hoc cursu vtimur; necessariæ vt virtutes mentis & moris, quibus

Vita versatur in rebus vtilibus, necessarijs, iucundis.

bus quodammodo in hac vitâ perficimur: iucundæ,vt enatæ ex his voluptates, quibus (si vberiùs fluant) deprauamur. Fuerunt ergo (vt hic docet Aristoteles) alij, qui summum bonum pro affectu definientes nunc ad hæc nunc ad illa adolescentum mores efformandos esse censuerunt: hinc quæstio est, Vtrùm ad mentem vel animi mores disciplina ciuilis sit magis referenda? Mouet quidem hanc quęstionem Philosophus sed non soluit, quia in septimo libro copiosè demonstrauit virtutes mentis multis gradibus præferendas esse, eamque vitam esse diuinissimam, quæ secundùm mentem & sapientiam agitur. Si ergo studiosus lector plura de hac re scire desideret, ad illum iam locum eum referendum puto. Pergam in textu, opiniones inquit Philosophus mortalium de his rebus nempe vtilibus, necessarijs, & iucundis variæ sunt: qui enim in terram oculos defixos habent aureis retibus venantur vmbras mundi, capiuntque res minutulas veluti aranearum tælis, quibus tamen eorum mentes non aliter quàm pedes tricis sic impediuntur, vt dum fugaces & inanes nugas sedulò atque impensè colligant, in cymbam Charontis & in sepulchrum (non audeo dicere in tartarum) incidunt & rapiuntur; ab his obiectis (vt ait Philosophus) quę dulcem odorem habent, queque ipsos sensus nimium demulcent, naturâ tardiùs dimouemur. Mallemus enim in salis statuas cum Lothi vxore transmutari, quàm cum Mariâ relictis mundi nugamentis ad pedes Christi conquiescere, Ambrosiamque cœli degustare. Cæterùm vtilia hæc bona suum vsum suumque splendorem in ciuitate habent, suntq; adolescentes ad eas artes modò non sordidas educandi, quibus ornati & ad libertatem & ad temperantiam munificè alijs & sibi honestè viuant. Liberales artes sunt vel mentis (vt ita loquar) vel manus: illæ theoricæ, hæ verò mechanicæ dicuntur; illæ omnes & singulæ probandæ sunt, hæ quoque vt ancillæ sunt etiam admittendæ, modò ciuem sordidum & illiberalem non efficiant. Sed attende, illę loco solùm artes definiuntur sordidæ, quę ciuium corpora ad virtutis vsum ineptа reddunt, quales sunt rapaces illæ & mercenariæ, in quibus

Quæstio soluta in 7 l.c.14.

Primum genus hominum qui in rebus vtilibus vitæ summum bonum collocarunt.

Adolescentes ad artes modò non sordidas educandi sunt.

Liberales artes duplices mentis, manus.

Artes sordidæ quæ sunt.



quibus turpe lucrum vt summũ bonum quæritur; aut saltem illę quæ homines seruos & mancipia naturæ reddunt, quales sunt carnificum, cementariorum, fullonum, aliorumque qui sentinas nauium hauriunt, sordes ciuitatis purgant, aliaq; inquinatissima opera reip. non vi legis vt capti in bello, sed lege naturę vt serui faciant: ad istas inquam artes adolescentes liberè nati educari non debent, nisi ipsos natura digito ad sterquilinia designauit. Alterum genus hominũ, qui voluptuosa Veneris ludibria atque latibula quærunt, quiq; aspidis caudâ icti in vtramq; aurem securè dormiunt, donec Dalila pilos abscindat capitis, suis in somnijs relinquo, vnum tamen hîc cum Arist. Parentes, præceptores, præfectos moneo, ne filios, alumnos, ciues ad lethalem hanc escam & hamum trahant, quibus si capiantur rarò sanè aut nunquam vllâ disciplinâ à profundo hoc somno excitantur. Hunc enim somnum lethargus, lethargum apoplexia, apoplexiam mors, mortem gehenna sequitur: est tamen vel in hoc vitæ genere quædam disciplina, vt adolescentes neque abhorreant voluptates, sicut olim Stoici: neq in ijsdem semper hererent, sicut Epicurei, qui pecudum vitam profitentur. Tertium ergo iam restat amplectendum vitæ genus nempe necessarium, quod in virtutibus mentis ac moris ponitur, nam hæ solùm in ethicis res agendæ, hæ solùm hoc loco res necessariæ dicuntur. Quid igitur? An hæ solùm sine modo per disciplinam ciuitatis adolescentibus sunt perdiscendæ? Non sanè, quippe in his etiam est modus & distinctio: nam vt omittam virtutes moris, in quibus amplectendis est modus non habere modum, quæstio solùm hîc est de virtutibus mentis, Vtrùm adolescentes ad honores ciuiles eligendi liberales scientias absolutè & accuratè perdiscerent? Verba Philosophi hęc sunt. Non est illiberale nonnullis scientijs liberalibus vsq; ad aliquem finem instructum atque ornatũ esse, sed in eas incumbere ijsq; affixũ esse vsq; eò donec ad perfectionẽ peruentum sit, id ad ea incõmoda, quę à nobis cõmemorata sunt, obiectum est. Hæc verba Arist. Thomas, Versor, Sepulueda, & alij de artibus verè ingenuis & liberalibus intelligunt,

Secundum genus eorum qui in voluptate summum bonum collocarunt.

Voluptas Lethalis esca.

Voluptatis comites.

Tertium genus vitæ in rebus necessarijs collocatum.

Quæstio.

Liberales artes absolutæ, Comparatæ.

ligunt,non opus ergo hîc habeo eas in liberales,absolutas & comparatas distribuere. Absolutæ liberales sunt quæ omninò intellectum à seruitute sensuum, phantasiæ & appetitus liberãt,vt philosophia & mathematica scientia; comparatæ verò quę partim mentem ratione dirigunt, partim eandẽ in materiã rerũ sensibilium immergunt, quales sunt facultates

Medicina non est ars mechanica.

quędã mechanicę,inter quas multi absurdè medicinã nomi. nãt;absurdè dico,quia etsi medicina ad sanitatẽ corporis destinetur,animũ tamẽ à sua mente ad corpus non distrahit,sed potiùs corpus ad mentis imperiũ & liberas actiones dirigit. Cæterùm ad rem veniamus,animaduertendum est expedire in ciuitate,vt intellectus primariorum ciuium sensibus & potentijs corporeis præsint ac dominentur: sed hoc commodè fieri non potest, si artibus liberalibus non imbuantur: ergo oportet liberales artes ab illis percipi.Cum iam hoc constet perdisci debere, quæritur an absolutè & accuratè perdisci debeant? Verbis modò citatis negat Philosophus. Quid? An tam citò Aristoteles oblitus est sui?Nonne in septimo libro primam ciuium fælicitatem in virtutibus potiùs mentis quàm moris ponendam esse existimauit? Nonne etiam vehementiùs illic persuasit vt omnes ad sapientiam perfectam mentisque absolutas virtutes contenderent? Vera sunt hæc omnia quæ ais. Cur ergo hoc loco contrarium docet? Non docet. Animos ciuium istarum studio impediri affirmat,nõ est hoc contrarium? Non studio illarum sed excessu animos ciuiũ obrui & impediri insinuat. Quasi verò in diuinis virtutibus mentis sit vllus excessus? Virtutes ipsæ sunt media sed vtrimque extremis oppugnata. Quid ab ipsis extremis ergo non à virtutibus deterret ciues? Attende, virtutum intellectualium aliæ sunt absolutæ,vt scientia & sapientia;alię sunt ad has relatæ,vt ad scientiam grãmatica,rhetorica,dialectica,aliæque artes.Quorsum est hæc distinctio? Vt intelligas studendum esse alijs virtutibus tanquam medijs, alijs verò tanquam finibus bouisque(vt ita loquar)summis.Quid hinc infers? Id certè quod opto,nimirùm animos primariorum ciuium studio longiore mediarum virtutum & artium à summis.

Virtutum intellectualium alię absolutæ, aliæ comparatæ.



mis & diuinis fruẽdis bonis distrahi non debere: nam qui in medijs semper hærent ipsum optatum finem non acquirẽt. Estnè ergo hic sensus Philosophi vt in medijs & subalternatis scientijs ne quid(vt aiunt)nimis? Idipsum docet;nam quã periculosum erit ciuitati, si primarij adolescentes perpetuò in dialecticæ,geometriæ,musicæ,aut aliarum mediarum artium studijs habitarent? Qui ergo sunt ad honores ciuitatis eligendi,artibus liberalibus vt medijs vti,non vt summis bonis frui & gaudere debent;nam illud sapientis est, hoc curiosi. Iure mihi videtur Cicero in C. Sulpitio & in Sex. Pompeio hoc vitium damnasse, quòd alter in astrologiâ, alter in geometriâ magnum studium, multamq; operam in res obscuras atq; difficiles contulissent.Studere ergo licet dialecticę,sed non cũ Scoto,qui Scotomiâ cerebri in ea arte laborauit;studere licet geometriæ, sed non cum Archimede, qui ducens lineas à milite percussus perijt;studere licet Astrologię, sed non cum Protagorâ, qui alijs diuinans mala in profundum terrę hiatũ incidit;studere licet arcanis philosophię, sed nõ cum Homero & Plinio, quorũ alter in euripo demersus,alter ætnâ sepultus iacet. Vana est in re omni curiositas, peßima in via progrediẽdi tarditas: morari igitur in scientijs quæ sunt veluti semitæ ad vlteriorem finem est dormire cũ lepore,dum lentò reptans testudo scopum acquirat. Stramineas ergo hodie in dialectica & philosophia quæstiones, quales sunt an embrio sit ens vel non ens, an Socrates mortuus sit homo vel asinus, aliasque his similes penitus condemno,triuialia enim hęc sunt & superflua veluti excremenţa artis. Idem de curioso aliarum artium maximè verò de astrologiæ studio,quo plurimi hodiè plus iusto capiuntur, dico:nam rectè ille;

Liberalibus artibus vtendum vt medijs non fruendum vt summis bonis.

Curiositas vapeßima est,tarditas peßima.

Superfluæ quæstiones nõ mouendæ.

*Quicquid Ephimerides fingunt,per inane laborant,*
*Nil geneßis sortes,nil quoq;fata valent.*

Excessus in studio artium & minus accommodatus vsus reprehenduntur.

Hîc non in artes declamo,nam adoro musas;sed vel excessũ in earum studio, vel minùs accõmodatum vsum iure reprehendo,Excessus est,si adolescentes sint nimis in earum contemplatione curiosi; minus accõmodatus vsus est, si labores

in eis positi non sint ad bonum publicum ciuitatis destinati. Multi enim artes liberales discunt,vt illas sciãt tantũ, & hoc est vanitatis;multi autem ijsdem incumbunt,vt earum studio & ipsi castiùs viuant, & reip.in qua versantur meliùs consulãt,& hoc est sapientiæ.Qui verò his artibus ingenuis studẽt merentur subsellia senatorum , quippe beatissima est futura illa ciuitas,cuius nauis philosophantium chartis dirigitur & gubernatur, hoc est cuius administratio est penes illos qui virtutibus mentis instructi conantur non tam scire verum quàm bonum agere,& ad reip.vsum accommodare. Sũma omnium hæc est,abdere se in studijs artium est ingenia adolescentulorum defatigare:ergo qui sunt ad rempub.accessuri non debent absolutè & accuratè artes perdiscere.Præterea vehemens artium contẽplatio ab actionibus & negotijs reipub.externis & necessarijs animos adolescentũ distrahit:ergo non est approbanda.Porrò curiositas est in studio artium si ad vsum vitę & reip.non destinẽtur:ergo vt sciamus solùm artibus studere non licet. Deinceps virtutes mentis sunt instrumenta & media ad vlteriorem finem destinata:ergo illis potiùs vti quàm frui oportet.Postremò vita beata in actione ponitur: ergo in contemplatione artium modus requiritur. Qui igitur ad amplissima fastigia ciuitatis contendunt, hij artium studijs sic debent inuigilare,vt cum Catone in senatu sapienter disputent, & cum eodem (si opus sit) in campum martium confidenter prodeant.

Rationes cur studijs immergi non debeamus.

Distinctio.

Virtutes mentis sunt aut
- Absolutæ,quæ finis rationem habent,vt — Sapientia, Scientia.
- Respectiuę,quæ mediorum loco ponuntur,in quibus studendi modus adhiberi debet, ne
  - Adolescentum ingenia nimium confundantur,
  - Externa negotia ciuitatis omninò negligantur,
  - Virtutes morum & actiones vitæ penitus tollantur,
  - Artes vt fines vitæ humanæ superstitiosè adorentur.

Opp. *Disciplina in ciuitate adhibetur vt cines boni & studiosi fiant:*



*sed boni efficiuntur solùm per virtutes morum: ergo disciplina ciuilis magis ad virtutes moris quàm mentis est referenda, quod est contra Aristotelem in principio huius capitis.*

Resp. *Negamus per virtutes moris cives tantummodo bonos & studiosos effici:est enim in sapientiâ alijsq; virtutibus mentis non solùm vis quædam cognoscendi verum, sed etiam consequendi bonum, vt antè pluribus demonstrauimus.*

Opp. *Adolescentes non tam mente quàm appetitu & sensibus mouentur: ergo eorum disciplina potius à virtutibus moris quàm mentis debet incipere.Ratio tenet,quia virtutes moris appetitum & sensum optimè moderantur.*

Resp. *Etsi appetitus & sensus adolescentulorum sint primùm moderandi,via tamen & ratio idipsum efficiendi à virtutibus mentis fluit; prudentia enim(quæ est virtus intellectus) præscribit quid sit agendum in qualibet virtute moris, sapientia autem omne opus & actionem perficit.*

Opp.contra quæst.propositam.

Opp. *Non est nimium in ipsa virtute: ergo inconsideratè docet Philosophus esse in studio virtutum intellectualium vllum excessum. Antecedens probatur ab inductione, quia nemo potest esse nimis peritus in grammaticâ, rhetoricâ,philosophiâ, aut cæteris liberalibus scientijs:quod quidem cõtingeret,si in illis hoc ipsum nimium & excessus esset.*

Resp. *Hoc nimium non est in excessu virtutis,sed in affectu hominis:qui ardentius quàm par est in contemplationem huius vel illius artis incitatur, cuius q; studium in debitum finem ita est in bonum ciuitatis non dirigitur.*

Opp. *Perfectè & absolutè sapientibus solùm debetur honor: ergo adolescentes accessuri ad honores ciuitatis debent perfectè sapere, quod fieri non potest si accuratè in artium studijs non versentur. Antecedens constat, quia honor est præmium perfectæ virtutis.*

Resp. *Studium artium ac scientiarum ducbus contingit modis, vel vt rerum abditarũ vires & causas intelligamus solũ, & hoc genus studij à Philosopho tanquã impedimentũ ciuitatis hic cõdemnatur;vel vt scientiarũ vsum ad reip.bonũ referamus, & sic optandũ*

*est vt omnes primarij adolescentes liberales artes perdiscerẽt, adeoq; per eas honores & dignitates in ciuitate ordine vendicarent.*

Opp. *Artes & scientiæ sunt regulæ rectæ rationis: ergo earum studia potiùs dirigunt quàm impediunt animos ciuium, qui ijsdem præditi & ornati sunt.*

Resp. *Fatendum est artes & scientias esse quidem normas rectæ rationis: non tamen sequitur quin vel curiositas in earum studijs, vel minus accommodata intentio finis adolescentum animos & ingenia ab amplioribus ciuitatis negotijs impediat, non ergo hîc aut artes, aut artium studia, sed extrema vtriusq; vitia condemnamus.*

## CAP. III.

*Vtrum musica in omni humanæ vitæ statu sit vtilis?*

Quatuor sunt quæ olim maiores pueros suos docuerunt.

DIstinctiùs adhuc de rebus, quibus sunt instituendi adolescentes, Arist. hoc loco differit. Quatuor (inquit) sunt quæ olim maiores in rectè administratâ rep. pueros docuerũt, nimirum literas, artem gymnasticam, musicã & pingendi facultatẽ. Per literas grãmaticã, historiam, poesim, & rectè tam loquendi quã scribendi vsum, per gymnasticã militaris scientię praxim & exercitationem, per musicam illam nobilissimam cantandi scientiam, per facultatem pingendi non solùm Apellis penecillum, sed etiam artem figurandi & cosmographiam intelligo. Grammatica ad reliquarum artium studia & præcepta faciliùs intelligenda, ars pictoria ad climata stadiaque mundi tabulis delineãda, praxis gymnastica ad robur & fortitudinem, musica ad otium animi mentisq; quietem in omni vitę statu hîc plurimùm conferre dicitur. Hinc Terentius, fac periculum in literis, fac in palęstrâ, in musicis, quę liberum scire æquum est adolescentem. His positis accedit Philosophus ad istorum vltimum nempe ad musicam, eamq; in omni causâ ac conditione

Eunuch. act. 3. scena 2. Quæstio.



tione istius vitæ non solùm vtilem sed etiam necessariam esse ostendit. At dices textum ipsius Aristotelis non videris legere, in quo hæc insunt verba. Quocirca musicã maiores nostri inter disciplinas numerârunt, non quòd sit necessaria, nihil enim tale habet, neque quòd sit vtilis. Quid tu ex hoc textu colligis? Hoc scilicet, quòd musica sit neque necessaria neque vtilis. Lege iterum Philosophum, & adde verba quæ sequuntur, nempe quòd non sit vtilis aut necessaria vt aliæ literæ ad lucrandam pecuniam, aut rem familiarem tuendam destinatæ; quasi diceret, musica est vtilis & necessaria, non tamen vt aliæ artes, quæ suum opus & quæstum habent. Tempus me deficeret si de antiquitate, dignitate, vsu, ac necessitate musicæ, quæ velim, hoc loco scriberem: non ergo oratorum sed Philosophorum more omnia (quæ sum scripturus) ad puncta reuocabo; & vt à definitione initium sumam, Musica est scientia concentuum, vi naturæ, vocis, aut instrumenti inter se suauiter conspirantium, quæ ad Dei cultum hominisque vitam destinatur. Est scientia, quia definitam materiam, proprietatem & demonstrationem habet; est scientia concentuum, quia in numero, proportione, harmoniâ rerum, vocum, ac instrumentorum constat; est scientia vi naturæ, vocis, & instrumenti, quia omnis musica est aut naturalis, vocalis, aut instrumentalis, vt loquitur Boetius; quę ad Dei cultum, qui illam dedit, vitamque hominis, qui illâ nonnihil eget, destinatur. Naturalis musica (vulgò mundana nominata) partes mundi omnes & singulas respicit, in quibus est admirabilis quædam concordia & harmonia, vnde Pythagoras & Plato in motu cælestiũ corporum musicam posuerunt, & sanè non solùm in diuinis illis sphæris ad numeros & proportiones perpetuò rotatis, sed etiam in elementis, maximè autẽ in partibus humanis, adeoq; in animi potentijs canentium veluti chorus visq; tota musices inesse videtur. Est enim anima (definiente Boetio) veluti dulcissima naturæ cythera potentijs suis tanquam neruis ac fidibus cõpacta. Quid hîc dicam de Philomelis? de alaudis? de alijs sexcentis auiũ generibus, quas non industria sed ipsa

Musica non solùm vtilis sed etiam necessaria.

Laus musicæ.

Musica naturalis.

natura musicam edocuit? Qui ergo musicam contemnit lapis est non homo, degener & spurius non naturæ filius, vt olim Aeteas ille fuit, qui magis equos hinnientes, aut balantes oues audire quàm homines canentes peroptauit. Musica vocalis est quę vocum concentu perficitur, cuius origo à Ioue, vt Diodorus Siculus; à Mercurio, vt Polidorus Virgilius scribit, deducta fuit; nõ multũ refert ad quẽ istorũ referas, nã

Musica vocalis.

*Deus est in vtroq; parente.*

Sed quid poeticè loquor, cum verè deus omnipotens (in quo præter concentum nihil inest) hanc quoq; speciem harmoniæ dedit, qui linguam & vocem finxit, qui matres infantulos canendo placare docuit, qui angelos gloriam in excelsis cantantes misit, qui cantatores in suo templo collocari iussit: Amphionem, Orpheum, Orionem, Timotheum, aliosque infinitos laudatissimos viros hìc non inducam, qui Deos mouisse, infernos spiritus lenijsse, lapides & syluas traxisse vi musices dicuntur. Cantauit Dauid, an hoc te mouet? Eliseus à Psalte coram se canente ad prophetandum excitatur, non hoc te vrget? Deus psalmis & hymnis se coli & honorari iussit, non hoc te vincit? Sed de vsu statim pluribus. Musica instrumentalis est quæ organis ac instrumentis sonantibus suauiter constituitur; hęc suam originem (vt sacrę nos literę docent) à Tubale Lamech & Adæ filio traxit, hic enim pater eorum omnium extitit, qui cytheram & musica instrumenta tractant. Quanta vis huius generis sit Orphei lyra, Hectoris tuba, cythera Dauidis mirificè & apertè docent. Est alia species musices quæ mixta dicitur, hæc vel ex omnibus vel ex pluribus (exempli causâ) vocibus ac instrumentis inter se coniunctis constat; in hoc est tam incredibile mouendi sensus mentisq; artificium, vt planè mentiar, si non affirmem, hoc genus artis omnem scientiam sui delectatione superare. Perspecto iam & demonstrato quid musica, & quotuplex; restat vsum ab Arist. in hoc cap. insinuatũ breuissimè explicemus. Tota vita humana diuiditur (vt suprà ostendimus) in otium & negotium, in pacem & bellum. Otium (vt hìc distinguit Philosophus) est vel cessatio laborum, qualis

Luc.2.
1.Paralip.25.

2.Reg.6,
4.Reg.3.
Psalme.149.
& 150.

Musica instrumentalis.

Gen.4.

Musica mixta.

Musica omnes scientias sui delectatione superat.

Vitæ humanæ diuisio

Otium quid sit & quotuplex.



qualis est in vitâ practicâ & actiuâ; vel intermissio studiorum ac meditationum, qualis est in vitâ theoricâ & speculatiuâ. Opus enim est non solùm vt, qui laborant, ab opere & negotio aliquando cessent; sed etiam vt, qui student & orant, à cõtemplatione nonnunquam quiescant & ferientur; nam dum sumus mortales, non solùm laboribus vires corporis, sed etiã perpetuis meditationibus vires mẽtis fractę & exhaustę sunt, si honesto otio non recreentur. Sed musica, de qua nunc agimus, fessa corporis membra reficit, spiritus attonitos viuaciores reddit, vires sepultas excitat, ipsum animum deiectũ mirificè erigit & confirmat: est ergo musica ad otiũ, siue illud sit cessatio laboris, siue sit intermissio mẽtis, admodum vtilis & necessaria. Quid multis? Negotiorũ tędium musicâ lenitur, musicâ in pace Dei numen colitur; musicâ in bello hostis furor frãgitur: nulla ergo est pars vitæ siue in otio, siue in negotio, siue in pace, siue in bello quæ musicæ vsu non reficitur. Nihil hìc dicã de morali (vt ita loquar) musicâ, quâ in animis hominum insignes pietatis affectus, effectusq; mirabiles virtutis efficiuntur; hoc vnũ tamen dico, musicã magis ad vitam theoricam quàm practicam hominum pertinere, nam quãuis est negotiantium prima medicina, quâ acceptâ alacriùs ad opus reuertantur, est tamen contemplantium quodammodo anchora & finis, per quam in primam concentus vnitatem ac maiestatẽ nescio quâ extasi ac desiderio animi rapiuntur. Leuiora sunt quæ ex Homero hìc addit Philosophus, non tamen omittenda, nempè quòd musica sit in mensis, triumphis, & conuiuijs adhibenda. Poeta sic canit,

Otium & ab opere & à contemplatione necessarium.

Musica & ad otium & ad negotium vtilis.

*At decet ad lautas cantorem accersere mensas.* Homer.

Et iterum,

*Cantorem accersunt qui carmine mulceat omnes,* Homer. Odyss.
*Auditurq́, amplâ conuiuis cantor in aulâ*
*Ordine dispositis longo.*

Si pressiùs hæc demõstrari optes, sic accipe. Natura hãc artẽ docuit: ergo est necessaria. Maiorũ autoritas vbiq; approbauit: ergo est necessaria. Est optima laborantium & contẽplãtiũ medicina: ergo est necessaria. Affectus pietatis mouet,

Musica necessaria.

virtutis mirificos effectus gignit; ergo est necessaria. In pace ciuem recreat, in bello hostē fugat: ergo est necessaria. Deus eandem in templum suum admisit: ergo est necessaria. Huius ignoratio scripturarum intellectum impedit, vt Augustinus docet: est ergo necessaria. Quid opus est verbis? Musica sanitatem conseruat, morbos pellit, malos dæmones fugat, amicitias gignit, sensus ad obedientiam mentis, mentem ad deū trahit; dic causam igitur cur non sit necessaria; dic (inquam) causam cur pueris & adolescentibus (vt hîc Philosophus vehementer suadet) in primis omniū non sit perdiscenda? Mihi credite patres, ars nulla excellētior aut diuinior est quā musica, quâ liberi vestri in teneris annis instructi ad Deum & pietatem pertrahantur. Non intelligo mollem & effæminatam illam symphoniam, quâ vagabundi tibicines ad illecebras vtuntur; sed grauem & diuinam eam, quæ cum animâ humana proportionem habet, quæq; nos nostrosque sensus & affectus à terrâ ad cælum, à vanitate ad virtutem, ab inani strepitu mortalium ad glorioſum chorum cęlestium spirituum, ab hoc indiuisibili puncto temporis ad infinitam circūferentiam numinis possit allicere, possit auocare. O ter beatam ciuitatē in quâ pueri & adolescentes sic discunt canere. Qui plura de hac re velint discere, legant Boetiū, si verò sint Angli, legant doctum libellum nuper Oxonij natum & impressum, in quo de antiqua dignitate musices vsuq; politico & ecclesiastico eiusdem agitur. Quæ sequuntur in hoc cap. illud ostendunt quod in fronte eiusdem traditur, nimirum literas, pingendi facultatem & gymnasticam plurimùm ad vitam ciuilē pertinere. Grammatica enim est seges & fundamentum artium; pictoria facultas affabrè rerum vmbras delineat, suisq; moralibus figuris animos mortaliū mirificè delectat; Gymnastica scientia magnopere ad robur & fortitudinem valet: sunt ergo adolescentes his artibus ac virtutibus ornandi, sed ita, vt neque illis solam voluptatem, neq; turpissimum lucrum & quæstum aucupentur. Artes enim tum verè artes dicuntur, cum liberales nomine ingenuos & liberos suos cultores & possessores faciant.

Aug. lib. 2. de doct. Christ. cap. 16.

Musica pueris discenda. Vide Plat. pol. 3. & 7. de legib.

Ars nulla excellentior musicâ.

Musica mollis, grauis.

Boetius de Musica, l. 1. c. 1.

Literæ, facultas pingendi, ars gymnastica ad vitam ciuilem plurimùm pertinent. Vide Plat. ib.

Distin-



Distinctio.

Vtilis est musica in omni statu vitæ, quod probatur, quia est vtilis ad
- Negotiū, vt ciues defatigati laboribus recreentur.
- Otium, vt studijs & meditationibus attenuati ad tempus reficiantur.
- Pacem, vt ad virtutis amorem studiumque pietatis incitentur.
- Bellum, vt vires pugnantium magis excitētur. Rationes quibus demonstrantur hęc omnia apertę sunt, & repetitione non egent.

Musicę quotuplex vtilitas.

Opp. *Ægyptij musicæ vsum omninò iunioribus tanquam noxium & periculosum prohibebant; idem fecit sapiens ille legumlator Lycurgus; idem Alcibiades, qui cytheram reiecit; idem Alexander, qui lyrâ Paridis contemptâ cytheram Achillis id est clipeum & hastā postulauit: videtur ergo musica non esse omnibus approbanda.*

Diod. Sic. l. 1. c. 2. de re anti. Plut. in Alcib. Ælian. lib. 9.

Resp. *Non omnem sed solùm effœminatam musicam à suis ciuitatibus exterminarunt isti, vt constat in vita Lycurgi, qui omnem musicam præter fistularem in rempub. suam admisit, fistularem autem reiecit, ne ciues inflando suis pulmonibus præcordijsq; nocerent.*

Plut. in Licur.

Opp. *Pueri & adolescentes naturâ sunt aucupes voluptatis, non opus est ergo musicâ, nè eiusdem illecebris effascinentur. Ratio tenet, quia musica tædas voluptati addit, præsertim in illa ætate in qua affectus regnant.*

Pueri voluptatis aucupes.

Resp. *Est quædam species musicæ, quæ animum ad virtutem flectit, vt postea docet Philosophus, quam doricam harmoniam appellat; ea quidem à multis moralis nominatur, quia affectus adolescentulorum à vanis mundi nugamentis ad vera pietatis studia vrget, hanc pueris & adolescentibus proponendam esse suadet.*

Dorica harmonia probanda.

Opp. *Musica à laboribus & negotijs reipub. magis necessarijs adolescentes ad otium auocat: ergo non est vtilis. Antecedens probatur, quia in musicâ maximè (vt hîc docet Philosophus) otiū agentis & speculantis quæritur.*

Resp. *Musica à laboribus & negotijs reipub. quidem nos auocat, sed ita vt ad eadem alacriores reuertamur: neq; otium quod est segnities; sed otium, quod est animi requies, ex musicæ vsu quæritur.*

Otiū Musicæ.

Opp. *Vehementiùs alijs cantantibus recreamur quàm si ipsi cantores simus, imò accuratiùs de alijs concinentibus iudicium ferimus quàm si ipsi laborioſè cum alijs vocem extendere contendamus: non*

*est ergo musica vt vtilis & necessaria nobis perdiscenda. Antecedens constat, quia alijs cantantibus maiore voluptate demulcemur, nullo q; omninò labore defatigamur. Ratio tenet, quia illud voluptatis causâ à nobis necessariò non est discendum, cuius maiorem delectationem ex alijs (quàm si in nobis esset) capiamus.*

Resp. *Negamus antecedens, & ad probationem dicimus, quòd maior recreatio non ex alijs quàm ex nobismet cantantibus percipiatur, si recreationis causâ ad cantandum laboribus aut studijs defessi veniamus, imò non est labor cantare, sed sæpè non cantare dolor, præsertim si alijs cantantibus non sciamus canere.*

## Dubium.

*An ars pingendi sit pueris & adolescentibus perdiscenda?*

Pingendi incommoda 4.

Opp. *Ars pingendi est illiberalis: ergo nõ est primarijs adolescentibus perdiscenda; Ad vanas vmbras & phantasmata animos puerorum trahit: ergo non est vtilis. Periculum est ne illius vsus rempublicam in idololatriam ducat: ergo non est necessaria. Postremò*

Exod.20.4. *imaginem facere est lege diuinâ prohibitum: ergo non est omninò toleranda.*

Resp. *Vt satisfaciam his quatuor in vno conclusis argumentis,*

Pictoria facultas duplex. *distinguendum est de pictoriâ facultate, quæ vel strictè pro mechanicâ solùm, vel fusè pro omni arte, quæ figuram tractat, accipitur: primo modo accepta cõmunis & vulgaris, altero verò modo sumpta ingenua & liberalis dicitur. Sub pictoriâ ergo scientiâ calamum scribentis, Apellis penicillum, statuam Polycleti, Euclidis lineam,*

Pingendi vtilitas. *Ptolomæi tabulam, mundiq; descriptionem comprehendimus. Si ergo vlla sit literas scribendi necessitas, si vlla vtilitas morales imagines delineandi, si vlla sit dignitas in statuariâ, in geometricâ & cosmographicâ scientiâ, quis est tam ignarus qui artem pictoriam vt inutilem & abiectam audeat contemnere? Sed vt nunc ordine singulis rationibus respondeã, ad primam dico quòd ars pingendi non est illiberalis & sordida, si modo secundo accipiatur. Ad alteram dico vanas non esse vmbras & figmenta, quæ ab Apelle, Polycleto, Euclide, Ptolomæo, alijsq; egregijs viris depingũtur, sed quæ ab illis fiunt mores hominũ artiũq; mysteria & arcana ad viuũ oculis præsentare. Quod in tertia ratione metuas ne pingendi licentia idola & idololatræ fiant, respondeo dementẽ fuisse Narcissum, qui suam ipsius formã in fonte adorans periit; si enim miser admiretur aurũ, si lapis ex imagine idolum faciat, vitium hominis est, qui rebus abutitur, non artis tam excellentis, cuius vi rerum morumq; historia in tabulis quasi perpetuis conseruatur. Vltima ratio vana & obtusa est, nam Deus in catalogo non imaginem fabricari sed idolum prohibet: imago figurà rei est, Idolum nihil; ab imagine ad rem ipsam mens citò auolat, sed idolum est, si mens in imagine & trunco cesset & conquiescat.*



Ouid Meta.3.

Imago Idolum diuersa.

## CAP. IIII.

*An vtile sit pueros gymnastica arti assuefieri?*

VXTA prouerbium labor est vtilis corpori, maximè autem in pueritiâ, quæ ætas humorum copiâ abundantiùs diffluit: hinc est quòd Arist. resumat hoc loco illam partem prioris diuisionis, in qua pueros arti corporum exercendorum tradendos esse existimauit. Est ergo ars gymnastica ea facultas in benè instituta ciuitate, quâ puerorum corpora ad reni militarem & defensionem patriæ veluti apta instrumenta & arma efficiuntur: sic enim debet esse institutio ciuium, vt non solùm animo & cõsilio sed etiam corpore & lacerto reipub. possint auxilium ferre. Cæterùm hic Lacedæmonios reprehendit Philosophus qui grandioribus & immanioribus exercitijs suos pueros & adolescentes vulnerarunt; nam tria hinc mala eueniunt, (vt ait) deformitas corporis, impedimentum augmentationis, morũ barbaries & immanitas. Deformitas corporis, quia vt oneribus grandiusculis diutiùs humero portatis, ita Olympicis exercitijs maioribus quã par est impositis corpora declinant, languent & deformantur. Impedimentum augmentationis hinc etiam contingit, quia spiritibus labore nimio ex-

Vide Plat. de leg. lib. 7.

Ars gymnastica quid sit.

Plat. in Tim.

Vide Plat. pol. 3.

Exercitij immanioris incõmoda tria.

Deformitas corporis.

Augmentationis impedimentum.

Morum Barbaries.

exhaustis franguntur vires, extenuantur partes, truncus totius corporis exarescit. Morũ deniq; barbaries & immanitas hinc apparet, quia diuturno vsu belli homines immanissimi & efferatissimi veluti lupi efficiuntur; hoc ipsum ostendit exemplis Achæorum & Heniocorum, qui ad necandos homines faciles & procliues sunt, ipsiq; Anthropophagi dicuntur, id est tales qui humanis carnibus saginantur: non sunt ergo in hoc Lacones comprobandi, qui pueros laboribus immẽsis feros & crudeles reddere contendunt, quasi id ad fortitudinem & magnanimitatem perutile esset; quippè non in feris & lupinis moribus (quales fuerunt Syllæ, Marij, Neronis & omnium tyrannorum) sed in mansuetis & leoninis (quales fuerunt Cæsaris) vera fortitudo consistit: vnde poeta,

Ouid.

*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,*
*Pugna suum finem cum iacet hostis habet.*
*At lupus & turpes instant morientibus vrsi*
*Et quaecunq; minor nobilitate fera est.*

Sed hîc aliquis potest dicere, cur tantoperè reprehendis disciplinam Lacedęmoniorũ, quos antè pluribus in locis propter administrationem reipub. suę laudibus extuleris. Respondet Philosophus fuisse olim ciuitatem illam nobilissimam, quamdiù in studio laborum assiduè versabatur, nunc autem extremis certaminibus quasi anhelantem deficere & declinare affirmat. In priore statu florentem laudauit, in posteriore nutantem reprehendit. His positis concludit in gymnasticâ exercitatione præpositos esse constituendos, quorum esset prouidere nè pueri & adolescentes ad certamina nimis effusè & dissolutè ferantur, vtq; hoc fiat commodiùs consideranda sunt ætas, ordo, modus, victus ratio, & finis. AEtas pueritiâ & pubertate definitur, in illa (inquit) lenior, in hac paulò acrior fieri debet exercitatio. Ordo in tempore exercitationis cernitur, nempe vt mane & vesperi istiusmodi certamina suscipiantur. Modus est, vt vires corporis in palæstra laborioſè decertando non consumantur. Victus ratio tenuis non athletica, mediocriter tamen plena non misera, salutaris non crassa & contagiosa esse debet. Finis deniq; est militaris

Pol. 3. c. 10. l. 5. cap. 11.

In gymnastica exercitatione spectanda quinque.

Ætas.

Ordo.

Modus.

Victus ratio.

Finis.



taris rei scientia cum salute patriæ copulata: si hæc obseruentur, quàm vtile sit pueros & adolescentes gymnasticæ disciplinæ assuescere nemo est, vt opinor, qui non videat. Veruntamen si vlla adhuc sit hæsitatio, argumenta hæc punctim collecta meditanda propono. Gymnastica exercitatio superfluos humores corporis quibus abundant pueri cõficit & consumit: ergo pueris eiusdem disciplina vtilis & fructuosa est. Præterea exercitatio ista spiritus consopitos excitat, vires reficit, robur inducit, veram fortitudinem gignit: est ergo vtilis. Deinceps in hac scientia est veluti palęstra ciuitatis, in qua arma & præsidia belli aduersus hostem insunt: quis ergo est qui ad hanc arcem & artem pueris & adolescentibus (in quibus spes ciuitatis latet) aditum intercludendum & obserandum putet? Insuper si Lacedæmonij, si Athenienses, si Romani, si omnes gentes ac nationes adolescentiam in hac arte exercuerunt, rationem non video cur vt inutilis à nobis sit reijcienda. Olympus in Græciâ, theatra palæstrica in Italiâ, loca celebriora vbique terrarum bellicis rebus destinata hanc artem vtilem & honorificam, adeoque pueris & adolescentibus necessariam esse eloquantur. Postremò huius artis neglectio pueris & adolescẽtibus, nec non toti reipub. est pernicioſa, vtpotè quæ segnitiem corporis, audaciam hostis, interitum ciuitatis adfert: eiusdem ergo exercitatio propter contrarios effectus vtilis & fructuosa haberi debet. Sed quoniam sæpiùs de hac re anteà diximus, nunc paucis contenti cum Philosopho huic capiti finẽ imponemus; illud tamen addo, quod ille in fine suadet, nempe vt ad pubertatem vsque leuiores exercitationes adhibeantur, ne violento motu corporis vires imminuantur, accretioque debilitetur plurimùm, quæ quidem euenire ex hoc signo probat, quia rarissimè violentis motibus, exercitijs, & oneribus in pueritia & adolescentia depressi palmam in Olympo attigisse, victoriamq; reportasse in historijs feruntur: sunt ergo leues pueris exercitationes corporis adhibendæ, at post pubertatem cum triennium in alijs disciplinis cõsumpserunt, maiores labores sunt eis iniungendi, cum triennium

Gymnasticæ probatio quintuplex.

Puerorum exercitia sint moderata.

ennium (dico) in alijs disciplinis consumpserint, in quo spatio alijs studijs addicti corpore effusiùs laborare non debent. Ratio in textu est, nam vno tempore & mente & corpore laborem sufferre non oportet; quippè corporis quidem labor menti, mentis etiam labor corpori impedimento est.

Corpus arca mentis, Mens vita corporis.

Corpus enim est arca mentis, mens autem lux & vita corporis; si arca salua sit, mens lucet magis; si mens declinet, protinus & omnino ipsum corpus perit.

Distinctio.

Vsus gymnasticæ.

Gymnasticâ disciplinâ pueri & adolescentes sunt instituendi, vt

- Illorum artus & membra dilatentur,
- Humores in illis crassi (quibus abundant) moderato exercitio consumantur,
- Ab ipsis res bellicæ probè intelligantur,
- Cum opus sit aduersùs hostem animosè pugnent & prælientur,
- Maiorum exempla & vestigia in hac re & disciplina sequantur.

Pol.7.cap.14.

Opp. *Satis de hac quæstione disputatũ fuit antè, cum probauit Philosophus rem militarem pacis tempore esse exercendam: ergo otiosè hoc loco iterum inculcatur.*

Resp. *Illic generatim de re militari, hic specialim de arte gymnastica solùm; illic confusè de praxi omnium, hic verò distinctè de institutione puerorum & adolescentum agitur.*

Opp. *Gymnastica disciplina & musica contraria sunt: ergo si musica sit pueris & adolescentibus perdiscenda, vt est; gymnastica perdisci non debet. Antecedens patet, quia gymnastica est ars corporis, musica scientia mentis; gymnastica laborem, musica leporem habet. Ratio sequitur à loco contrariorum.*

Resp. *Non sunt contraria hæc duo, si ad diuersa subiecta, in quibus insunt, referantur. Contraria enim ad idem subiectum vicissim pertinent, sed hæc distincta subiecta nempe corpus & animum, diuersaq; obiecta (in quibus versantur) habent: diuerso ergo respectu ab ijsdem perdisci & acquiri possunt.*

Opp. *Immanes & efferatos adolescentes scientia hæc militaris efficit: ergo non est vtilis. Antecedens probatur exemplo Lacedæmoniorum in textu, qui ideo suos pueros hanc artem docuerunt, vt eosdem ferociores & truculentiores efficerent.*

Resp.



Resp. *In hoc error Lacedæmoniorum fuit qui potiùs ad hanc artem exercendam mansuetis & leoninis moribus suos adolescentes pertraxissent. At dices mansueti & leonini mores contrarij sunt, & simul in vno cohærere non possunt. Respondeo non esse contrarios, nam per leoninos mores hoc loco generosos & iustos intelligit Philosophus: leo enim est generosum & iustum animal, quod hostem contumacem vngue, dente, caudâ inuadit, at in ouem mortuam & iacentem desæuire non contendit: hinc reges leonibus, tyranni lupis, tygribus assimulantur.*

Leonini mores generosi & iusti.

Opp. *Immodicæ & violentæ exercitationes vires corporis extinguunt: sed in arte gymnasticâ immodicæ & violentæ sunt exercitationes; ergo ars gymnastica pueris & adolescentibus non est perdiscenda. Minor probatur, quia hæc ars corporibus habitum athleticum conciliat, qui habitus (vt Hippocrates docet) propter victus motusq; rationem vires sæpe infirmas & elumbes habet.*

Resp. *Istum violentum motum in principio huius capitis Arist. prohibet, easq; ciuitates iure reprehendit, quæ athletarum habitudinem corporibus adolescentum hoc modo conciliant, causas duas addit: prima est, quia sic corporũ formas corrumpunt, secunda est quia eorum incremento & augmentationi nocent.*

*An corporis labor ingenij vires frangat?*

Opp. *Mens est incorporea potentia animi: ergo corporis labor eiusdem vires non potest obtundere. Ratio tenet, quia mens est omnis passionis & corruptionis expers, vt Philosophus docet.*

Lib.3.de Anim. cap.5.

Resp. *Mens est incorporea quidem potentia animi, omnisq; passionis ac corruptionis expers, si absolutè in animo separato, non autem si respectiuè in animo coniuncto corpori consideretur: nam dum est in ergastulo corporis, tam diù vtitur eiusdem organis & instrumentis, tantus ergo est vtriusq; consensus, vt alter alterius vulnera & passiones sentiat. Quemadmodùm igitur in instrumentis musicis, si vnum neruum tangas, alter eiusdem concentus in alio iuxta posito instrumento mouetur: ita in animo & corpore contingit, si motus & affectus vtriusq; spectes. Corporis ergo labor mentis, & mentis labor corpori impedimento est, vt in calce huius capitis concluſit Philosophus.*

CAP.

## CAP. V.

*Vtrum musica solatij potiùs quàm virtutis causâ sit perdiscenda?*

*An vita contemplatiua magis quàm actiua musicâ indigeat?*

Musicæ laus.

PHILOMELAM omnium musarum & artium quasi volantem ad suã manum resumit Philosophus, musicam intelligo, cuius hîc vocem vt medicinam doloris, motricem affectus, effectricem virtutis pluribus commẽdat, hæc enim tria in primis mouet, an quietis solùm causâ sit perdiscenda musica? An etiam ad mores & virtutes trahat? An deniq; magis ad vitam contemplatiuam quàm actiuam valeat? De his tribus vltro citroq; differendo primùm progreditur, sed tandem resoluit & concludit omnia. Dubitatio prima hunc sensum habet, an musica solatij & quietis causâ vt somnus & potus comparetur? Quod sanè non fit, quia Morpheus, Bacchus, & Ceres, id est somnus, vinum, & panis non mentem sed corpus recreare videntur: sed in musicâ nerui intellectus perculsi sonant, motumq; virtutis & affectus sentiunt. Cæterùm pergit Arist. & disputationis causâ probat musicam ludi & quietis causâ nõ esse perdiscendam: ratio sic est, Pueri non ludunt cum discunt (nam omnis disciplina cum dolore & labore coniuncta est): ergo musica ludi & quietis causâ non discitur. Si dicas quamuis in discendo pueris non adsit quies, illis tamen iam viris factis post artem acquisitam aderit: ad hoc videtur respondere quòd tantopere soliciti non esse deberent futuræ recreationis suæ, sed potiùs vt Medorum & Persarum more alios peritos musicos in hunc finem alerent. Ludis Philosophe, sed perge: quid contra secundam quæstionem adfers? Quæ illa? Hæc nimirum, an musica ad mores & virtutes nos trahat? Sic argumentor cum Lacedæmonijs. Boni & studiosi esse poterimus tametsi musicam ignoremus: ergo musica

Dubia tria quæ mouẽtur.



musica nõ tantopere ad mores & virtutes confert. Nos fallis profectò, sed age, quid contra tertiã adfers? Quæ tertia? Hęc nempè, an magis ad quietem contemplationis quàm actionis musica requiratur? Istas tres rationes accipe. Pueri perfectè contẽplari non possunt: ergo contẽplationis causâ musicam non discerent. Adde etiam quòd viri perfecti ex alijs melius quàm à seipsis hanc musicam quietem petant: ergo nec viris nec pueris musica ad contemplationis quietẽ prodest. Postremò Iupiter secundùm poetas non canit: ergo ad contemplationem non valet. Video nunc sanè (vt diutiùs nõ dissimulem) te nugas agere, nã ista argumenta leuiora sunt & penè nullius ponderis, refutabo igitur. Si id agas optatum habeo. Attende ergo. Attendã diligenter. Sed dic mihi vnũ quæso, an ordine de singulis his tribus dices? Dicam, sed eorum duo ad vnam quæstionem contraham. Quæ illa duo? Prima illa nempe quies & virtus. Moue si placet illam quæstionem, in qua hæc duo continentur. Hæc est, an musica solatij & quietis potiùs quàm virtutis causâ sit perdiscenda? Defendis (vt opinor) ad vtrumque musicam conferre. Quid ni? Audiamus ergo. Tria à nobis proposita, ad quæ valet musica, sunt quies, virtus, contemplatio; per quietem relaxationem animi & corporis; per virtutem perfectionem mentis; per contemplationem animi in primum bonum, primumq; verum defixã intentionẽ intelligo. Quòd valeat ad quietem hinc constat, quia est maximè liberalis & iucunda recreatio animi & corporis, quia est dulcissima medicina doloris, furtemporis, laboris fuga, omnisque molesti affectus & ipsius miseriæ cura: hinc Musæus insignis ille musicus à musis (vt opinor) nominatus solitus est dicere (vt hîc docet Arist.)

Quæstio. 1. Musica & ad solatium & ad virtutem confert.

*Dulcius esse nihil cantu mortalibus ægris.*

Per cantum musicam, per ægros non solùm morbis laborãtes, sed nos omnes mortales fortunæ telis confossos intelligit, qui sanè ex modulatione tantum leuamen percipimus, vt omni mortis maliq; curâ depositâ cum cygnis libenter veluti canentes moriamur. Est enim tanta inter animam humanam & musicam proportio, vt non ineptè anima homi-

Muſica non tantùm ſolatij ſed etiam virtutis cauſâ perdiſcenda.

nis naturalis muſica & harmonia dicatur. Verũ vt ad quęſtionẽ acutiùs diſcutiendã veniã, probandũ eſt non tantũ ſolatij & quietis, ſed potiùs virtutis cauſâ hanc nobilem ſcientiam perdiſcendam eſſe. Quoniam ergo ludus, quies & iocus non ſint bona per ſe ſed in relatione ad aliud, muſica non horum ſolùm cauſâ eſt perdiſcenda; nam vt ait Cicero, Non ita generati à natura ſumus, vt ad ludum & iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potiùs & ad quædam ſtudia grauiora atq; maiora, virtutis ſcilicet: idipſum hoc loco probat Philoſophus, qui muſicam non ſolatij tantummodò ſed potiùs virtutis cauſâ perdiſcendam ſuadet. Concentu enim vocum naturaliter (vt aiunt) mouemur ac delectamur omnes, ſed quiddam maius & diuinius in muſicâ expeti & deſiderari debet, nempè cõformatio animi ad virtutẽ & ad perfectã contemplationẽ diſpoſitio: nõ ergo ſolùm quies ſed quies propter virtutem, virtus autem per ſe & vi ſuâ in muſica diſcenda quęritur. Nã vt ex alijs obiectis ſenſus exteriores pulſantibus phantaſmata quædã in occultis potentijs animi imprimuntur, quibus tanquam formis ac imaginibus mens ipſa depingitur efficiturque ſciens: ita chordæ muſicæ & concentus ab auribus ad intellectum, ab intellectu ad voluntatem trãſfuſi in animo mirificos affectus fructuſque mirabiles virtutis pariunt, quibus homo iuſtus, ſapiens, & beatus redditur. Homo enim non audit muſicam vt leo, ſed de eâ iudicat & diſtinguit, eiuſdemq; nutu & quaſi inſtinctu ad virtutis ſtudiũ & amorem ducitur. Quid negas? An magneti vim attrahendi ferrum, an linguę canis ſanandi modũ, an eloquentię mouendi artem concedis, & muſicę (quę eſt affectuum domina) hominem ad mores & virtutẽ flectendi viã & habenam negas? Erras profectò ſi ſic animum inducas tuum: ſed plura argumenta cape, nimirùm à cauſa, ab exemplo, à comparatione & fine. A cauſa, quoniam illud eſt quodammodo cauſa virtutis, quod nos lætari bonis & dolere contrarijs docet: ſed muſica hoc efficit: ergo muſica eſt quodammodò cauſa virtutis. Ab exẽplo, quia Olympica illa muſica animos hominum diuino quodam afflatu permouet concitatq;, vt experientia



rientia docet: ergo dorica harmonia ad pietatem morum ſapienter inuenta minorem in bonis efficiendis potentiam non habet. A cõparatione, quia morales imagines & ſtatuæ hominum ſæpè nos ad virtutem flectere & mouere poſſunt: multò ergo vehementiùs muſica nos ad virtutis amplexum trahit, in quâ non ſolùm virtutis imago ſed etiam ipſiſſima virtus ineſt. Eſt enim muſica quædam virtus mentis. Si hęc vera ſint, cur non emolleſcit mens tua? ridiculum eſt mihi crede fateri ſpecies & idæas rerum animum afficere & realem virtutis vocem animo loqui non poſſe credere. Obiectum viſus mera idæa eſt antequàm animum pulſat, & tamen ſæpè ad virtutem mouet; ſed vox muſices realis per aurem ad mentem intrat, cur ergo magis ad virtutis amplexum nos non moueret? Poſtremò à fine ſic diſputatur. Muſica eſt medium ad vlterius bonum non autem ad quietem corporis: ergo ad virtutem mentis, in quâ veriſſima quies & perfectio ineſt. Quoniam iam accuratè conſtat muſicam ad ſolatium & quietem, ſed magis ad mores & virtutem ſpectare, ſupereſt vt alteram quæſtionem nunc verbo exponam, quæ eſt, an vita contemplatiua magis quàm actiua muſicâ ſcientia egeat? Nemini iam dubium eſt quin muſica plus ad virtutẽ quàm pingendi facultas animos puerorum allectet, vt exempla Pauſonis & Polygnoti in textu docent, quorum ille ſolùm figuras, hic verò mores hominum luculenter expreſſit. Veruntamen vt viſus ad capeſſendã doctrinam minùs valet quàm auditus: ita minùs ars picto ria, quæ per viſum, quàm muſica, quæ per aurem percipitur, mentem ad virtutẽ amplectendâ incitat. Sed quorſùm hæc fortaſſe dices? Eò certè quò meliùs intelligas omnem muſicã non eſſe ad contemplationem virtutis neceſſariã. Nã vt pueri non Pauſonis ſed Polygnoti imagines, hoc eſt nõ inanes vmbras ſed morales & excellẽtes intueri debẽt: ita in cõtẽplatiuâ vitâ nõ Panos fiſtulam ſed Apollinis lyram audire conuenit; Eſt enim muſica varia & multiplex, alia enim eſt humilis & remiſſa, quæ lydia; alia vehemens & incitata, quæ phrigia; alia mediocris & media, quæ dorica nominatur.

Muſicæ ſpecies variæ.

Lib.4.de Musica.

Boetius in hac re est consulendus, qui septē harmonię species ponit, nempe hypodoriā, hypophrigiā, hypolydiā, phrygiam, lydiam, mixolydiam & doriam, quę omnes & singulæ diuersas vires ac proprietates in affectibus mouendis habēt. Sed ad propositum nostrum, grauis & diuina illa musica oraculis plena doria nominata pertinet, illa enim potissimum animum ad studium sapiētię ac verę pietatis trahit, hac olim in sygnagogis ethnici, hac nunc in ecclesijs Christiani vtuntur; est enim in ea quædam cœlestis harmoniæ imitatio, quâ veluti dulci & salutari medicinâ animi morbi curantur, dissipantur vitia, minuuntur curæ, ros gratiæ diuinę sensim ac pedetentim instillatur, vt Augustinus asserit, qui Augustinus ad lachrymas & fletum voce & harmoniâ dulciter cantantis ecclesiæ se sæpè motum fuisse confitetur. Sed ad rem. Hac musicâ vita contemplatiua magis quàm actiua eget, quod paucis sic argumentis probo. Vita contemplatiua est vel perfecta vel imperfecta, illa magis eget, quia musica est quodammodò eiusdem forma & perfectio, quippè tota in cōcentu & harmoniâ animi illa vita cōstat: ne ergo vlla sit mentis defectio, nè vlla declinatio virtutis, necesse est vt musicâ confirmetur: si verò sit imperfecta, eò magis eget, nè Dæmas tædio contemplationis ictus se à Christo ac religione ad mundi nugas vertat. Labor enim virtutis modò susceptę magnus, sed perfectę nullus: dū ergo hęc vita est veluti herbescens & inchoata, opus est doricâ harmoniâ, quâ magis magisq; in dies singulos augescat & roboretur. Nā si obiecta mundi, quę sunt grauia quasi mentis pondera; si oblectamenta appetitus, quæ sunt quasi toxica venena animi, instinctu musico nō tollantur, facilis relapsus erit, quem descēsus auerni heu nimis lubricus & periculosus sequitur. Prętereà quoniā homo est ex humo natus, & ad deū veramq; cōtemplationem sine medio excitari non potest, necesse est vt theoricę vitę deuoti melodiâ à terra ad cœlum, ab hac abisso rerum ad deum omnium bonorum fontem & finem eleuentur. Expedit hîc etiam perpendere & considerare quòd inter musicam & contemplatiuam vitam sit maxima similitudo & consp iratio,

Musicæ doricę encomium.

In præfa. in psalmos. Lib. 9. cap. 6. confes.

Vita contemplatiua magis eget musicâ quàm actiua.



consp iratio, quæ semper in actiuâ vitâ non cernuntur; nam in actiuâ vitâ mille sunt illecebræ, quibus mobiles volūtates hominū in deuia rapiantur. Si igitur hîc vrgeas magis opus habere musicâ quâ reuocentur, respondeo id verum esse si musicā ad mores accomodatam intelligas. Sed hic de dorica & phrygia harmonia agimus, quæ (vt loquitur Philosophus in textu) ad mentē instinctu diuino concitandā valet. Huc addi potest quòd olim ethnici in suis oraculis, quòd prophetæ in suis augurijs, quòd maiores nostri in suis exequijs celebrādis hac specie musices vsi fuerint; quod sanè non fecissent, si plurimū momēti ad vitā contēplatiuā musica nō contulisset; quippè in oraculis, augurijs, exequijs contemplatio maximè exercetur. Concludā ergo theoricā vitā magis quā practicā musicâ egere, quia est vita difficilior, quia est ipsi harmonię in sua ipsius natura similior, eaq; de causa illam magis expetit, quia est hoc modo constantior, quia eiusdem diuino motu & instinctu deo facta est coniunctior, quia sacerdotibus, prophetis, omnibusque deuotis atq; sanctis & nunc est & semper fuit habita cæteris artibus longè diuinior. Tali enim numerorum distinctione, tali proportione vocū cōstat, vt mēs extra se quasi posita de cœlo, de Deo, de immortalitate & gloriâ solū cogitet ac meditetur. Verùm quoniā de numeris hic agimus, animaduertendum est Arist. in fine huius cap. de rhythmis agere, in quibus nō solū harmonicus sonus, sed etiā sensus diuinus ineſt; quasi nobis suaderet sapiēs Philosophus vt in cōtemplatione nō sicut aues, sed sicut homines alternatis vocibus concertemus. Nā quāuis fatear pastores angelorū cantu, & Iohannē 24 seniorū corā agno cātantiū Alleluia plurimùm delectari, nec non in deum sic extra se positos deuotissimè raptari posse: sensu tamen percepto rhythmorum, id est si placet psalmorū & hymnorū, qui cantātur, multò deuotior spiritus & cōtemplatio redditur: excipio tamen duo, videlicet nisi scientiâ inflati nouo sensu abundemus, & nisi cōtradicendi studio hęreticè delectemur: tū quidē melius est sono & concentu solùm ad simplicē pietatē moueri animū, quā malo sensu non aliter quàm monstrū parturiēs laborare.

Musica ad mores accommodata vitæ actiuæ, dorica verò contemplatiuæ apūor.

Reuel 5.8.

Reuel. 14.23.

Canendi cautiones 2.

Distinctio.

Musica confert
- Magis ad virtutem quã solatium, quia
  - Virtus est bonum per se, solatiũ verò propter virtutem.
  - Musica comparatur non ad sensum tantùm, sed ad mentem, in qua virtus sedet.
  - Musica magis animum quàm ars pictoria ornat.
  - Musica est via & quasi vox virutis.
- Magis ad vitã cõtemplatiuã q̃ actiuã, quia
  - Vita contemplatiua est difficilior.
  - Musica est ei vitæ similior.
  - Musicę vsu vita illa est constantior.
  - Hoc modo facta est Deo coniunctior.
  - Sanctis patribus musica cæteris artibus habita est diuinior.

Musicæ fructus.

## Opp contra primam quæst.

*Musica est causa affectus: ergo non est causa virtutis. Antecedens patet, quia musica proximè demulcet sensum, vnde affectus nascitur. Ratio tenet, quia affectus est (desinente Philosopho) animi motus à rectâ ratione, qui est virtuti planè contrarius: ergo si musica sit causa affectus, non erit causa virtutis.*

Eth. 1. cap. 5.

Resp. *Affectus sunt vel acres, qui definiuntur motus animi à recta ratione; vel mediocres, qui sunt voluntatis stimuli ad virtutẽ: hos nõ illos musica moderata gignit; moderata dico, quia est quoddã genus musices quod ad scelerum immanitatem, ac voluptatum illecebras animos hominum periculosè incitat, quali hodie vagabundi tibicines ad inflammandam venerem & libidinem vtuntur.*

Musica mediocres affectus, non acres gignit.

Opp. *Musica Dorica & Phrygia ad virtutem nos magis non mouet quàm ad solatium: ergo nulla. Antecedens constat, quia musica Dorica & Phrygia solatiũ tantùm ante & post acquisitam virtutem spectat: docet enim nos lætari medijs quibus oportet in acquirenda virtute, & docet nos gaudere virtutibus acquisitis: videtur ergo magis ad solatium quàm ad virtutem destinari.*

Resp. *Quamuis ante & post acquisitam virtutem animi solatiũ musices hoc genus spectet, nõ tamen illud propter se sed propter virtutem spectat: rectè ergo non concluditur quòd musica magis ad solatium quàm ad virtutem nos moueat, quoniam ad illud solùm per accidens (vt aiunt) ad hanc verò per se vi musices allectamur.*

Opp. *Musica recreationis causâ inuenta fuit: ergo potius ad solatium quàm ad virtutem refertur. Antecedens est Arist. in tertio capite huius libri. Ratio constat, quia res quælibet ad id maximè refertur, cuius causâ constituuntur.*



Musica ad recreationem, virtutem.

Resp. *Musica recreationis causâ inuenta quidem fuit, hæc ratio tamen non sequitur, quia recreatio finis musices per accidens, virtus verò & contemplatio per se dicitur. Vt enim artis medicæ vnus finis est comparare medicinas, alius verò ijsdem comparatis sanitatẽ efficere: ita musices medius finis est recreare, vltimus verò homines gratis & amenis affectibus perculsos ad studium virtutis magis allicere.*

## Opp. contra secundam quæstionem.

*Vita contemplatiua est per se satis delectabilis & iucunda: ergo opus non habet musicâ. Antecedens constat, quia nihil est suauius aut iucundius virtute, quæ solâ vitâ contẽplatiuâ capitur, vt in 10. Ethicorum, & in principio septimi lib. Politicorum Arist. probant. Ratio tenet, quia musica eâ de causâ huic vitæ attribuitur, vt in otio & contemplatione degentibus vita suauior amæniorq; fiat.*

Resp. *Vita cõtemplatiua absolutè perfecta in hoc mortali Olympo non est: comparatione tamen actiuæ vitæ perfecta & absoluta dicitur, quippè multo minores curas & molestias habet, easq; quas habet facilius deuorat: ne autem præualẽte infirmitate naturæ aut irruente fortuna procellâ obruatur, musica vt consolatrix adhibetur, cuius ope vitæ integritas perpetuò conseruatur.*

Opp. *Videris fateri actiuam vitam maioribus molestijs curisq; diuexari: magis ergo videtur musicâ indigere. Ratio tenet, quia musica est (vt docet Philosophus sæpè in textu) nihil aliud quàm molestiarum ac dolorum veluti cura & medicina.*

Musica dolorũ medicina.

Resp. *Satisfecimus huic argumento in expositione textus, vbi concessimus actiuam vitam magis indigere, si musicam ad virtutes morum accommodatam intelligas: non autem si musicam Doricam quæ solũ ad virtutes mentis & diuinum afflatum spectat, hæc enim homines in extasim animi & obliuionem mundi rapit, hæc dæmones vt lyra Dauidis à Saule furente fugat, hæc in oraculis vim quandã cœlestem habet, hæc denique contemplantium præcordia ad religionẽ & deum instinctu quodam diuino flectit. Veneranda ergo hæc est, & supra quàm dici potest honoranda, vt eius quotidiano vsu à somno securitatis (in quo iam mundus stertit) excitemur.*

Musica dorica.

1. Reg. 16. 23.

## CAP. VI.

*Vtrum vocalis & instrumentalis musica omni ætati conueniat?*
*Vtrum musica fistularis à repub. exterminari debeat?*

Prætextus eorum qui omnẽ musices vsum condemnant.

EST quoddam genus hominũ in hac ætate nimis proteruum,&(vt ita loquar) Stoicè stuperstitiosum, quod omnẽ musices vsum in tribunali suo vanissimè condemnat: prætexunt hi nescio quam causam summę pietatis,nempe vt deus ab hominibus distinctè cum intellectu, & non confusè graculorũ more adoretur,quod sanè fieri(vt aiunt)non potest,si in templo vt in theatro cantibus ac instrumentis concertemus. Deus inquiunt fistulosis organis & lyris neruosis non placatur: delirant ergo qui ijs vtuntur, hinc sæpe vrgent illud quod antiquitas dedit:

*Non vox sed votum, non cordula musica sed cor,*
*Non clamans sed amans cantat in aure Dei.*

Vtinam votum,cor,amorem Deo isti persoluerent,tum quidem vox,cordula, & clamor omnino non deficerent; fateor equidem id verum esse,quod Cassiodorus habet, Non solũ cantantes sed intelligẽtes psallere debemus, id quoq; optãdum est,quod patres in concilio 4. Carthaginensi præceperunt:vide inquiunt vt quod ore cantas corde credas,& quod corde credis opere & vitâ comprobes. Rationem diuus Augustin. addit, bene inquit psallere & malè viuere est deo odiosum. Sed quid? An hinc concludis musicam omninò à templis exterminandum esse? Hoc est arma militibus tollere, quia artificiolè non pugnant. Sed vult Philosophus hîc doriam solùm musicam in templis & oraculis adhiberi; quę certè siue sit plana,siue sit variata, grauis & distincta est, mentibusq; hominũ veluti apertè loquitur: si sub hac specie psalmi hymni,carmina diuino numini in templis decantentur, siq; ad maiorẽ deuotionẽ concitandam cũ instrumentis musicis voces humanæ coniungantur,absurdum aut impiũ haberi

Cassiodori sententia. Decretum consilij carthaginensis. In psal.40.



haberi non debet. Nam quamuis instrumenta syllabicè non loquantur, musicè tamen ferentes sonum pios affectus mouent. Quid tæpiùs hîc de musica in templo Salamonis, de Danidis cytherâ & cymbalis bene sonantibus dicerem? Qui de hac re dubitant legant Augustinum in præfatione, quam in Psalmos scripsit,Chrysostonum in Psalmum 148. Tertullianũ ad vxorem libro secundo, Athanasium de interpretatione Psalmorum ad Marcellum, Eusebium libro quarto de vita Constantini,& decretum totius ecclesię contra Paulum Samosatenum hæreticum; quòd Psalmos & cantus, qui ad honorem Christi decantari solebant, tanquam à viris recentioris memoriæ editos exploserit. Sed reuertamur ad Aristotelem,& videamus an musica vocalis & instrumentalis omni ætati conueniat? Pueritiæ & adolescentiæ conuenire affirmat, idque duobus argumentis hoc modo suadet. Quicquid plurimùm valet ad rectè iudicandum de moribus est pueris & adolescentibus perdiscendum: sed musica tam vocalis quàm instrumentalis plurimùm ad rectè iudicandum de moribus valet, etiamque confert ad ipsam bonam dispositionem morum, vt antè probatum est: ergo musica tam vocalis quàm instrumentalis est pueris & adolescentibus perdiscenda. Maior constat, quia puerorum & adolescentum plurimùm interest eas artes discere, quæ ad mores pertinent. Minor etiam constat, quia in musica est expressa morum similitudo, miraque affectuum ad studium virtutis inflammatio.Secundum argumentum hoc est,Quicquid est accommodatum delectabili & liberali puerorum & adolescentum exercitationi ab eis est perdiscendum: sed musica tam vocalis quàm instrumentalis est accommodata delectabili puerorum atque adolescentum exercitationi:ergo ab eis est perdiscenda.Ratio hæc patet,quia hæ duæ ætates sine exercitatione languent, quiescere enim omninò nesciunt. Vt ergo infantulis Archytæ crepitaculum dandum est, quo se delectent & exerceant:ita pueris & adolescentibus musica illa crepitacula & organica est perdiscenda, quâ liberaliter & honestè mentem capiant, moueant corpus, tempus

Euseb.l.7.c.24.

Quæstio. Musica vocalis & instrumentalis puritiæ & adolescentiæ conuenit.

fallant.Sed dices,nonne proueĉtioribus etiã ętate praxis huius artis conueniat?huic dubitatiũculę reſpondet Ariſt.in textu,cum Democritos quoſdã ſuorũ tempotũ,hoc eſt Momos quoſdã & irriſores refellerit : fuerunt enim quidã Ariſtarchi ętate Ariſt.vt nunc ſunt,qui actum & opus muſices homines ſordidos & illiberales efficere ineptiſſimè dicebant,qui Sardanapalũ mollem,Neronẽ tyrannum,Alexandrum inſolentem,Homerum inſanum,furioſũ Herculẽ,Paridem adulterũ ex opere praxiq́; muſices factos eſſe cenſuerunt.Habuerunt quidẽ hij omnes ſuas lyras, multaq́; & varia inſtrumẽta muſices;ſed negamus lyram , ad quam cantabat Nero , cauſam fuiſſe cur Romam incenderit ; negamus cytheram , quam Paris tractabat, cauſam fuiſſe cur Helenam ſuſtulerit; negamus inquam vocem aut inſtrumentum cauſas omninò eſſe, cur iſti aut alij quicunq; inſani,furioſi,adulteri,aut quouis alio modo flagitioſi fiãt;ineptũ ſanè eſt mentis labem in artis vſum vertere,vel propter ſcelus hominis ſplendorẽ artis tollere. Fateamur enim quòd iſti (vt hodiè nimis multi) fuerint abuſi ad morũ licentiã hac diuinâ ſcientiâ,eſtnè igitur venerabilis eiuſdem vſus tollendus? an inde cõcludes omnes ſordidos & illiberales effici,qui fides & neruos pulſant, aut cõſorti vocũ cõcentu ad numeros & modos cãtant?hoc eſt gladiũ Dauidi negare, quia gladio Saulus ſeipſũ transfixit, vſũq; rei eximię tollere , quia peſſimi homines eâdem abutuntur. Quid ergo?An ſenibus decorum eſſe putas,ſi muſicis inſtrumentis digitos admoueãt,ſi in choro cõtendant?ſi vociferentur?vide quid tibi reſpõdeat Ariſt. qui pueris & adoleſcentibus tractationẽ,viris & ſenioribus iudiciũ huius artis cõuenire aſſerit.Rectè igitur nõ vult ſenes ludere,non vult cantare; temerè & incõſideratè hoc infers, nã iudicium artis nõ tollit artis praxim;poſſunt enim ſenes aut recreationis cauſâ ad ſolatiũ vitę,aut cauſâ cõtemplationis ad cultũ dei hanc artem exercere,non tamen vt pueri & adoſcentes in foro, theatro, ludo;ſed vt decet grãdiores domo,in muſęo,in tẽplo,in quibus hymnos deo canere , & dulciſſima pietatis inſtrumenta tractare ſenili ętati conuenit. Hinc vt opinor Socrates in ſua ſenectute

Muſica inſtrumenta non fuerunt cauſæ flagitiorum ſceleratis.

Senes muſicã exercere debent in muſęo, domo,templo.



ſenectute hãc artẽ didicit,vt Patricius ſcribit;hinc Epaminõdas ſenex lyrã pulſare non recuſauit; vana enim nõ ſunt quæ ſunt honeſta, indecora nõ ſunt quæ ad diuinos vſus deſtinãtur.Sed de ſecunda quęſtione diſputemus,ſcilicet an muſica fiſtularis à repu.ſit exterminanda?Plato(vt ait Patricius)muſicam tripartitam fecit , vnam voce ſolùm conſtare ait, vt in cantu humano cernimus; alteram voce ſimul & manu, vt cũ neruorum pulſibus oris modulatione concinnimus;tertia ſolis manibus perfici ait , vt cum ſilente organo vocis cytherã percutimus. De hac vltima ſpecie harmoniæ hoc loco agimus,quam Ariſt.organicam,artificioſam, aut inſtrumentalẽ in textu appellat . Inſtrumentorum verò alia ſunt bellica, vt membrana,tuba,& ſonoræ fiſtulæ; alia ſunt ethica & moralia,vt organa,cytherę,barbitona;alia theorica & diuinis vſibus inſeruientia,vt pſalteria,trigona, ſambucæ, omniaq́; ea quæ mentem ſurſum in meditationem rerum diuinarum rapiunt;alia denique theatrica & Bacchanalia, vt lyræ , plectra , omnes tibiæ maximè ad voluptatem mouendam arte & vſu deſtinatæ.Hę omnes muſicæ formæ(vt docent Philoſophi)ſi opportunè adhibeantur, ſingularem in republica vſum & dignitatem habent,imò Socrates apud Platonẽ tanti æſtimat vt auderet dicere mutationem muſices aut defectionem reipublicæ maximè periculoſam eſſe, perinde ac ſi diceret ciuium fortunam, bellum, pacem, virtutem totamque vitæ rationem quodammodo à fidibus dependere. Hinc Timotheus muſicus ille egregius patriâ exploſus fuit, quia vnum neruum muſico inſtrumento addit; hinc Themiſtocles cum in epulis recuſarit lyram , habitus eſt indoctior: quid multis ? Tanti fecerunt maiores noſtri hanc praxim artis vt indignos vitâ , luce , ciuitate putarent , qui lyram aut contemnere vt AEtas; aut mutare vt Timotheus ; aut ignorare vt Themiſtocles videbantur . Sed dices ſi omnis inſtrumentalis muſica approbetur , cur fiſtularis non admittitur, Attende omni ex parte fiſtularem muſicam non reiecit hoc loco Philoſophus ſed in placato ſtatu ciuitatis tantùm: vult enim in bello proculdubio adhiberi, vt homines

Exempla ſenum qui muſicam exercuerunt.

Quæſtio. 2.

Muſica triplex

Inſtrumentorum muſicorum diuiſio.

Cicero Tuſc. Socrates totã vitæ rationem à fidibus dependere cẽſet.

Fiſtularis muſica ſolùm in placato ſtatu ciuitatis reijcitur.

homines acriùs ferociuſq; extra ſe quaſi poſiti in hoſtem rapiantur. Quòd verò in florente & beato ſtatu ciuitatis talis admitti non debeat, ſic argumentisprobat. Fiſtularis muſica ad mores mitiores non confert:ergo in placato reipub.ſtatu admitti non debet. Ratio conſtat,quia fiſtularis muſica hîc intellecta eſt ſonora illa vehemẽti flatu edita, quà milites ad pugnam potiùs quàm ciues ad pacem concitãtur:ſed in placato reipub.ſtatu non acres ſed mediocres affectus,idq; non ad impetum animi ſed ad quietem & virtutem ſunt leniter commouendi.Alterum argumentum hoc eſt,Muſica fiſtularis ſpiritus vitales conſumit,pulmones nimium diſtendit,anhelitum difficilem efficit, corpus defatigat,tabem generat, mortem ſæpè repentinam infert: ergo non eſt approbanda. Tertiũ ſic ſe habet,Lacedæmonij & Athenienſes tibijs olim vſi, vt ex tabulis Thraſippi apparet, hoc genus muſices tanquam inutile ad mores & virtutẽ abiecerunt; idem fecit Lycurgus in ſua ciuitate;idem Romani:ergo non eſt toleranda; nã quãuis Græci inprimis ſuos buccinatores, tibicineſq; inflantes & inflatos habuerunt,incõmodis tamen experientiâ demũ perceptis hoc genus muſices à templo pacis in campũ Martis abegerunt. Quartò ſic diſſerit Ariſt. Opus fiſtularis muſices eſt ſeruile & illiberale: ergo nõ id genus muſices eſt permittendũ.Antecedens conſtat,quia fiſtularis muſica ſuſcepta eſt lucri & mercedis cauſa. Ratio tenet, quia ea ſola muſica eſt perdiſcenda in placato ſtatu reip. quæ eſt tantùm hominibus liberis & ingenuis digna.Poſtremo à Philoſopho hoc modo concluditur. Minerna fiſtulas à ſe repertas abieciſſe dicitur,idq; ob duas cauſas:primùm quia oris deformitate offenſa erat;tum vel maximè quia hoc genus harmoniæ nihil vſus ad intelligentiam & mentẽ adfert:talis ergo muſica in ſtatu florente ciuitatis nõ eſt exercẽda.Sed attendendũ hîc eſt,non ſolùm laborioſam muſicam & fiſtularem hoc loco ſed etiam voluptuoſam & nimis exquiſitã (quam mirabilem appellat Ariſt.) reijciendam eſſe, maximè verò ſi vel ad turpe lucrũ,vt illa;vel ad luxũ & voluptatẽ,vt hęc nimis delicatula referatur:eò igitur accedũt omnia,eò inquã omnia Ariſt.



riſt. præcepta tendunt, vt in muſica (ſiue illa ſit vocalis ſiue organica) ſolã virtutis vocẽ audiamus,eiuſq;harmonica præcepta non tam voce canere quã mente ſapere perdiſcamus.

Diſtinctio.

Proban. tur in hoc ca. duo.
- Primùm,quòd muſica vocalis & organica omni ætati conueniat, quia
  - Pueritiæ & adoleſcentiæ conuenit exercitationis & virtutis cauſâ,
  - Virili ætati & ſenectuti conuenit iudicij,recreationis,pietatis,& contemplationis cauſâ,vt apertè in textu docetur.
- Secundò,quòd muſica fiſtularis non ſit in placato reipu.ſtatu adhibenda,quia
  - Non eſt ethica & moralis,
  - Eſt nimis violenta & naturæ inimica,
  - Maioribus non fuit approbata,
  - Eſt ſeruilis & illiberalis,
  - Minetuę & muſarum ſtudijs eſt infeſta.

Opp.contra primam quæſt.

Opp. *Senes non debent vocalem & inſtrumentalem muſicam exercere:ergo omni ætati non conuenit. Antecedẽs eſt Ariſt.in textu, cuius verba hæc ſunt. Idcirco oportet eos dum pueri ſunt opera muſices tractare,vbi verò adoleuerint grandioreſq; facti ſunt,opera quidem miſſa facere,rectèq; iudicare debent.*

Reſp. *Satisfactum eſt huic argumento in expoſitione noſtrâ,vbi docuimus iudicium muſices ad ſenes,opus ad adoleſcentes pertinere: ita tamen vt Socrates,Epaminondas, Neſtor & Homerus aliquando & cantent & ludant, non autem vt iuuenes in foro,ſed vt ſenes in templo,idq; pietatis & contemplationis cauſâ.*

Opp. *Muſica vocalis & inſtrumentalis omnem edificationem tollit:ergo in eccleſia non eſt adhibenda. Antecedens probatur,quia vocum & inſtrumentorum confuſione diuinus ſenſus eorum qua cantantur percipi non poteſt.*

Reſp. *Verũ hoc eſt, ſi diſtinctè & ſyllabicè(vt aiunt)à muſicis nõ cantetur: at ſi voces & inſtrumẽta ſuauiter & diſtinctè conſonẽt & concordẽt, non videtur quin & meliùs ſenſus percipiatur,& etiã interno ſenſu mens ipſa magis ad deũ & pietatẽ incitetur. Quantũ fleui in cãticis tuis,inquit Auguſtinus,audiẽdo hymnos & Pſalmos, & quàm internè vocibus dulciter cantantis eccleſiæ tuæ mouebar?* Auguſt.lib. conf.9.cap.6.

Opp. *Deus eſt ſpiritus:ergo mente non cantu & voce coleretur.*

Reſp. *Ratio non cohæret,quia vt deus mentẽ, ita corpus creauit: & vt illius facultatibus præcipuè: ita huius partibus & potentijs ſe adorari*

*adorari iussit, si signa signatis (vt aiunt) facile respõdebunt: quare eã externam musicam extollimus, internum animi concentum non negamus, imò potiùs illius impetu huius aciẽ acuimus & excitamus.*

Opp. *Musica vocalis & instrumentalis expresso verbo non mandatur: ergo approbari non debet.*

Resp. *Sic potes probare aurum, thus, & myrrhã, quæ reges obtulerũt christo: vnguentũ pretiosum quo Maria Magdalena pedes Christi inunxit; aliaq; infinita veneranda non approbari: quippe expressum verbi chirographum & mandatũ non habent. Respõdeo igitur musicam deuotè inferri posse modo in honorem Dei adhibeatur.*

Matt. 2. Iohan. 12.

Opp. contra secundam quæst.

Opp. *Tibiæ sunt permittendæ in placato statu reipu. ergo musica fistularis. Ratio tenet, quia musica fistularis ex tibijs constat.*

Resp. *Tibiarum aliæ sunt sonoræ, bellicis vsibus accommodæ; & tales in pacato reipub. statu prohibentur; aliæ verò sunt in quibus est expressa humanæ vocis imitatio, & tales propter delectabilem suauitatem ac similitudinem permittantur.*

Opp. *Arist. nominatim in textu reiecit cytheram: ergo præter fistularem musicam, alia est reijcienda.*

Resp. *Per cytherã Arist. hoc loco (vt quidã exponũt) magnũ, perforatũ, & sonorum instrumentum intellexit, in quo pulsando plus laboris quã leporis fuit: ne ergo seruile ac illiberale esset tale propter ingentẽ molem circumferre, eiusdẽ vsum non inepte nobis pernegauit.*

## CAP. VII.

*An musica conducat ad tria?*

Musices subiectum, Partes, species, Media.

Fines.

Vbiectum musices circa quod versatur melos est seu harmonia, partes natura, vox, instrumentũ: species, dorica quę ad mores, lydia quę ad actiones, phrigia quæ ad diuinos animi motus concitandos pertinet: media sunt modi, claues, numeri; fines sessorum recreatio, institutio morũ, rerũ diuinarum contẽplatio, sub qua hoc loco animi expiatio (vt vtar verbo Arist.) cõtinetur. Hinc postrema politicorum quæstio est, An musica conducat ad tria



tria? Antequam ad hanc quæstionem discutiendam veniam, breuiter & succinctè partes ipsius textus veluti digito attingam & demonstrabo. Postquam in priore capite quibus instrumentis, & quousque vtendum sit, docuerit Philosophus; nunc de cantibus, harmonijs, rythmis generatim & rudi (vt aiunt) Mineruâ differit. Partes huius capitis tres sunt, scilicet triplex de musicâ dubitatio, de tribus eiusdem finibus & terminis resolutio, horum omnium deniq; ad mores & ætates hominũ applicatio. Triplex dubitatio hæc est, vtrum ad disciplinã morum omnibus harmonijs, numeris & rhythmis vtẽdum sit? deinde, vtrùm eis qui in institutione puerorum elaborant, aliã ipsis pueris musicam accommodemus? postremò, vtrum musica sit optabilior ea quę in cantu consistit, an quæ in numeris? triplicẽ hanc dubitationem Arist. in textu non soluit, cuius rei duas causas tradit, primam quia nõnulli eius ætatis musici & Philosophi accuratè de illis disputarunt, secundã quia ad institutionem morũ sufficit solùm vmbras rudiores delineare, ac generalia præcepta musices tradere & adhibere. Altera pars capitis est de tribus finibus musices resolutio, in qua ad tres terminos ac veluti scopos musica refertur: hij verò sunt recreatio, doctrina, morum contemplatio: ad hanc vltimam partem, lustratio animi siuè expiatio ab Arist. reuocatur. Est verò expiatio animi quædam veluti sedatio affectuum, quę sacris cantibus (vt hîc loquitur philosophus) perfici solet, de qua pluribus in expositione quæstionis statim dicemus. Vltima pars capitis est applicatio horum ad mores & ætates hominum, distinguit ergo philosophus quòd duplex sit genus hominum, aliud politũ, aliud rude & ignarum: illi exquisitum & remissum, huic magis leue, detortum ac deprauatũ musices genus conuenit: Vt enim quidã cæci & lippientes magis indecoris quàm pulchris coloribus: ita quidã naturâ ab harmonia declinantes magis Panos stridente fistulâ quã Arionis dulcissimè sonante cytherâ capiũtur. Vtendũ ergo est vt docet Philosophus omni musicâ, sed non eodem modo omnibus; Hercules enim tubâ, Tyterus inflatâ fistulâ, Orpheus lyrâ, Dauid

Capitis huius partes tres.

Dubitatio triplex.

Resolutio de tribus finibus musices.

Applicatio ad mores & ætates hominum.

Politis musica exquisita conuenit, ignaris verò deprauata.

Omni musicâ vti conuenit sed non omnibus eodem modo.

uid organis & psalterijs delectatur. Adfert (vt in textu ait) vnicuiq; voluptatem id quod cuiusq; naturæ accommodatũ est; ad disciplinam morum autem vtendum est solùm moratis cantibus & harmonijs, qualis est doria: nam medium inter duo extrema tenendum est: at dorica harmonia media est inter lydiam, quæ ad humana opera; & phrygiam, quę ad philosophiæ studium & diuinum animi motum concitandũ spectat. His positis Platonem refellit, qui phrygiam concitatricem affectuum cum dorica moderatrice virtutum coniunxit, tibiamq; reiecit, quæ tamen (vt hîc ait Philosophus) est aptissimum instrumentum concitandi affectus, vt in organis, psalterijs, alijsq; id genus musicis instrumentis constat. Quòd verò sit phrygia harmonia concitatrix affectuum, testimonio poetarum & nominatim exemplo Philoxeni (nè hoc negaret Plato) confirmat. Hic Philoxenus (vt ait) carmina pathetica quidem fecit, affectibusq; plena, quæ, cum ad doriam concinnare enixus erat, non potuit, ad phrygiam verò reuocauit, & tum excellunt, sed hæc quoad mores. In ætate consideranda duo sunt, potentia & decorum: defessis ergo & senibus natura cantus non acres & vehementes sed remissos suggerit: desunt enim eis vires, desunt spiritus. In hoc ergo iure Socrates culpãdus erat, quòd omnes remissas harmonias quasi Bacchiorum lasciuas & temulentas respuerit, cum tamen senes ægri & defessi (maximè egentes solatio) hoc solo genere harmoniæ reficiantur: nam lydia musica pueris & adolescentibus accõmodata, illis propter imbecillitatem est valdè periculosa. Decorum tria spectant, locus, modus, & genus harmoniæ; locus ætati & personis accommodatus: modus nè vltra modum & modestiam (quod vitium cantoribus commune est) decantetur. Genus harmonię, vt auditorum animi cantantium operâ & contentione aut ad disciplinam morum, aut ad fessorum quietem, aut ad cõtemplationem diuinarum rerum alacroires fiant: nam hæc tria sunt, ad quæ musica conferre dicitur, vndè quæstio est, an musica conducat ad tria? De his tribus antè in tertio capite huius libri disputatum est, hoc verò loco fit solùm istorum omnium

Platonis refutatio.

In ætate duo considerãda. Potentia.

Decorum.

Locus.
Modus.
Genus Harmoniæ.

Quæstio. Musica conducit ad tria.



omnium repetitio: ne ergo sim verbis molestior rem actam non agam, breuis ero. Quoniam in vitâ humanâ nihil certius est incertâ vitâ, eâdemq; infinitis malis ac morbis obnoxiâ; quis non videt afflictos solatio in malis; languidos medicinâ in morbis indigere? Sed quod solatium in miserijs maius? quod pharmacum in morbis melius est harmoniâ, quâ omnium malorum tædium aut omninò tollitur, aut lenitum toleratur facilè? Exemplum huius rei dedit Empedocles, qui dementatum ad sobrium ingenium hoc solùm modo reuocauit. Ismenias quoq; Thebanus ille musicâ solùm quamplurimos febribus æstuantes liberasse dicitur. De morum disciplina iterùm quid dicam, cum satis iam satis constet musicam (quam Doricam appellamus) neruos animi ad virtutis concentum tendere, & veluti ab affectibus malè sonantibus ad morum concinnitatem & harmoniam flectere? Exemplum huius rei dedit Pythagoras qui concitatos iuuenes ad vim pudicę familię afferendam, mutatis in spondeum lyræ modulis compressisse fertur; simile de Caio Graccho scribit Patricius qui dulcissimâ hâc musâ vsus populum Romanum sæpissimè ad suam voluntatẽ flexit. Postremò quòd ad contemplationẽ rerum diuinarum musica conducat; frequens eiusdem olim vsus in oraculis, in templis, in vaticinijs manifestè quidem docet & conuincit; motus enim diuinos & admirabiles animis hominum incutit, eosdem ad studium pietatis ac deuotionis accendit, curis rerum mortalium & caducarum omninò liberat, in obliuionem mundi pellit, ad contemplationem cœli Deiq; rapit: sed vt hæc omnia concludam non malè scripsit ille, quicunque musicam sic de seipsa versibus loquentem finxit.

*Vinco, flecto, rego, cantu, dulcedine, plectro,*
*Dira, cruenta, feros, tartara monstra, viros:*
*Languentes releuo, morituros excito, mæstos*
*Erigo, pallentes munio, vinco Deos.*

Vincis quidem, & amplius paulò addam, præ cæteris musis verè triumphas: diuina enim es & non solùm ad solatium, ad mores, ad studium sapientiæ, sed etiam ad expiationem ani-

Ad solatium.

Harmonia optimum solatiũ in miserijs.

Ad institutionem morum.

Lib. 2. cap. 1.

Ad contemplationem.

Musica præ cæteris triumphat.

Expiatio quid mi Arist.

cælitùs demissa. Verùm quoniam de expiatione iam mentionem fecimus, absre non erit verbo quærere, quid sibi per
» id nominis Arist. in textu voluit. Sic enim loquitur, Dicimus
» autem non vnius vtilitatis causâ vti nos musicâ oportere, sed
» plurium (institutionis enim siue disciplinæ & lustrationis si-
» ue expiationis gratiâ eâ vtendũ est) & paulò pòst addit, Quid
» expiationem appellemus, nunc quidem simpliciter, alias au-
» tem in libris de arte poetica planiùs exponemus. Defatigant se hic multi, & excruciãt nimis, vt huius verbi interpretationẽ inueniãt, sed toto illo non extante libro de poesi conscripto, cõfitentur se quidẽ quid sibi velit Philosophus penitùs nescire: veruntamẽ ne lectorẽ studiosũ ab optato fine huius operis diutiùs remoremur, certum est per expiationem hoc loco

Expiatio est sedatio affectuum.

sedationem affectuũ, scelerumq; purgationẽ intelligi, quod sanè ex verbis in textu subsequentibus liquidò & apertè cõstat, verba hęc sunt. Etenim ex hac agitatione & permotione
» nonnulli concitati (quasi extasi) feruntur: sed hoc videmus
» sacris cantibus tranquillari ac sedari, cũ vtuntur musici can-
» tibus animũ furore leuantibus ac purgantibus perinde quasi
» curationem & purgationem sint consecuti. Per agitationem hoc loco Aquinas incredibilem illum animi motum ad rerũ diuinarum studium, per sacros cantus phrygiam illã & grauẽ cõcitatricem musicã; per hoc ipsũ nempe animũ à furore leuari & purgari, mẽtẽ sæuis affectibus scelerũq; stimulis liberari, doctè & sapienter intelligit. Estné ergo tãta vis tantaq; diuinitus data influctia musicę, vt vel philosophi vel ethnici & pagani eiusdẽ impetũ, idq; in sacris, in sacris inquã cantibus seipsos sensisse dixerint? quid? an fatemur hoc verũ esse? Deus bone cur musicã hoc tempore nos Christiani spernimus? imò cur nõ probamus? cur nõ amplectimur? dat quietẽ,

Musices commoda.

si simus fessi; mores, si simus mali; sapientiã, si simus ignari; libertatem ab affectibus, si simus sceleribus mancipati: defessos enim recreat, flagitiosos corrigit, ignaros docet, otiosos & segnes ad studium pietatis trahit. Huius author Deus est, materia melos est, custos homo est, gloria Christi finis est. Hęc nos studiose lector mouerent plurimũ ad studiũ & amplexum



plexum musices, si natura in cœli orbibus, si ordo in elementis, si in auibus concentus, si consensus in partibus humanis, si tota mundi machina (quę nihil aliud est quàm quędam naturę musica) mouere non potest. Quid moror? si Tubal Adami filius, si Miriã Aronis soror, alięq; mulieres cũ tympanis, si Exod .15.
Anna mater Samuelis, si Debora, si Dauid, si alij infiniti (vt sacrę testantur literę) Deum musicè laudarint, cur musicam vt canonicam artem honorificè nõ recipimus? Patriarchę, prophetę, angeli ipsi (vt in euangelio cõstat) patres, & doctores renascentis ecclesię cecinerunt, artẽq: diuinã hanc exemplo, voce, atq; præcepto cõmendarũt: stoici autẽ sumus si recusemus, epicurei si condẽnemus. Sed vt vnde suscepta est ibi terminetur oratio, accede frater qui meas de repub. lucubrationes legeris, ascendamus quęso in templũ domini, laudemus Deum in sono tubæ, laudemus in psalterio & cytherâ, Psal.150.
laudemus eũ tympano & choro, laudemus eũ in cordis & organo, laudemus eũ in cymbalis benè sonantibus, laudemus eũ in cymbalis iubilationis, omnis spiritus laudet dominum.

Incitatio studium musices.

Distinctio.

Musica conducit ad tria, nimirum ad

- Recreationẽ, quæ est fessorum à laboribus & curis iucunda cessatio, seu negotiorum intermissio.
- Institutionem vitæ, quæ est morum disciplina, & affectuum moderatio.
- Contemplationem, cuius partes duę sunt,
  - Veritatis inquisitio,
  - Affectuum scelerũq; expiatio.

Opp. *Plures sunt fines musices quàm recreatio, disciplina morum ac contemplatio: ergo ad hæc tria solùm non conducit. Antecedens probatur, quia honor Dei, & vnio animi ad Deum per consensum sunt alij fines, vt Boetius docet.*

Resp. *Vt dialectica ad sermonẽ, congressũ, & philosophiã: ita musica ad hæc tria cõfert: & vt illa tria sunt fines cõmunes: ita & hæc, sub quibus alij cõtinentur, exempli causâ, honor Dei vnioq; animi sub rerum diuinarum intuitu & contemplatione.* 1.Topi.

Opp. *Morum disciplinam impedit musica: ergo ad eam non conducit. Antecedens probatur authoritate Gregorij põtificis, qui ait, dùm blanda vox quæritur, congrua vita negligitur: & cantor minister Deum moribus stimulat, cum populum vocibus delectat.* Dist.92.

Resp. *Loquitur Gregorius de abusu hominis, non de vitio artis: si enim vita cantantis voci non respondeat, homini non arti vitio vertendum erit.*

Opp. *Musica impedimentum est contemplantibus: ergo ad contemplationem non confert. Antecedens ab Augustino probatur, qui confitetur se mortali peccato sæpè condemnandum fuisse, quòd magis sono vocum quàm rerum sensu moueretur.* Confes.lib.16. cap.13.

Resp. *Diuus Augustinus hîc non condemnat artem, sed suam ipsius si attendas infirmitatem, quæ occasionẽ mali ex bonis per se accepit. Vt ergo dulcedo vini non est causa ebrietatis, sed intemperantia bibentis: ita musica non est causa distractionis, sed nimia audientis incuria, qui sensum cum sono non coniungit.*

Opp. *Expiatio scelerum & affectuum moderatio opus solius Dei est: ergo impium est hoc ipsum musicæ ascribere.*

Resp. *Vt medicina est medium non principium sanitatis: ita musica est instrumentum, non causa expiandi sceleris. Deus enim solus nostras iniquitates delet, musicâ tamen sæpè perculsi à furore scelerũ ad Deum flectimur; est enim in concentu musico vis quædam diuina, quâ anima humana propter similitudinẽ monetur officij, mouetur q; ad harmoniam naturæ & principij sui: at harmonia animæ (vt definiunt Philosophi) est ipsa virtus, natura spiritus, principium Deus, cui gloriam & Osanna in excelsis nunc decantemus, vt empti de terrâ cum illis centum quadraginta quatuor millibus nouum illud canticum in cœlis beatissimè canere perdiscamus. Vides studiose lector tui solius causâ hoc à me opus susceptum & perfectum nunc esse, mercedis loco hoc solùm vehementer rogo, vt tuis precibus adiutus in choro illo cæleste per Christi misericordiam vnus cantorum fiam. Obsecro dic sæpè, sis illi propitius (O Deus) qui hunc librum fecit, sis illi quæsò salus: siue viuam, siue moriar, vt tu sis saluus reprecabor. Vale.* Apoc.14.

Laus soli Deo.

Per-

## Peroratio operis.

THEORICVM ciuitatis globũ (candide & Christiane lector) tibi nunc demùm in manus minùs fortasse Atticè, laborioſè tamen descriptum trado; in cuius centro (quod est immota & perpetua iustitia) quæso fixis & firmatis (vt aiunt) pedibus immoti stemus, nec non planetas qui sunt politicę virtutes, stellatum cœlum in quo lucent heroes, primum mobile cuius axes voluunt & reuoluunt principes, adeoq; vltra hunc globum primam causam id est Deum (à quo virtutes, proceres, reges, omniaque pendent) contemplemur. Phaëtontis id est Machiauelli omniumque pseudopoliticorum & Atheorum currus indomitos & furentes equos (nè in malorum Oceanum præcipitemur) citò & procul fugiamus. Nam vt Eliæ currus in altum raptus triumphum Christi: ita Machiauelli quadriga velocibus incitata rotis occasum mundi & aduentum Antichristi probat. Quippè sicut in illius curru exarsit diuina charitas, quæ pallium inuocanti Eliseo dedit: ita in huius plaustro horribiles inferorum manes & furiæ vehuntur, qui mundo iam declinanti diras & lethales pestes minitantur. Cum enim à ciuitate exulet virtus, ablegetur fides, exterminetur Christus, necesse est vt in templo Dei Antichristus sedeat; at Machiauellus patriarcha in Christianis imperijs Mahometicæ politiæ omnem virtutem, omnem fidem, omnem religionem, adeoque ipsum Christum Christiique metum & cultum tollit. Nam aliter quorsum in cap. de fide principi seruandâ ista amuleta vel potiùs ista venena in principum imperia ac ciuitates spargit? Verba ipsius legam: *Cum itaq; principis magni referat bellunum ingenium scite induere, ei tum vulpis tum leonis mores assumendi erunt*; Fidelis es Machiauelle qui principem in capite de fide vim & fraudem doces: sed plura legam, sequuntur hæc verba: *Princeps, qui sapientiâ est præditus, debet ea promissa vitare quæ suis commodis fore contraria videt*. Perfidia hæc est Ouid.metam. 2. 4.Reg.2. Lib.de pri. cap.18.

non fides quam doces peſſime; cæterùm legamus plura. *Ad omnem ventorum & fortunæ conuerſionem verſatile ingenium, princeps habeat neceſſe eſt.* Quid? An hæc eſt fides? An hæc religio quâ Deum colis? Horreo ea quæ addis addere homo omnium ſceleſtiſſime, ſed addam, vt omnes te vulpem eſſe ex cauda, leonem ex vngue ſciant; ſic ais: *Vitam igitur princeps tueatur, curet q; imperium conſeruare: quibus autem id fiat rationibus, ea modò honeſti ſpeciem præſeferant, nunquam non honore dignæ laudibuſq; exiſtimentur.* O Chriſte bone! an regna, an ſceptra à te data hominibus ſolùm virtutum vmbris, religionis ſolùm formis tenenda & conſeruanda putemus? Peſſima eſt fides tua Machiauelle, quæ perfidiam gignit; blaſphema & periculoſa doctrina, quæ ſui cultores in gehennam trahit. Sed hîc ſiſtam veſtigia mea, & vnde incepi ibi concludam opus. Hortor te igitur (Chriſtiane lector) vt iſti Merlino & præſtigiatori hominum (ex incubo neſcio quo dæmone nato) diutiùs nè credas, nigra eiuſdē volumina Vulcani faucibus & flammis quæſo committas, poma Sodomitica tametſi pulchra, quę tibi offert, caue nè guſtes. Mundus iam vt probè noſti vultum quaſi Hippocraticum habet, idemq; penè exhauſtus ſpirituum vitalium & animalium veluti defectu nutat; canum temporis caput eſt, & alæ eiuſdem ſenio cōfectę, motuq; defeſſæ languent. Diù ergo valere non poteſt mundus, diu volare non poteſt tempus. Moriendum tibi & mihi eſt, nam *cuncta in quibus eſt ſpiraculum vitæ morientur.* At Cæſar ſum fortaſſè dicis: morieris tamen, & *ibi erit currus gloriæ tuæ.* Quid ſi pontifex? Tu etiam morieris, *& epiſcopatum tuum accipiet alter.* Mors mihi parcet nā rex ſum. *Cras quoq; tu morieris; nemo enim ex regibus aliud habuit.* Vim mortis contemno, ſum enim Hercules. Sed audi, *gladius tuus te non defendet. Quis enim eſt homo qui viuit, & non videbit mortem? Quis eruet animam ſuam de manu inferi?* Non eſt quòd mortem mihi intermineris, nam Lucullus ſum, quem loculus à cymba Charontis teget. *Stulte, hac nocte repetent tibi animam, & quæ paraſti cuius erunt?* Parce mihi O mors bona, nam Eua & mulier infirma ſum. Sum filia tua, & tamen non parcam. At matri O

Gen. 7.

Eſa. 22. Pſal. 108. Eccl. 10.

Pſal. 88.

Luc. 12.

filia



filia parce. Nihil agis, quippè deuoraſti pomum, & duxiſti in bonis dies tuos; nunc igitur in puncto ad inferna mecū deſcendes, & quoniam *Puluis es, in puluerem reuerteris.* Quid moror? *Moriemur omnes & ſiſtemur ad tribunal Dei.* Quarum rerum meditatio nos quidem plurimùm moueret, vt à Deo, à fide, à pietate morum, à religione nullis perditorum inſidijs, nullis ſophiſmatis diſtrahamur: moueret inquam vt tam in priuata vita ſcelerum portenta quàm in politica luce noua Atheorum paradoxa non aliter quàm procellas & ſcopulos fugiamus. *Reddite rationem villicationis veſtræ* Cæſares, nam tractaſtis regnum; *via* ſum, cur deuia? *Vita* ſum, cur venena? *lux* ſum, cur tenebras? *veritas* ſum, cur ergo mendaces veritatis vmbras, latebras & fucos quæritis? Audite. Tantum nunc ergo ſentietis tormenti, quantum in vita perpetraſtis peccati. Quid daretis nunc puluis & cinis ſi à morte ad vitā, ſi à ſepulchro ad lucem redire vobis permittatur? Heu, quid daremus petis? Imò dicite mihi, quid daretis? Mundum. At reuerſi quid tandem agetis? Pœnitentiam. Serò ſapitis, tum hæc egiſſe oportuit cum in epulis & delicijs volutaſtis. Nam penes vos fuit labes rerumpub. expūgere, leges iuſtas fācire, mores ciuium ad vocem & nutū virtutis fingere, maledicta in Liuium gloſſēmata & cōmentarios de principe extirpare. Accepiſti ſtudioſe lector nunc globū ciuitatis, in fronte nomen Dei, in fine nomen mortis inſcriptum vides. Si Deus ſit (vt eſt) ad quem omnia referri debent, ſatis probauimus nec domum, nec ciuitatem, nec vllam vitæ humanæ partem ſine virtute, ſine fide, ſine religione rectè adminiſtrari poſſe. Si certa mors ſit vt eſt, monemur etiam vt viuendo iuſtè diſcamus artē moriēdi benè. Valeant ergo & hinc longè faceſſant ſophiſtę noſtrorū temporum, qui nō ſolū priuatos mores hominū inſidioſè inficere, ſed etiā vrbes, ciuitates, gentes ſuis veluti carminibus pernicioſè faſcinare ſtudēt. Intelligo Doletos, Argentinos, Machiauellianos, omneſq; Diagoriſtas & Atheos qui aduerſus naturā, philoſophiā, iuſtitiā, Deū belligerantes, nullum centrū ęquitatis, nullas lineas virtutis, nullos circulos rationis, nullos axes & veluti terminos coercēdę

Iob. 21. Rom. 14.

Luc. 16.

 cupiditatis

cupiditatis, nullos motores & rectores administrandæ ciuitatis nisi pro libidine & arbitrio volunt. Hoc noluit magnus Philosophus, quem iam exposui: ethnicus fuit, & tamen noluit, imò quidem hoc voluit, hoc etiam suasit(quod sæpe inculco) non posse stare ciuitatem sine virtute, non posse florere sine pietate: hoc suasit Philosophus, hoc iussit Christus: sit ergo vltimum hoc meum Vale (Christiane lector)quòd ciuitas ea solùm sit vera,in qua virtus:is solùm ciuis,in quo Christus viuit.

*Vale. A meis ædibus Oxonij, anno* 1588. *Maij* 11.

Laus, gloria & imperium soli Deo.

# RERVM CONTENTARVM INDEX.


*Abrogatio legum.* 149.
*Academiæ quo loco habendæ.* 497. *& sequent.*
*Accusatores necessarij.* 562.
*Actio & effectio quomodo differant.* 9.
*Actus internus,externus.* 219.
*Adulter multis nominibus flagitiosus.* 347.
*Ædes robustæ sint & splendidæ.* 652.
*Æquatio bonorum Platonica quæ sit.* 129.
*Aeris & aquæ comparatio.* 649.
*Affabilis & assentator differunt.* 338.
*Affectu regere tyranni est.* 337.
*Agricolæ an debeant esse serui.* 645. *fine.*
*Agricultura nutrix ciuitatis.* 55.
*Agriculturæ laus.* 540. *&c.*
*Amasis Ægyptius.* 86.
*Ambitio parit oppressionem.* 386.
*Amicitia bifariam sumpta.* 102.
*Amicitia qualis inter dominum & seruum.* 51.
*Amor diffusus minuitur.* 108. *eius duo vincula.* *ibidem.*
*Anglia rerum necessariarum dives.* 204.
*Animus corporis herus.* 42.
*Apum imperium.*262.*fine, &* 263.*initio.*
*Aristocratiæ & politiæ mutandarum plures causæ* .457.*& deinceps.*
*Aristocratiæ species.* 352.
*Aristotelis multa de Deo præclarè dicta.* 655.
*Arma in quos sumenda.*525.*nerui sunt ciuitatis.* 389. *quibus non sint gerenda.* 392.*sunt possidenda ciui.* 391.
*Artibus ingenuis instituendi etiam pauperum filij.* 365.
*Artibus quomodo sit vtendum.* 705. *& de excessu in earum studijs. ibi.&* 706.
*Assentatio & assentatores quàm nocentes sint.*336.*Assentationis effecta.* 337.
*Assentatores aliquando tristia loquuntur.* 338.
*Auarorum est vitium,quòd ijs desunt multa.* 61.

B

*Beatitudo in actione,in intētione.* 219.
*Bellum ne vacet religione.* 284.
*Bono cuique præmia cur sint tribuenda.* 271.
*Bonorum consortia multùm iuuant ad bonitatem.* 660.
*Bonorum tria genera.* 270
*Bonum in essentia,in existentia.* 218.
*Bonum publicum,priuatum.* 234.
*Bonus vir est lux,lex, & norma ciuitatis.* 276.
*Bonus vir & bonus ciuis in optima reipu. forma idem sunt.* 353.

C

*Causæ constitutionis,cognitionis.*357.
*Cēsus paruus,absolutè,cōparatè.*343.
*Ciuile imperium à nuptiali in quo differat.* 85.
*Ciuili seu politico in homine duo considerandæ.* 87.
*Ciuilis iustitia sequitur naturalem* 364.
*Ciuis bifariam dicitur.*196.*&* 205.*definitur.* *ibid.fine,&* 197.
*Ciuis boni virtus.* 213.
*Ciuis verè & iustè.* 200.
*Ciuis vtroque parente an solummodo sit ciuis.* 199.
*Ciuitas bifariam considerata.* 23. 202. *&* 205.*cum familia comparatur.* 85.*est naturâ.*19. *est naturâ prior domo.* 22. *quid sit.* 10. 198.*fine,&* 199. *quæ sit beatissima.* 596. *quæ sit satis magna* 609. *in quibus consistat.* 208. *sex res omnis habere debet.* 635.*recta,non recta.*315 *eius bona quatuor.*269.*partes decem.*330.*partes naturales* 12. *quæ pars melior.* 382.*causæ,materialis,formalis,finalis,conseruans.*211. *forma mutari quomodo possit.* 199.
*Ciuitatis intentio,actio,*218.*eius decretū lex est.*228. *eius fines.* 225. *&* 226. *forma communis, proxima.* 229. *vltimus finis* Deus

*Deus quomodo sit.* 230. *imago triplex.* 89. *unitas unde.* 207. *mali custodes, fraus, timor, & furor.* 4. *qualitas in quibus consistat.* 629. *tria symbola, atque inde politicæ tres modi.* 362. *medium, finis, & fructus.* 601.

*Ciuitatem viri iusti & ornant & sustinent.* 269.
*Ciuitate donati ciues.* 202. *in ea duplex ordo, connexionis, & perfectionis.* 24. *in ea id solum fit quod iure fit.* 201. *in ea loci, hominum, formę mutatio.* 207. *in ea quę spectentur.* 13.
*Ciuium numerus & consimilia ab Aristotele reprehensa.* 127.
*Commune duplex.* 112.
*Communia negliguntur.* 119.
*Communio dulce malum.* 103. *de eadem Platonis instituta.* 104. *eiusdem incommoda.* 94. & 103. & 111.
*Commutatio à natura inchoatur.* 64 *probatur esse necessaria.* 65. *duplex est.* ibid. *eius effectus.* ibidem.
*Concænationes in locis publicis.* 658.
*Consilia Aristocratica & Politica.* 396.
*Concilij Democratici quatuor modi.* 395. *oligarchici tres.* ibidem.
*Concordia Ethica, Politica.* 380.
*Coniugium quid.* 680. & *in sequent. de rebus coniugalibus fusiùs.*
*Coniunctio maris & fœminæ duplex, & vtraq; à natura.* 109.
*Consanguinitas, stirps, linea, gradus.* 105.
*Consilium & fortitudo iunguntur.* 394.
*Consilium, Iudicium, Magistratus.* 198.
*Consuetudo altera natura.* 313.
*Consultatio inanis est quæ religione destituitur.* 614.
*Cõtemplatio quodam modo est actio.* 603.
*Conuiuia publica non vituperata.* 172.
*Corpus arca est mentis.* 718.
*Creatura malis aduersatur.* 62.
*Criminum tripartita diuisio.* 151.
*Cura liberorum à natura.* 10.

D

*Definitio generalis competere potest pluribus.* 198.
*Democratiæ species.* 345. *med.* & *fine.* 346. *initio. eius mutandæ sex causæ* 445. & *deinceps. eius proprietates decem.* 530. *fine,* & *seq. initio.*
*Demastatio respectu materiæ, respectu formæ.* 210.
*Disciplina publica.* 697. & *deinceps.*
*Disciplina ciuilis in imperantium & parentium officio consistit.* 667.
*Doctrina parui penditur.* 80.
*Domus partes, instrumenta, finis.* 34.

E

*Ebrius pœna grauiori multetur.* 193. & 194. *tripliciter peccat.* ibid.
*Educatio priuata, publica.* 115. *priuatorum & nobilium in politia varia.* 364.
*in Educatione puerorum quatuor spectanda.* 364.
*in Electione quid spectandum.* 223.
*Eligere sorte, suffragio.* 396.
*Equorum alendorum conditiones.* 327.
*Exercitij vehementioris incommoda.* 715.
*Exercitia puerorum leuiora sint.* 717.
*Externa sunt tantum bonorum idola.* 589 *in ijs non est beatitudo.* 590.

F

*Fœmina non est monstrum.* 19 & 88.
*Fœminæ celebres.* 32.
*Fœminis non negatur imperium.* 32. 40. 85. 88. *eas decet silentium.* 91. 92. *ijs cum Marte nihil.* 134.
*Familiæ pars est res possessa.* 29. *eius partes.* 29. *primariæ, minùs primariæ.* 36. *comparatur cum ciuitate.* 85. 86.
*Fieri & esse differunt.* 28.
*Filij pauperum & diuitum ad quæ cohortandi.* 368.
*Flagitium.* vide *Crimen.*
*Flagitia diuidumtur.* 157.
*Fœderatas ciuitates quæ faciant.* 244.

*Fœnera-*



*Fœneratores quales.* 66.
*Fœnus mercatura turpis.* 66. *an sit licitum* 76. *an sit tolerandum.* 78. *cur illicitum.* 81 *describitur.* 80. *est pestis reip.* 72. *etsi Judæis aliquo modo permissum, nobis tamen omnino negatum & prohibitum.* 80. *pecuniæ naturalem vsum peruertit.*
*in Fœnore fraus.* 83.
*Forum in homine duplex.* 153.
*Forum iustitiæ, conscientiæ.* 250.
*Fortunæ risus sardonicus.* 676.
*Fraudis præcepta.* 9. 502.
*Fraus bona.* 389.
*Fundorum possessio propria, fructus communis.* 118. 119.

G

*Generi virtus honorem parit.* 86.
*Gruum vigilantia.* 263.
*Gubernandi nexus.* 324.
*Gubernationis sine imperij partes.* 257.
*Gymnastica in exercitatione spectanda sunt quinq;.* 716. *eâ cur exercendi sint pueri.* 718.

H

*Hæreditas minimè vendenda* 139. & 143.
*Hippodami leges.* 147. *eædem refutatæ.* 148.
*Homo ad malum natura procliuis.* 355. *animal est ciuile.* 21. & 22. *idq; dupliciter.* 25. *animal optimum & pessimum.* 23. *api comparatur.* 22. *eius ad vsum sunt à Deo omnia.* 56. & 62. *idq; vt is Deo subsit.* 57. *eius natura animalis, intellectualis.* 27. *in homine animus princeps est, vires animi magistratus, sensus veluti serui.* 613. *Honor verus.* 45. *naturalis.* ibid. & 46. *Honos est onus.* 232.

I

*Iactura dignitatis, ciuitatis.* 279.
*Immanitatis furiæ.* 13. 497. & *seq.*
*Imperandi & parendi viciſſitudo.* 668.
*Imperare semper ex arte stultum est.* 292. *in Imperantibus & parentibus duo considerantur.* 90.

*Imperia populi & diuitum in quibus differant.* 564.
*Imperij popularis conseruandi præcepta quinq;.* 553.
*Imperium ciuile quomodo differat à nuptiali.* 85.
*Imperium priuatum triplex.* 227.
*Impotentiæ naturales.* 37.
*Indefinitus, infinitus.* vid. *Multitudo.*
*Iniuriarum causæ & remedia.* 136.
*Instrumentum variè sumptum.* 30.
*Intellectus quasi rasa tabula.* 697.
*Iudex cur esse nemo debeat in sua causa.* 249.
*Iudicis infirmitas, maiestas.* 250.
*Iudicia non sunt intertiurbanda.* 178. & 179.
*in Iudicijs quę requirantur.* 152.
*de Iudicio & Judicibus.* 410. & *deinceps per totum caput* 16. *libri quarti.*
*Iustitia naturę.* 38.
*Iustiũ variè.* 44. *eius limites quatuor.* 243

L

*Labes descriptæ sunt malorum causæ acceptæ non datæ.* 322.
*Labes reipub. cur describendæ.* 321.
*Lac alimentum infantibus accommodatissimum.* 692.
*Lex ciuitatis lingua.* 273. *diuina, humana, naturalis.* 154. *quas res debeas respicere.* 127.
*Leges bonæ aut malæ, absolutè, comparatè.* 361.
*Leges Hippodami.* 147. & 148.
*Leges magistratus muti quomodo vitam habeant.* 358.
*Leges in vniuersis decreta populi in rebus singulis versantur.* 37.
*Legum custodes & ministri reges.* 297.
*Legum dignitas, earumq; obseruatio.* 355
*Legum abrogatio.* 149.
*Legumlatores varij.* 189.
*Liberorũ in educatione tria spectãda.* 689
*Libertas dupliciter considerata.* 242.
*Libertas vera quæ sit.* 532.
*Ludi quomodo tolerandi.* 474. & 475.

M

Machiauellus improbè virtutes reiicit. 1. non legendus. 2. comparatur cum Paracelso. ibid. eius pernicioſa paradoxa. 4
Magici cur plectendi capite. 444.
Magiſtratus quid 399. fine, & 400. eius cura quadruplex. 399. Eſt ciuitatis oculus. 214. eius auctoritas. 302. eum regat ratio, 305.
Magiſtratus mutus, loquens. 292. munus exequatur, non accipiat. 350. & & 351. eſt ſecundum ciuitatis lumen. 399.
Magiſtratus triplex. 97. & 100.
Magiſtratus mali taxantur. 319.
Magiſtratus qui non debeant eſſe. 399.
Magiſtratus Politicus, Theoricus. 578.
&c. eius varia nomina & munera. 519.
virum indicat. 271. eius participatio duplex. 202. eum recuſantes puniti. 369. ab eo gerẽdo qui prohibeãtur. 345. 346. 347.
Magiſtratuum diſtinctio. 401. qualitates 402. materia circa quam verſantur. ibid. tempus. ibid. in ijs conſtituendis tria conſideranda. ibidem, & 403. eorum nundinationes illicitæ. 187. & 188. eorum tria ornamenta. 477. & ſeq.
Magnificentia populum conciliat. 572.
Magnifici quidam noſtra memoria viri. 574.
Magnitudo ciuitatis vnde ſit æſtimanda. 608.
Mala cognita vitantur. 320. cur aliquãdo permittantur. 78. Vicina ſunt bonis. 383.
Mali toleratio. 206.
Malis ne minimis quidem conniuendum. 467.
Malus aliquando bonum agit, at bene nũquam. 73.
Medicina non eſt ars mechanica. 704.
Mens vitæ eſt corporis. 718.
Media ciuitas cur optima. 376.
Medij ciues quatuor modis. 375.
per Media peruenitur ad extrema. 341.
Medium ad extrema comparatur. 363.
Medicina naturalis, artificialis. 76. & 80.
Mendicos Plato abigit. 133.
Mercator mendax. 84. Eum quæ deceant. 545.
Mercaturæ tres partes. 79.
Methodus Ariſtotelis in libris Politicis. 8. fine. & 9. initio.
Midæ votum. 68.
Militaris diſciplina in pace exercenda. 141. & 144.
Milites mœnia ciuitatum. 44.
Monarchia adminiſtratio auguſtiſſima. 316. Cum tyrannide comparatur. ibidem. eius euertendæ cauſæ communes quinq;. 486. & 487. Proprie duæ, in fine eius cap.
Mora trahit periculum. 392.
Mores quomodo ſequantur tẽperaturã. 40.
Muſica & vtilis eſt & neceſſaria. 709. de ea præclarè & fuſiùs, libri octaui capitibus. 3. 5. 6. & 7.
Multitudo indefinita, infinita. 385.
Muris cur cingenda ciuitas. 651.
Mutationes periculoſæ. 149. & 155. fine. in ijs quæ res requirantur. 160.

N

Natura animantis duplex. 111.
Natura & mater & nutrix. 56. & neceſſitati conſulit & voluptati. 61.
Natura hominis, ſenſibilis, ratiocinatrix. 114
Natura humana quibus conſtet. 112.
Naturaliter aliquid duobus modis conuenit. 686.
Naualium copiarum neceſſitas. 624.
Neceſſarium duplex. 71. & 300.
Necis poteſtas dupliciter conſiderata. 289
Nimium cui licet, plus vult quàm licet. 385.
Nimium diuitibus non eſt tribuendum. ibid.
Nobiles bene educandi. 294. quibus rebus populum decipiant. 387. ijs non eſt aſſimilas contrahenda cum exteris. 462. & 463.
Nobilitas naturalis, ciuilis 50. quomodo ſit à natura. ibid. de non ente diſputatio. 310. & 311.
Non rectum, contradictoriè, priuatiuè. 233.
Numiſmatis conditiones ſeptem. 67.
Nuptiæ ſecundæ. 115 & 116.
Nuptialis coniunctio, & cura liberorum. 113.
Nutrix qualis eſſe debeat. 689.

O

Obtemperandi diſciplina duplex. 216.
Occidere cui, & quem liceat. 289.
Odium ciuile quam perniciоſum. 181.
Oligarchia ſimplex, mixta. 344. eius 4. ſpecies. 338. 339. 346. eius mutandæ cauſæ plures. 451. fine, & deinceps fuſiùs.
Omnia non poſſumus omnes. 381.
Opes ne in immenſum accumulentur. 137. 138. 142.
Opifices ſunt ciues. 145. 146.
Optima reſpub. abſolutè, comparatè. 374. fine.
Ordo bifariam dictus. 209. eius neceſſitas. 225. in quibus rebus cernatur. 229.
Organis in aptioribus liberiùs agit animus. 680.
Otium etiam à contemplatione neceſſarium eſt. 711.

P

Pacis tempore de bello cogitandum. 140.
in Paſtore quæ requirantur. 544.
Pater in filia viuit. 12.
Patria communis parens. 368.
Patrimonij vſus, poſſeſſio. 144.
Peccata in Deum, naturam, ciuitatẽ. 176. vide Crimen, Flagitium, Scelus.
Pecunia bifariam ſumpta. 71. cur neceſſaria. 66. in ea quærenda ſit modus. 74. eius magna vis. 386.
Pecuniæ nõ ſunt veræ diuitiæ. 67. & 73.
Peregrinationis vſus quintuplex. 623 eius vtilitas fuſiùs. 626.
Perfectio conſiſtit in duobus. 660.
Philoſophia laudatur. 675.
Platonis errores aliquot per plures pagi-
nas cap. 12. libri quinti. eius ſecunda pars. 120.
Plebiſcita quando valeant. 333.
Plorare infantibus non inutile prorſus eſt. 690. & 691.
in Pœnis par ſit omnium ratio. 359.
Politia quid. 357. ei præſit Chriſtus. 2. eius bene conſtitutæ ſignum. 363. eius & ariſtocratię mutandarum cauſę. 457.
Politica corollaria quatuor. 481. & 482.
Politicę autor Ariſtoteles quomodo ſit. 8.
duplex conſideratio. 311. finis affluentia bonorum. 9. genus, praxis. ibid. Nomen, obiectum, fructus. 8.
Politicorum obſcuritas minuitur. 306.
Popularis potentiæ partes, ſeu ſpecies. 331.
Populi libertas cauſa litigandi. 241. ei quomodo negetur imperium. 260.
Populus cautè tractandus. 396.
Poſſeſſæ rei duplex vſus. 66.
Poſſeſſæ res duplices ſunt. 29. in ijs quæ conſiderentur. 77.
Poſſeſſionum natura, vſus. 118.
Poſterior dies docet priorem. 173.
Præmia bonis tribuenda. 271.
Præmium excitat. 44.
Princeps quibus ſubijciatur. 220. fine. eius obedientia quomodo voluntaria, quomodo neceſſaria. 221.
Principes quando, & à quibus puniendi. 222.
Proditores occidendi. 288.
Proditorum filij iuſtè puniuntur. 7.
Prudentia in bonis, aſtutia in malis. 342.
bifariam conſideratur. 218.
de Pueris & eorum educatione varia præcepta. 689. & eorum exercitia leuia eſſe debent. 717. eos maiores noſtri quatuor res docebant. 708.
Puniri priuatiuè, poſitiuè. 349.

Q

Veſtionibus ſuperfluis ſupereſſedendum eſt. 705.

R

*Rectum & non Rectum quomodo sint species reip.* 232.
*Reges fuisse ab initio.* 12.
*Regi non est resistendum.* 235.
*Regio bifariam accepta.* 611. *diuiditur.* 644. *in ea quę sint spectanda.* 612.
*Regnum Turri comparatur perpetuò oppugnatæ.* 299.
*Reip. status varij.* 234. .235. & 236.
*Religionem matrem suam diuitiæ deuorarunt.* 150.
*Religionis in ciuitate necessitas.* 644.
*de Rerum communione fusiùs.* 117. &c.
*Rerump. differentię communes, propriæ.* 324. *proprię generales, speciales.* ibidem. & 326.
*Respectus in quibus mutet essentiã.* 16.
*Respub. Anglorum, Gallorum, Venetorũ,* 238. *Lacedæmoniorũ.* 162. & 363. *Cretẽsium.* 173. & 174. *Carthaginensis.* 180. & 181. *Spartana reprehenditur.* 162.
*Respub. mixta.* 324.
*Respublica recta non recta, & utriusque subdiuisiones.* ibidem.
*Rex bonus dextra, malus est sinistra Dei.* 320.
*Rex imago Dei, iustitiæ, ciuitatis.* 371
*quibus comparetur.* 227.
*Rex simpliciter, comparatè.* 301.
*Rex unus quodammodo magistratus omnes.* 186.

S

*Sacerdotes indocti quibus rebus similes sint.* 640.
*Sacerdotes ne gerant magistratus.* 407.
*ne implicentur mundanis occupationibus* 150.
*Sacerdotis consecratio.* 639. *eius officium.* 640.
*Sacris contemptis corruit respublica.* 581.
*Sanies quibus rebus conseruetur.* 76.
*Sapiens astris dominatur.* 57
*Sapientia dupliciter sumpta.* 643.
*Satellitium turpe.* 292.
*Scelera triplicia.* 151.
*Seditio in bonam partem accepta.* 425. *in Seditione considerantur tria.* 427. & 428. *eius causæ.* 420. & 431. *fusiùs. definitio.* 420. *exempla.* 421. & *de eadem plura.* ibidem, & 422.
*Senatus, magistratus, & iudicium quàm necessariæ res reip.* 393.
*Senatus quid.* 304.
*Senes musicam exerceant.* 730. & 731.
*Senex bis puer.* 203.
*Seruitus legalis, & eius rationes.* 43. & 47.
*Seruus ad usum datus.* 39 *à natura est sex de causis.* 37. *confertur cum artifice.* 88. *an in eo alia virtus præter instrumentalem.* 86. *est instrumentum animatum.* 30. *est res possessa & instrumentum.* 29. *quid sit.* 31. *eius imago.* 31. *necessitas.* ibid. *propria.* ibid. *quomodo sit defectus.* 37. *eius perfectio quæ.* ibid.
*Seruis armorum usus non permittitur.* 125.
*Silentium decet fœminas.* 91. & 92.
*Similia non probant.* 52.
*Simoniæ remedium.* 641.
*Societas simplex, mixta.* 17.
*Solitariæ vitæ causæ plures.* 26.
*Solitarius non est pars ciuitatis.* 21.
*Solitarius triplex.* 22.
*Sophismatum usus in politia.* 388.
*Sordes longe exportandæ.* 650.
*Sortitio triplex.* 403. & 404.
*Successio dupliciter considerata.* 297.

T

*Thales ditatus.* 79.
*Turba offensa turba est.* 390.
*Turcicum imperium unde creuerit.* 3.
*Tyrannis deterrima labes reipub. & cuius.* 315. 318. 485. 491. *eius à regno differentiæ septem.* 491. *eius euertendę rationes* 488. *eius imago.* 370. *effecta.* 316.
*Tyrannis græcorum, barbarorum.* 369.
*Tyrannorũ & tyrannidũ diuisiones.* 510.

V

*Venus eneruat Martem.* 164.
*Victus duplex.* 55.
*Virtus considerata absolutè, respectiuè.* 219.
*Virtus boni ciuis.* 213. & 352. *duplex est, officij & viri.* 7. & 170. *est ad fœlicitatem via.* 4 *conseruat naturam.* 2. *est in politia necessaria.* 1. *est politiæ regula.* 2. *est iuridicorum veterum scopus.* 4. *est naturæ medicina.* 50. *est in seruo imbecilla.* 51. *est præferenda sanguini.* 246. *est præsidium ciuitatis.* 211. *non eget legibus.* 534. *sitné alia in seruo præter instrumentalem.* 86. *sitné eadem in viro & fœmina.* 90. *eius cultus est essentia ciuitatis.* 353. *eius actio communis mensura, comparatu facilis, & perpetua curdicatur.* 247. *ei debent omnes incumbere.* 89. *eâ præcellere quàm imperio melius.* 602.
*Virtutes aliter insunt fœminis ac viris.* 19.
*Virtutes intellectuales, absolutæ, comparatæ.* 704.
*Vita contemplatiua magis eget musica quàm actiua.* 724.
*Vita diuiditur in otium & negotium.* 67.
*Vita est bene viuere.* 230. *in quibus rebus versetur.* 701.
*Vitium est ciuitatis monstrum.* 3.
*Vna quomodo fiat ciuitas.* 121.
*Vnio ciuium, externa, interna.* 27.
*Vnitas ciuilis.* 101.
*Vnitas & vnio differunt.* 326.
*Vnitas in politia refutatur.* 94.
*Vnitas ordinis.* 101. & 102.
*Vnum omnia.* 100. & 101.
*Voluntatis actus nobilior actu intellectus.* 400.
*Vox populi vox Dei.* 182.
*Vrbis situs quatuor res requirit.* 647.
*Vsura. vide Fœnus.*
*Vulgus quale.* 197.
*Vulgus inconstans est.* 333.
*Vxore quomodo vtendum.* 18.
*Vxoris bonæ quinque virtutes.* 88.




Ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει.

FINIS.